2 . 7 . 168

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibliot. Coll. Florent.
Soc. Jes.

2.7.168

2 I.7

Digitized by Google

B

17507

Digitized by Google

2. 7. 168

Digitized by Google

c 1

EMBRYOLOGIA SACRA

SIVE

DE OFFICIO
SACERDOTUM, MEDICORUM, ET ALIORUM
Circa æternam Parvulorum in utero exiſtentium ſalutem.

LIBRI QUATUOR

S. T. ET U. J. D.

FRANCISCO EMMANUELE
CANGIAMILA

PANORMITANÆ ECCLESIÆ CANONICO THEOLOGO,
Et in toto Siciliæ Regno contra Hæreticam Pravitatem
Inquiſitore Provinciali,

AUCTORE AC INTERPRETE:

Videte ne contemnatis unum ex his Puſillis. Matth. 18. 10.

PANORMI MDCCLVIII.
Typis Franciſci Valenza Regii SS. Cruciatæ Impreſſoris.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

2.7.168

Digitized by Google

BEATISSIMÆ VIRGINI
M A R I Æ
Dei Matri, Angelorum, Hominumque Reginæ.

FRANCISCUS EMMANUEL CANGIAMILA
Clientum, ac Servorum ejus omnium minimus.

DEbebatur quidem, auguſtiſſima Dei Mater, tuis in me beneficiis, quæ & magna ſunt, & plurima, ut opus hoc, qualecumque ſit, Tibi dicatum prodiret, & ſecum obſequentis, gratique Animi pignus afferret: eòque magis, quod ipſum libri hujus argumentum, ut cætera deſint, id expetere videbatur: quando ſcilicet ad æternam Parvulorum, adhuc Matrum utero concluſorum, ſalutem pertineat. Horum tu ſiquidem, ſicut & reliquorum Hominum, Parens evaſiſti amantiſſima, cum Servatoris noſtri Genitrix dicta es, maternàque ipſos complecteris charitate. Cujus profectò rei illud ſatis apertum erit indicium, quòd Unigenito Dei Filio in uterum tuum vixdum illapſo, in id ante omnia cogitationem, curamque tuam convertiſti, ut ad domum Eliſabeth feſtinares, quò Joannes maternum adhuc ventrem inhabitans

communi maculâ expiatus Divinam iniret Gratiam, cæleſtibus cumulatus beneficiis: licet, & itineris difficultas, & ampliſſima, qua nuper aucta fueras, dignitas id minimè pati viderentur. Nimirum in Infantulo tuo Jeſu Infantes omnes intuens, in eos ineffabili dilectionis impetu ferebaris, Deoque Patri Jeſu Chriſti merita obſecrationeſque tuas offerebas, ut tenelluli hujuſmodi Homunciones primevę culpę vinculis aliquando ſoluti in libertatem Filiorum Dei aſſererentur: quò magis enim ab ea labe immunis fueras, ac ſingulari dignatione præſervata, eò clariùs damna inde profecta, atque humano generi miſerrimè illata perſpiciebas, tantam averſata fœditatem. Illud autem etiam accedebat quod non exiguum tu ipſa fuiſti ſuſcepti laboris & induſtriæ incitamentum: videbam etenim fore, ut quoquot Infantum Spiritus vigiliarum mearum contentione, atque adminiculo cæleſti luce ornarentur; totidem ad caput tuum adderentur veluti Sydera, Syderibus ipſis longè fulgidiora. Quod veró ad officium meum attinet, mihimetipſi adblanditus ſum, in Animum inducens, hujus conficiendi operis voluntatem Clementiæ tuæ probatam fuiſſe: quoniam in eo concinnando innumeris penè diſtentus curis, rem omnem ſi non prorſus ex voto, ac pro materiæ ſublimitate; pro modulo tamen meo aliquando extricaverim: quod niſi auxilium tuum adfuiſſet, perficere poſſe meritò deſperaſſem. Id igitur tibi aſſignandum eſt, & omni jure tribuendum; nec tamen modicum ex re ipſa, officioque erga te meo fructum me ſpero aſſequuturum: confido enim te a Domino impetraturam, ut quicumque Librum hunc legerint, vehementiori ſervandorum Infantulorum ſtudio inflammentur; atque ideo, quod unum ſpecto, Animularum iſtarum meſſis quàm copioſiſſima exiſtat. Hoc ego unum eá, qua par eſt, ſincera mentis demiſſione, a te votis omnibus peto: Quod etiam a te videtur expoſcere infinita illa Divinæ charitatis abundantia, qua ſuadente æternus, omnipotenſque Dei Filius, ut humanum genus reſtitueret, mortales artus in utero induit tuo: in quo novem præterea menſes inter

ma-

maternorum viſcerum anguſtias immoratus, inde proſiliit in lucem tuus jam Filius, virgineo, puriſſimoque a te editus puerperio. Tuo quæſo, Integerrima Virgo, atque piiſſima obverſentur Animo blanditiæ illæ, quibus peramanter Jeſulum tuum proſequebaris, cum eum in ſinu jucundiſſimè foveres, ab eo, viciſſim ſimilibus amoris incitamentis, indiciiſque donata: atque in tam dulci recordatione Parvulorum, de quibus agam, cuſtodiam ſuſcipere, ne graveris: ut ad Chriſtiani Baptiſmatis fontem eis pervenire feliciter liceat? Hoc quidem, ſi laboris mei tenuitatem ponderabis, mihi præmium erit ampliſſimum, ſi potentiam, & charitatem tuam reſpicies, opus erit exiguum; quod ubi petenti benigniſſimè præſtiteris, vota ſcilicet ita explebis mea, ut nihil ſupra. Poſt Divinam etenim Gratiam, celſiſſimæque Majeſtatis tuæ patrocinium exquirendum, nihil unquam antiquius habui, nihil mihi optabilius duxi, quám æternam Infantulorum ſalutem ſtudioſiſſimè procurare.

Digitized by Google

Habitabo in medio Hieruſalem ; & vocabitur Hieruſalem
Civitas veritatis : & Mons Domini exercituum Mons
ſanctificatus. Hæc dicit Dominus exercituum.. ;
& Plateæ Civitatis complebuntur Infantibus,
& Puellis ludentibus in Plateis ejus.
Hæc dicit Dominus exercituum.
Zachar. 8. 3. & 5.

Cum humanum Genus multis, atque innumeris vitiis ſit
ſubjectum ; Hieruſalem Cœleſtis maximam
partem ex Parvulis, vel Infantibus arbi-
tror poſſe compleri. *Petr. Diac.*
apud S. Gregor. M. Dialog.
l. 4. c. 7.

Google

TYPOGRAPHUS LECTORI BENEVOLO.

Quoniam, laudabili ſanè more in Librorum Editione ſervato, favorabilia de ipſis judicia præmitti ſolent: operæ pretium duxi a conſuetudine iſta nequaquam in hac Embryologiæ Sacræ impreſſione diſcedere. Quo circa primò ſex illa referam, quæ de priori ejuſdem Italica editione Anno 1745. apud me facta loquuntur: deinde alia tria, quæ ad hanc ipſam, quam præ manibus habeo Latinam, duplò fortaſſe præcedenti copioſiorem ſpectant. Et quidem

I.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus BENEDICTUS XIV. in ſuo nunquam ſatis admirando, celebrandoque Opere de Synodo Diœceſana l. 11. c. 7. p. 410. *§. 13. de prima, & Italica ſupradicta Editione præſentis hæc ait:*

Ad comprobandam verò utilitatem, & neceſſitatem Sectionis Cæſareæ, cum præſertim defuncta Matre conjicere licet, illius Prolem in utero extinctam non eſſe; peculiarem Librum edidit Franciſcus Emmanuel Cangiamila impreſſum Panormi Anno 1745., in quo ſolidis argumentis, & multà eruditione ſuſceptam cauſam agere non prætermiſit.

Et in Epiſtola ad Auctorem data Romæ 7. Cal. April. Anno 1756.

Satis libenter in noſtro de Synodo Diœceſana Tractatu Libri tui de Cæſareo Partu fecimus mentionem: quippe tum ad temporalem, tum ad æternam Hominum vitam multò conducibilis,

FRAN-

II.

FRANCISCI TESTA olim Panormitanæ Eccleſiæ Canonici, in Suprema Generali Sicula Inquiſitione Promotoris Fiſcalis, ac pro Poteſtate Seculari librorum Cenſoris, nunc verò Archiepiſcopi Monregalenſis, & Generalis Inquiſitoris Operis Judicium.

IN hoc libro, qui Embryologia Sacra inſcribitur, quemque ſummo cum ſtudio, ac Animi jucunditate perlegi; nihil offendi, quod Regiis juribus, patriiſque inſtitutis adverſetur. Quin imò Auctoris Doctrinà, ac religione, quibus apud omnes maximè commendatur, dignum exiſtimo. Aggreſſus enim novam intentatamque provinciam, eam ſic pertractat, ut nihil magis elaboratum, magiſque abſolutum excogitari poſſit. Quamquam omnia ita ſapienter, accommodatèque dicat, ut plura dixiſſe deſideres; attamen, quod adjungi poſſit difficilè occurret. Quidquid enim ex Sacra Doctrina, ex Philoſophia, & ex Medicina ad hanc rem illuſtrandam corrogari unquam poterat, in hoc unum Opuſculum derivatum invenies; Animique certè pendebis, num Auctor magis Theologum, quàm Philoſophum, vel Medicum, hìc ſe præſtet. Utinam omnes Sacrorum Miniſtri, maximèque ii, quibus Animarum cura concredita eſt; eruditionem, quam ex profanis ſtudiis ſibi comparant, in id conferrent, ut Homines eum, ad quem creati ſunt, finem conſequerentur; quemadmodum clariſſimus Auctor in hoc Opere eò laudabiliùs præſtat, quò magis ii, quorum æternæ incolumitati conſulere ſtudet, ſibi ipſis proſpicere nequeunt. Dabam Panormi ad XVI. Cal. Jun. MDCCXLV.

Franciſcus Canonicus Teſta.

AN-

III.

ANGELI SERIO S. T. & U. J. D. DIVI JACOBI ad Mare Panormitanæ Urbis Parochi, & in hoc Siciliæ Regno contra Hæreticam pravitatem Inquiſitoris Cenſura.

Optimè, cumulatèque Animarum Curatoribus conſuluiſſe jam videbantur quàm plures non minùs doctrinà, quàm Animarum ſtudio flagrantes Viri, plurimis editis nobilibus tum anteacto, cum currente ſæculo ingenii, ac pietatis ſuæ monumentis. Communem hanc autem perſuaſionem explosit Theologiæ, ac U. J. D. Franciſcus Emmanuel Cangiamila Panormitani Cleri ornamentum, cujus Sacra hæc Embryologia re ipſa docuit, ſemper inveniendum aliquid ſupereſſe illis, qui res eâ, qua ipſe eſt, illimitatâ charitate, parique ardore atque ſcientiâ meditantur. Opus quidem non ſolùm nomine novum eſt; ſed ſive materiam ipſam inſpicias, ſive etiam ac multò magis dicendi ordinem, ſive ipſam docti, bonique publici ſtudioſiſſimi Auctoris mentem, laudabile. Idque ego ſine adulationis notà in genere ſuo facilè princeps judico: tum quòd Eruditorum nemo ex profeſſo hanc provinciam de Fœtibus non plenè formatis, vel formatis, & in materno utero deliteſcentibus, ante illum explanaverat; tùm maximè quòd in eo litterarum Amatores aliquid ex omni ſcientiarum ſpecie invenient, quod addiſcant, & admirentur. Atque hæc ſingularis eſt Auctoris hujus, & Operis laus. Enim verò diſcurrit ipſe per naturalem ac experimentis illuſtratam Philoſophiam, Medicinam, Chirurgiam, & Anatomen, Moralem Theologiam, atque Dogmaticam, Prophanam, & Eccleſiaſticam Hiſtoriam, Civile Jus, & Canonicum. In quibus, prout res ſua poſtulaverit, tam firmiter, feliciterque verſatur, ut ſingulis peculiari ſtudio tantùm vacaſſe, & in omnibus apprimè peritus videri queat: ita limites, quibus Eccleſiaſticorum Hominum doctrina contenta eſſe ſolet, verè prætergreditur. Huc accedit ejus laboris neceſſitas, utilitas, & oblectamentum. Quàm enim neceſſe fuit, Animarum Curatores excitare, quò enitantur in poſterum, tot Abortivos ſedulò, ſtudioſèque baptizare, qui ad hæc uſque tempora æternæ addicebantur miſeriæ, vel ob Parentum incuriam, vel ob quorumdam Medicorum, ac Theologorum ſenſum, qui animationem fortè primis a conceptione diebus contingentem, non niſi poſt menſes evenire opinabantur? Quàm illud etiam neceſſarium Cæſareæ ſectionis ope tot Homunculos ad Cœlos mittere, vel etiam ſervare in Terris, & interdum, glorioſè victuros; qui ſecus pericli-

tantibus, aut etiam defunctis Matribus, inexpiati perirent? Utilem denique laborem hunc, ac delectabilem oſtendunt, & ejus dogmata, & exquiſita eruditio, qua ſinguli variarum ſcientiarum Profeſſores alliciuntur. Faxit ergo Deus ut Eccleſiæ, ac ſæculi Principes tanti operis lectionem non dedignentur, illàque permoti ea conferant remedia, quibus ad tam grave negotium indigemus: quæ ſi deſint, inanis erit quæcumque Parochorum indefeſſa vigilantia, inanes quæcumque ferventes, & aſſiduæ Inſtructiones. Dat. Pan. Cal Junii 1745.

Digitized by Google

IV.

LAURENTII MIGLIACCII
Panormitanæ Metropolitanæ Eccleſiæ Regni Siciliæ Primariæ Canonici, & Archidiaconi, S. Officii Qualificatoris, & Conſultoris, Judicis, & Examinatoris Synodalis, ac pro poteſtate Eccleſiaſtica librorum Cenſoris Operis Judicium.

Librum, qui inſcribitur Embryologia Sacra, Auctore Franciſco Emmanuele Cangiamila Presbytero Panormitano, haud minori ſedulitate, quam mentis voluptate percurri: in eoque nihil omninò, quod vel orthodoxæ Religioni, vel morum diſciplinæ, vel in minimo refragetur offendi; quin immo aureum planè opus Sacrà non minus, quam profanà eruditione refertum Auctoris ingenio, & pietati reſpondens, perquàm dignum exiſtimo, ut publicæ utilitati Animarum ſimul, & Corporum conſulturum, quàm primùm in lucem prodeat. Dabam ex meis Ædibus nono Calendas Junias MDCCXLV.

LAURENTIUS MIGLIACCIUS.

V.

DOCTORIS AUGUSTINI GERVASII
in hac Metropoli Protomedici Conſultoris, ac in Supremo Generali Sanitatis Magiſtratu Deputati.
Cenſura.

NOn levi, ut ingenuè fatear, voluptate, Animique oblectatione hujus me libri lectio afficit. Auctor enim doctus æquè, ac pius eà, quà pollebat erga Animarum ſalutem charitate, ut Parvulis in utero Matris æternà vità quandoque periclitantibus conſuleret, argumentum ſibi propoſuit, utile illud quidem, ac neceſſarium, neque tamen ſatis obvium, ac tritum, imò, ut meliùs loquar, a nemine, quem ſciam, ex animo, totiſque viribus pertractatum. Laudem verò non exiguam meretur, quod in eo Opere adornando eluceat Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Sacrorum Canonum, Conciliorum, Hiſtoriarum, Moralis Theologiæ, & Juriſprudentiæ ingens peritia; quodque mireris præcipuè, ac laudes; ita ſe Phiſicà experimentali, Anatome, ac Medicinà tum Phiſicà, tum Chirurgicâ inſtructum oſtendit; ut in eum quadrare poſſit, quod Stiliconi cecinit Claudianus.

.... Sparguntur in Omnes.
In te mixta fluunt, & quæ diviſa beatos
Efficiunt, collecta tenes.....

Et ſane, quæ ex variis ipſe Facultatum generibus collegit, ac derivavit, ſeù lumina, ſeù documenta; ad replendum Opus, ornandum, perficiendumque mirè conducunt. Quid de copioſa eruditione? Quid de fideli, conſtanti, ac multiplici narratione factorum? Quid de nobili methodo? Quid de mirabili perſpicuitate, ac nitore? Utinam ejus indolis eſſent libri omnes, qui lucem aſpiciunt! Non eſſet certè litterarius Orbis tantâ inutilium librorum copià penè obrutus: neque problema eſſet: utrum Typographicæ artis inventio damnum potiùs, an adjumentum Reipublicæ attulerit. Illud mihi reliquum eſt, altiſſimum bonorum omnium Largitorem junctis manibus exorare, ut Auctorem noſtrum in eo dignitatum, & honorum faſtigio collocet, quod non vulgari ejus merito debetur: atque per diuturnam annorum ſeriem felicem, gravibuſque curis, ac moleſtiis vacuam ſervet vitam illam, quæ tam utiliter in ea, quæ ad majorem Dei gloriam, & Animarum ſalutem ſpectant, incumbit. Pan. v. Id. Junias 1745.

VI.

JOANNES ANTONIUS ZACCHARIAS
E SOC. JESU in Hiſtor. Litter. Ital.
Vol. 3. l. 1. c. 3. §. 12.

DOctoris Franciſci Emmanuelis Cangiamila Panormitani Libri quatuor, in quibus Sacerdotes, Medici, ac Magiſtratus reperient, quidquid ad eorum officium, ne Parvuli materno in utero clauſi æternùm pereant, attinet; ſapienter examinatum.

Digitized by Google

VII.

EPIPHANII GUARNERA ABBATIS ORDINIS S. Baſilii Magni, & Panormi librorum pro Eccleſiaſtica juriſdictione Cenſoris. Approbatio.

Librum cui Titulus, *Embryologia Sacra, ſive de officio Sacerdotum, Medicorum, ac Aliorum circa æternam Puerorum in utero exiſtentium ſalutem &c.* Jam pridem italico ſermone publicatum, nunc latinitate donatum, nonnulliſque annotationibuus auctum, cum perlegiſſem; nihil Catholicæ Religioni diſſonum, pietatique oppoſitum in illo obſervavi; quin imò Clariſſimi Auctoris eruditionem, zelum, & charitatem, cunctos, qui eumdem percurrerint, miraturos nullus dubito. Jure meritò igitur cenſeo novam mereri lucem, ex qua ampliores fructus cœ o præparari, experientia ipſa convincit. Ex hoc Monaſterio Sancti Baſilii Magni de Panhormo die 29. Octobris 1753.

S. Th. Mag. D. Epiphanius Guarnera Abbas Ordinis Sancti Baſilii Magni.

VIII.

ANTONINI MARIÆ GRECO S. T. & U. J. D.
Panormitanæ Eccleſiæ Canonici , & pro facultate Eccleſiaſtica Librorum Cenſoris Judicium .

CUm admirabilis illa translatio a ſtatu , in quo Homo primi Adæ Filius naſcitur , ad ſtatum Adoptionis Filiorum Dei per ſecundum Adam Salvatorem noſtrum in Evangelica lege ſine regenerationis lavacro fieri non poſſit : *Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua , & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei* : quapropter ſi quis dixerit Baptiſmum liberum, ideſt non neceſſarium eſſe , Anathema ſit : quàm utiliſſimè , ac maximè quidem æternæ Puerorum in materno adhuc utero latentium ſaluti hoc Opere Auctoris Pietas , atque Doctrina conſuluit , qui omnia certè quæ potuit in eo accuratè perpendit tum ad Abortivos aquà ſalutari luſtrandos , tum ad Infantes Cæſareà ſectione educendos , tum ad eoſdem Puerperii tempore , quamquam nullà Corpuſculi ſui parte natos , dummodo aquâ per Syphunculum ſaltem attingi poſſint , baptizandos .

Hoc equidem Opus non animo notandi , ſed ardore addiſcendi , ac Auctoris Peritiam ſuſpiciendi , percurri . Cumque in ipſo nihil offenderim vel a fide Orthodoxa devium , vel a Chriſtianis moribus diſſonum ; ſed illud ipſo argumento egregium , eruditione præſtans , in Philoſophicis nobile , in Theologicis verò ſublime : ac præſertim in moralibus , atque dogmaticis tutum , atque perfectum , atque ita ex omni parte abſolutum perſpexerim, ut meam ſuperet commendationem; publicis Typis jure meritò mandandum cenſeo. Prodeat ergo in lucem ſingulare Opus multigena lectione collectum , ingenti labore conſcriptum , diu Multorum votis exoptatum , & Plurium , ut ſpero , plauſibus excipiendum . Ad ejus enim ſplendorem , veritate magis radiante , non ſolum indocti lucem accipient , ſed & Eruditorum ingenia novo lumine inaurabuntur: 16. Kal. Octobris 1756.

U. J. & S. T. D. Can. Antoninus Maria Græco Librorum Cenſor.

RE-

IX.

REGIÆ PANORMITANÆ MEDICORUM ACADEMIÆ CENSURA.

PRæclariſſimi, & Reverendiſſimi Dñi D. Franciſci Emmanuelis Cangiamila in hoc Siciliæ Regno contra Hæreticam pravitatem Inquiſitoris bipartita Diſſertatio, cujus prima pars de naſcentibus Pueris, qui ſæpe vità ſpoliati apparent, cum revera vivant; deque remediis ad eos ad vitæ officia revocandos, copioſiſſimè diſputat : altera verò de Submerſis diu quandòque in aquis vitam retinentibus, deque iis curandis, quamquam ſub mortuorum figurà educti ſint : quam Diſſertationem celeberrimæ ſuæ Embryologiæ nuper ipſe addidit: ita Philoſophicis, ac Medicis rationibus, obſervationibus, & experimentis fulcitur, atque inſignium Auctorum Monumentis confirmatur; ut Regalis Iatro-Phyſicorum Academiæ Panormitanæ Doctoribus ſeriò expoſita, ſummopere illis arriſerit, atque probata fuerit: quapropter eam utpote veritati eximiè conſonam, unanimi plauſu, magno Reipublicæ bono Typis omninò vulgandam eſſe cenſuerunt. In cujus rei teſtimonium præſentes, omnium, & ſingulorum nomine ſubſcriptas, & ſigillo ejuſdem Regalis Academiæ communitas libentiſſimè dedimus. Panormi die 11. Novembris 1756.

D. D. Antoninus de Miceli Regalis Medicorum Academiæ Princeps.

D. D. Carolus Salipegni ejuſdem Academiæ aſſiſtens.

D. D. Dominicus Rizzone ejuſdem Academiæ aſſiſtens.

S. T. & A. M. D. Sac. D. Hieronymus Battaglia ejuſdem Med. Acadamiæ Exprinceps, & Cenſor.

D. D. Petrus Lorito Cancellarius.

PRŒ-

PROŒMIUM.

DESIDERIUM Infantulis iis opitulandi, qui Parentum, aliorumque ſive incuriâ, ſive impietate, priuſquam in lucem prodierint, vitam amittunt, vel cum Matre ipſa defunctâ vivi ſepeliuntur, vel in difficili partu opportunis defecti auxiliis, infeliciſſimè, ac ſine baptiſmate pereunt; ad hoc me Opus conſcribendum, Amice Lector, ſuaſit, & impulit. Cum enim Archipresbyter Palmenſi Parochiæ annos fermè duodecim præfuerim; experientiâ didici, quàm utilis, commoduſque, ne dicam omnino neceſſarius, futurus eſſet Liber, quo ea pars doctrinæ contineretur, quæ ad rectè inſtituendam erudiendamque hac in re, præſertim optimi Paſtoris induſtriam, facit. Et ſanè ut Auguſtinus ajebat: *ſi Pupillis opem ferre præcipimur, quantò magis pro Parvulis laborare debemus? qui deſtitutiores, & miſeriores Pupillis, etiam ſub Parentibus remanebunt, ſi eis Chriſti gratia denegabitur, quam per ſe ipſi flagitare non poſſunt*. (a) Quamvis autem ſalutis horum Infantium cura ad Parochos præcipuè ſpectet; Operis tamen Titulo Sacerdotes univerſim ſignandos exiſtimavi: ſatis enim cuique perſpicuum eſt, ea documenta etiam ad alios Eccleſiaſtici ordinis Viros proculdubio pertinere; cum conſtet, omnes ad unum Sacerdotes in hujuſmodi rerum eventibus perinde ac Parochos eſſe, & ad ſalutem Parvulorum eamdem, quam illi opem, operamque præſtare poſſe. Accedit, quod non Parochis tantùm, ſed & Presbyteris omnibus tum inter Conciones, & ſacram in primis Catecheſim, tum in Apoſtolicis excurſionibus, & in Confeſſionibus excipiendis perſæpè occaſio ſe offert, multa Rudiores, præſertim Conjugatos, edocendi, quæ ad rem quâ de agimus, maximi ſunt momenti, & in præſenti Codice paſſim occurrunt. Attamen, quia non rarò inutilis eſſet Sacerdotum zelus, ni quoque ſuam, & ipſi manum Principes, Medici, Magiſtratus, Antiſtites denique admoverent; res ipſa omnino expoſcere viſa eſt, ut de his etiam ſingulatim explicetur, quemadmodum ſua quique ſtudia, vireſque ad Animarum, ac Reipublicæ bonum in tanto negotio conferre potiſſimùm debeant. Neque tamen id mihi quidem ſatis eſſe putavi, ſi tantùm quaſi voce præirem, tantùmque ſi oſtenderem, quid unicuique pro ratione ſui muneris facto eſſet opus; verùm etiam neceſſarium prorſus reputavi, id ipſum, quod ſingulis faciendum ſubinde moneretur, ita perpendere ac illuſtrare, ut vel inde innoteſceret, nihil hìc a me poſtulari, quod plùs nimio exquiſitum, aut omnino ſuperfluum videri queat, nihil quod rationi, aut Majorum doctrinæ, atque auctoritati non innitatur; denique quod Theologiæ dogmatis, principiiſque Philoſophiæ non ſit apprimè conſentaneum. Enimverò vix credi poteſt, quàm optabile in univerſum, quàm verò conducibile eſſet; ut Parochi omnes, priuſquam ad ſacrum hoc munus aſciſcerentur, aliquid de Arte Medica delibarent; neque enim rarò contingit, in Pagis, Oppiduliſq; præſertim; ut Curialis Presbiter, ad quem unum videlicet in quibuſcumque periculis, infortuniiſque identidem concurſare Populus ſolet; propter inopiam ejuſdem Artis Profeſſorum, non modo Animi, ſed etiam Corporis Curatorem, ac Medicum per ſe ipſe agere quandoque adigatur: cui proinde ea in primis callere utiliſſimum erit, quæ in hoc Opere contraduntur: ne ab Imperitis Medicis, ac Philoſophis, qui perſæpe non pauca ex prejudiciis, aut ex malè intellectis Magiſtrorum ſuorum opinionibus, velut indubitata definiunt; a præſtando mi-

(a) S. Auguſt. de Peccat. merit. *l.* 3. *c.* 13. *Edit. Maurin.*

miſerrimis Infantibus certo præſentique adjutorio, abduci ſe ſinant.

Librum græco vocabulo Embryologiam inſcripſi, Latinum enim, quod integram Operis imaginem ſatis exprimeret, non habebam. Cæterum Embryon græcè Fœtum, quamvis perfectum, & Animo jam informatum, imo quandoque natum etiam ſignificat: quemadmodum ex Homero, Focillide Ariſtotele, atque Dioſcoride Lexicographi manifeſtè adnotavere. (a)

Fortè non probabunt Plerique me ad monita ſubinde minutiora deſcendere. Verùm eum praxim ſpectare, ac illam, quàm accuratiùs poſſem, certam omnibus, ac planam facere, id tandem propoſiti mei pars omnino præcipua ſit; nihil, tametſi minimum, prætermittere tutum erat, quod experientià teſte ad præſtitutum mihi finem, & ſcopum quoquo modo collineare poſſe videretur: ſatius enim eſſe in rebus magni momenti Prudentes autumant, ſi modus, in alterutram partem aliquatenus deflectendo, excedendus ſit; per exuperantiam potiùs quàm per diligentiæ defectum offendere. Cogor equidem nonnulla pro meo inſtituto involuntariè attingere, eaque identidem neque raptim explicare, quæ verecundia detrectaret, quæque omnium oculis legenda parum ſecurè ſubjiciuntur. Quapropter fortaſſe non deerunt, qui arbitrentur convenientiùs fuiſſe, vel ab ipſa prima Libri editione, latinè ſcribere. Sed hic naturà ſuà nequaquam poſtulat, ut omnium manibus deteratur: ipſe enim titulus ſatis per ſe loquitur, quibus cum res mihi ſit, quaſque in manus venire ſuopte ingenio Liber expoſcat. Viros quandoquidem graves, & cordatos petit, quales ubique Parochos, Medicos, Magiſtratus, Principes, Epiſcopos eſſe credendum eſt. Deinde cum pleraque occurrerent exotica, & a vulgari loquendi conſuetudine aliena; veritus non immeritò ſum, ne Sacerdotibus, & Magiſtratibus exiguorum Pagorum Popularibus meis, quibus maximè conſultum volebam, difficiliora captu, minuſque proinde utilia redderentur: qui tamen æquè linguam Latinam, ac Italicam tenet, non indecentiùs ea leget hoc, quàm illo idiomate conſcripta. *Neque verò*, ajebat Clemens Alexandrinus, (b) *Nobis turpe eſt ad Auditorum utilitatem nominare partes, in quibus fit Fœtus conceptio, quas quidem Deum fabricare non puduit*. Scribendum ergo primùm Italico ſermone quàm modeſtiſſimè poſſem judicavi, meorum Popularium gratià: nunc verò eadem, nonnulla ſanè parte pleniora, atque elimatiora imò novis, variiſque tractatibus aucta, latinitate donavi, ad Gentium etiam exterarum intellectum, & quod ſpero, exoptoque utilitatem. Quà in re proinde non ita quidem puritati ſermonis, aut elegantiæ deſervire ſtudui, ut claritati: ne delectare Lectores potiùs, quam iiſdem, cauſæque a me ſuſceptæ prodeſſe contenderem.

Quamobrem etiam litterarum Cultores oro, uti pro faciliori etiam Rudiorum uſu, Librum quamvis per ſe tenuem, ſi modo ipſis ad Animarum ſalutem aliquid contribuere poſſe videatur; ſuæ quiſque Gentis proprium efficere latagant. Quocirca brevi Orientales Populi ejuſdem Compendium a me olim editum, & nuper ab Anonymo in vernaculam Græcorum linguam tranſlatum, fortaſſe habebunt. Ea verò quæ, ſcribo nedum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ cenſuræ, ſed & monitionibus, correctionibuſque Eruditorum lubentiſſimè ſubmitto: qui, ſi quid hoc in Libro deprehendent, quod minùs rectè aſſertum, aut pronunciatum putent, meque amicè de eo commonere dignabuntur; profectò non tantùm id æqui, bonique faciam, ſed me ipſis planè devinctum profitebor.

Cœterum, quod ad errores typographicos attinet; ii, ut non ſine dolore jam comperi; pluribus, variiſque de cauſis in præſenti Editione multiplicati ſunt nimis: præſertim quod illi Adminiſtrationis meæ negotiis præpeditus, per me ipſum imminere non potui, Quapropter graviores quidem, qui ſenſum immutant vel corrumpunt, in fine ſignavi: leviores tamen, & cognitu faciliores qui penè innumeri ſunt, Lectorum prudentiæ diſcernendos corrigendoſque committo.

ELEN-

(b) Vide Scapul. *in Lex.*.

(b) Clem. Alex. Pædag. *l.* 2. *c.* 10.

ELENCHUS
LIBRORUM, ET CAPITUM
LIBER PRIMUS

De Parochi, aliorumque Sacerdotum ſollicitudine pro Mulieribus Prægnantibus: deque Induſtriis ad Abortus impediendos, & de Baptiſmo Abortivorum.

CAPUT I.

DE Abortu involuntario. pag. 1.

CAPUT II.

Quomodo Parochus voluntarios Abortus impediat. pag. 4.

CAPUT III.

De Medicorum in curandis Gravidis Cautelâ, ne Fœtui noceatur. pag. 8.

CAPUT IV.

Juxta hodiernam Medicorum prudentiſſimam conſuetudinem, remedia plerumque Matri propinata Fœtui non nocere. pag. 11.

CAPUT V.

De inſpectione in omnibus Abortibus facienda, ut dignoſcatur, an Fœtus vivat: ac de opinionum circa tempus Animationis varietate. pag. 15.

CAPUT VI.

Recentiores quidam, Animas cum Corporibus in Adamo creatas fuiſſe docentes, impugnantur. pag. 19.

CAPUT VII.

De opinionibus Joannis Marci, & Ariſtotelis quoad tempus Animationis. pag. 24.

CAPUT VIII.

De ſententia docente Animationem fieri, dum membra principalia formantur, vel poſtquam formata fuerint: deque ſententiâ Zacchiæ, Animationem, ſtatim, & nulla interpoſitâ morâ poſt conceptionem admittentis. pag. 27.

CAPUT IX.

Non eſſe in Jure Canonico deciſum, priùs perfici Fœtum, deinde verò creari Animam. pag. 33.

CAPUT X.

Utrum Abortivis primorum graviditatis dierum Baptiſmus poſſit miniſtrari? pag. 36.

CAPUT XI.

Nova circa generationem Philoſophica inventa indicare Animam citiùs infundi, quàm olim crederetur: at verum infuſionis tempus incertum eſſe. pag. 39.

CAPUT XII.

Monita quædam ad Parochos pro praxi Baptiſmatis Abortivorum. pag. 46.

LIBER SECUNDS.

De auxilio Infanti Nonnato præſtando Matre Defunctâ.

CAPUT I.

Prægnante Mortuâ, ſuccurrendum Fœtui Partu Cæſareo. Præcautiones, ut proſperè ſuccedat. pag. 53.

CAPUT II.

De præparandis ad Partum Cæſareum, deque comprobatione mortis Gravidarum. pag. 58.

CAPUT III.

Solvitur Objectio, ex Bruhierii Opere *De Incertitudine ſignorum mortis* deſumpta. pag. 65.

CAPUT IV.

Praxis Partus Cæſarei Defunctarum. pag. 69.

CAPUT V.

Vitandas quidem eſſe moras in Cæſareo partu: eum verò etſi notabile tempus a morte Matris effluxerit; non eſſe omittendum: cum Fœtus etiam per dies integros ſupervivere poſſint. pag. 72.

CAPUT VI.

Fœtus remanere Matre mortuâ quandoque tam vegetos; ut etiam ſponte oriri poſſint. pag. 74.

CAPUT VII.

Fœtus, quamquam decimo, vel nono menſe minores, vivos reperiri. p. 76.

CAPUT VIII.

Utrum incidendæ Prægnantes graviditate incipiente, vel ubi ea ſolitum tempus exceſſerit? pag. 79.

CAPUT IX.

Rarò Fœtus mortuos inveniri. pag. 80.

CAPUT X.

Philoſophicè oſtenditur, Fœtum Gravidæ morienti non præmori. pag. 83

CAPUT XI.

Ex ſtatu Fœtus in utero oſtenditur, eum unà cum Matre ob defectum reſpirationis non extingui. pag. 85.

CAPUT XII.

Fœtibus, etiam Matre mortuâ, non deficere nutrimentum. pag. 92.

CAPUT XIII.

Quamvis obiiſſe Fœtum aſſeverent Medici, & Obſtetrices; attamen Partum Cæſareum non eſſe prætermittendum. pag. 96.

CAPUT XIV.

Parochus neque Defunctæ Neceſſariis, neque Chirurgis, neque ſuis Adjutoribus, neque Aliis fidere debet, ſi verè ſalutem cupit Infantulorum. pag. 99.

CAPUT XV.

De Officio Magiſtratuum Eccleſiaſticorum, & Sæcularium in promovendo Partu Cæſareo; cogendiſque Defunctæ Propinquis ad illum permittendum. pag. 102.

CA-

CAPUT XVI.

Peritis, exterisque deficientibus, charitatem urgere quemlibet alium, etiam Sacerdotem, ac maximè Parochum, ad Partus Cæſarei miniſtrationem. pag. 103.

CAPUT XVII.

Abortum procurantes, Partumque Cæſareum negligentes, vel impedientes, plurium nonnunquam Homicidiorum reatu fœdari. Monitiones ad Obſtetrices, & Chirurgos, ut inquirant utrum Fœtus ſit unus, an multiplex. pag. 108.

LIBER TERTIUS.

De Parochorum Officio, ac vigilantiâ pro Infantibus in Partu difficili, & deſperato.

CAPUT I.

De Partu difficili, & Cæſareo Gravidarum viventium. pag. 113.

CAPUT II.

Joannis Baptiſtæ Bianchi opinio contra Partum Cæſareum viventium, ubi conceptus fuerit uterinus; impugnatur. pag. 120.

CAPUT III.

In Cæſareo viventium Partu, non ſolùm Abdomen, ſed & Uterum feliciter incidi ſolitum. pag 121.

CAPUT VI.

Quando Partus Cæſareus in vivente probandus, vel improbandus? pag. 129.

CAPUT V.

Doctrina Rainaudi a Michaelis Bodovvingerii obiectione defenditur: et Chirurgorum obligatio in Partu deſperato, vel difficili explicatur. pag. 136.

CAPUT VI.

In Partubus difficilibus, poſſe ut plurimùm in utero ipſo Parvulum baptizari, & hujuſmodi Baptiſmum eſſe validum. pag. 138.

CAPUT VII.

Diluitur Objectio ex S. Auguſtino. pag. 145.

CAPUT VIII.

Satisfit aliis Patribus, atque Doctoribus: & proponitur Quæſtio de Baptiſmate Parvuli ſecundinis involuti. pag. 151.

CAPUT IX.

De Monſtris baptizandis. pag. 158.

CAPUT X.

Naſcentes Pueros frequenter Aſphyxià corripi, & Mortuorum ſpecie apparere. pag. 163.

CAPUT XI.

Quomodo vita ſine reſpiratione, & ſanguinis circulatione, ſaltem apparenti, quandoque ſubſiſtat. pag. 172.

CAPUT XII.

Aſphyxiam ex defatigatione in Parvulis, quocumque modo naſcantur, frequentiſſimè obſervari. pag. 168.

CA-

CAPUT XIII.

Speciales ex ponuntur Cauſæ, ex quibus Parvuli nonnati magis quàm Nati Aſphyxiæ ſubijciuntur. pag. 175.

CAPUT XIV.

Præſumendum potiùs naſcentes Parvulos eſſe Aſphyxiâ correptos, quàm vitâ defunctos: eoſque in Aſphyxia vitam præ Natis faciliùs retinere. pag. 177.

CAPUT XV.

Signa Mortis in Naſcentibus eſſe regulariter incertiſſima. pag. 179.

CAPUT XVI.

Remedia tentanda pro Parvulis, qui Mortuorum ſpeciem imitantur. pag. 182.

CAPUT XVII.

Utrum Baptiſmus Conditionatus conferri poſſit Infantibus, de quibus juxta dicta ſuſpicari poſſumus, Aſphyxiâ detineri? pag. 184.

CAPUT XVIII.

Aſſertio de Conditionato Baptiſmate hujuſmodi Parvulis tribuendo, ex Medicis, Theologiſque confirmatur. pag. 186.

CAPUT XIX.

Feifous, aliique Doctores prædicto Baptiſmati favent. pag. 188.

CAPUT XX.

De Submerſis, qui exanimes ex Mari, vel Fluminibus extrahuntur, Digreſſio. pag. 195.

CAPUT XXI.

Naufragos quandoque in aquis vivere poſſe, aliis exemplis, rationibuſque confirmatur. pag. 199.

CAPUT XXII.

Auxilia danda Naufragis, qui e Mari, vel Flumine, veluti exanimes extrahuntur. pag. 202.

LIBER QUARTUS.

De Dei Charitate erga Nonnatos: deque auxiliis, quæ illis a Parentibus, Parochis, Epiſcopis, & Principibus præſtanda ſunt:

CAPUT I.

Quomodo Deus Parvulis in Utero clauſis media ad ſalutem æternam providerit. Parentum culpæ Nonnatis noxiæ, Pietas verò quàm utilis. pag. 207.

CAPUT II.

De quorumdam Sanctorum ante ortum ſanctificatione extraordinaria: & utrum aliquod admittendum ſit Remedium pro Infantibus utero penitus circumdatis. pag. 212.

CAPUT III.

Quæ Parentes pro ſalute Filiorum Nonnatorum agere oporteat. pag. 216.

CAPUT IV.

De Principum Officio circa Nonnatos: & de Cura Projectorum. pag. 218.

San-

Digitized by Google

CAPUT V.

Sancti Franciſci Saleſii exemplo Eccleſiæ Miniſtri, præſertim Epiſcopi, & Parochi, ad procurandam Nonnatorum ſalutem accenduntur. pag. 227.

CAPUT VI.

De Parochorum vigilantia in Obſtetrices, deque ipſarum Examine. pag. 230.

§. I.

De Perſona baptiſatura. pag. 230.

§. II.

De tempore baptizandi. pag. 231.

§. III.

De Baptizantis intentione. pag. 233.

§. IV.

De Perſona baptizanda. pag. 232.

§. V.

De Materia Baptiſmi. pag. 233.

§. VI.

De Forma. pag. 23[illegible].

§. VII.

De applicatione Formæ ad Materiam. pag. 234.

§. VIII.

Monita occaſione Examinis danda Obſtetricibus. pag. 234.

CAPUT VII.

Baptiſmatis domi, ab Obſtetricibus præſertim collati, validitatem eſſe diligentiſſimè diſcutiendam. pag. 237.

CAPUT VIII.

De neceſſariâ Epiſcoporum vigilantiâ pro Nonnatis. pag. 243.

APPENDIX AD LIBRUM QUARTUM.

MOMUMENTUM I.

S. Caroli Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis Benedictio Mulieris Gravidæ, præſertim de cujus infelici partu timetur. pag. 251.

MONUMENTUM II.

Oratio S. Franciſci Saleſii, recitanda a Prægnantibus ex libro 3. Epiſtolarum ſpiritualium, Epiſtola 83. pag. 253.

MONUMENTUM III.

Oratio pro Infantibus Nonnatis vel non baptizatis, propter quam quadraginta dierum Indulgentiam, toties quoties in ſua Diœceſi recitabitur, conceſſit Archiepiſcopus Panormitanus. pag. 254.

MONUMENTUM IV.

Recens Pragmatica Sicula de Partu Cæſareo, & Abortu. pag. 255.

MONUMENTUM V.

Mandatum ſive Edictum perpetuum Protomedici Regni Siciliæ. pag. 260.

ANNOTATIO pag. 264.

MONUMENTUM VI.

Epiſtola Advocati Fiſcalis Magnæ Regiæ Curiæ Siculæ pro ſolemni Pragmaticæ Viceregiæ, & perpetui Edicti Protomedici promulgatione, ad Officiales Juſtitiæ Civitatum, & Pagorum Regni. pag. 365.

MO-

MONUMENTUM VII.

Edictum Archiepiſcopi Panormitani primi in Siciliæ Regno Metropolitani. pag. 266.

MONUMENTUM VIII.

Edictum Petri Galletti Epiſcopi Catanenſis, & Inquiſitoris Generalis, de Partu Cæſareo, & Nuptiali Benedictione. pag. 268.

MONUMENTUM IX.

Edictum Epiſcopi Agrigentini pro Mulieribus Gravidis, & Moribundis. pag. 277.

MONUMENTUM X.

Edictum Epiſcopi Pactenſis. pag. 282.

ANNOTATIO. pag. 284.

MONUMENTUM XI.

Edictum Epiſcopi Cremonenſis. pag. 285.

MONUMENTUM XII.

Articulus octavus Epiſtolæ Edictalis, & Encyclicæ Reverendiſſimi Patris Dominici Pizzi Præfecti Generalis Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis, vulgò Cruciferorum ad Suos datæ ſub initium ejus Magiſtratus. Romæ 3. Cal. Sept. 1751. pag. 287.

MONUMENTUM XIII.

Excellentiſſimi Domini Euſtachii Ducis de la Viefuille Siciliæ Proregis Inſtructiones pro Deputatione Projectorum. pag. 288.

MONUMENTUM XIV.

Mandatum Proregis Encyclicum de Projectis ad Senatus, Juratoſque Patres Civitatum, & Pagorum Regni Siciliæ. pag. 290.

MONUMENTUM XV.

Epiſtola hortatoria Proregis ad Præſules de Projectis. pag. 291.

ANNOTATIO pag. 294.

MONUMENTUM XVI.

Relatio Joſephi Guttadauri Chirurgi Agrigentini de Parvulo ſub defuncti larva naſcente. pag. 295.

C 2

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

De Parochi, aliorumque Sacerdotum ſollicitudine pro Mulieribus prægnantibus: deque Induſtriis ad Abortus impediendos, & de Baptiſmo Abortivorum.

CAPUT PRIMUM.

De Abortu Involuntario.

1. ÆTERNÆ Parvulorum ſalutis maximam prorſus habendam eſſe rationem cordatorum nemo ignoraverit. Inclytus quidem ille Indiarum Apoſtolus Xaverius, eorum Chriſto lucrandorum ſitientiſſimus fuit: ac de eorum Baptiſmate à ſe per infinitos labores, ærumnas, atque pericula toto Oriente miniſtrato, mirè exultabundus, Alumnis ſuis, & Sociis eumdem erga illos præcellentiſſimi zeli ardorem afflare ſepiſſimè conabatur (a). Imo cum ipſorum plurimi à ſe baptizati, ante uſum rationis in Cœlum evolarent, non ſolùm ſibi eorum expetebat patrocinium; ſed etiam Societatem ipſam Romæ commorantem, ut eorum auxilium invocaret invitabat. (b) Et profectò ſapienter: Eccleſia enim de hujuſmodi Parvulorum beatitudine certa, non ſolùm eos cum pompa, & lætitiæ ſignis ac ſummæ Trinitatis glorificatione ad ſepulcrum à cæteris diſtinctum deducit; ſed & in eorum funeris officio ipſorum in communi opem una cum Beatorum Angelorum præſidio expoſcit, quorum conſortio aggregantur. (c)

2. Quæ cum ita ſint, quis unquam negare audebit, etiam Nonnatorum Infantulorum æternæ felicitati ſummâ curâ proſpiciendum? Admiranda ſolis beneficentia ad omnia Viventia ſeſe extendit, etiam minima Inſecta, aliaque tenuiſſima Animalia, quæ ſub humo vivunt, ac terræ latibula inhabitant, nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus. Simili ergo ratione Sacerdotum Chriſti charitas omnibus Hominum generibus conſolere debet, quamvis lucem iſtam nondum aſpicientium, ſed maternis viſceribus incluſorum

(a) Sanctus Franciſcus Xaverius *paſſim in ſuis Epiſtolis. Item* Turſellinus *in ejus vita.*
(b) *Idem Xaverius lib. 1. Epiſt. 5.*
(c) *Rit. Rom. de exeq. Parvul.*

ſorum. Hoc autem præ cunctis aliis de Animarum Paſtoribus dicendum eſt: imo verò una è majoribus curis, quæ Parochi animo, qui verè Parochus ſit, inſidere conſuevit, circa Nonnatorum ſalutem verſatur. Neque id mirandum: Tridentinum enim docet (a) Parochos *Pauperum, & miſerabilium Perſonarum curam paternam gerere divino jure teneri*. Porrò quis unquam Nonnatis pauperior, aut miſerabilior? Hi enim non ſolùm exterioribus bonis, ſed & ipſo rationis, & ſenſuum uſu omnino carent. Imo divinæ gratiæ expertes, ad eam conſequendam non modo actibus ſuis cooperari penitus nequeunt: ſed nec ab aliis in ſtatu illo Sacramentorum incapaci auxilium petere, vel accipere poſſunt. Quo fit ut eorum in Spiritualibus præſertim indigentia extrema ſit ac planè ſingularis. At diligit Chriſtus Pueros hoſce, ſi non complacentiæ amore, utpote Inimicos; intimæ tamen benevolentiæ, quia divino Sanguine ſuo redemptos, ac verè paterna miſeratione erga illos afficitur, cum nulla eos actualis, ac proprii ipſorum peccati macula videat inquinatos.

3. Controvertitur ſanè inter Theologos, utrum Nonnati proprio gaudeant Angelo Tutelari: Sancti Anſelmus, Thomas, Bonaventura, & Franciſcus Saleſius cum Suarezio affirmant: negant verò cum Sancto Hilario Zumel, Valentia, Vaſquezius, aliique; eoſdem uſque ad nativitatem materni Angeli cuſtodiæ attribuentes. Illud indubitatum, eos peculiarem alium Sacerdotem, cujus curæ, ac ſollicitudini præcipuè commiſſi ſint; non habere, quam matris Paſtorem, qui eorum viſibilis, & tutelaris eſt Angelus, ad quem tempore debito ſpectabit illorum Baptiſmatis miniſtratio. Ipſe igitur eos inter ſuos quodammodo Cathecumenos à divina Providentia ſibi creditos, ac futuros olim ſpirituales filios, computabit. Hæc autem ſollicita cura in tribus præſertim capitibus continetur. Primum erit Abortus præcavere, qui vitæ corporali Puerulî ſemper noxii, frequenter etiam ſpirituali, funeſti ſunt; cum facilè Infans, vel ante Abortum ipſum in ventre, vel ſtatim poſt illum, & ante Baptiſmum, extingui ſoleat: invigilare inſuper ut Abortivi ritè baptizentur, ne originali peccato maculati decedant. Secundum eſt Matre gravidâ quacumque ex cauſa moriente, diligentiſſimè ſatagere, ne Puer in illius ventre cum ea ſepeliendus derelinquatur, ſed Partu Cæſareo quamprimum extrahatur, ut vivere poſſit, aut ſaltem Baptizari. Tertium erit inſtare, & efficere ut in Partu difficili Medici opportunis remediis, & ipſo Partu Cæſareo, ſi expediat, periclitanti fœtui ſuccurrant.

4. Et quod ad primùm attinet, ſcilicet ad curam pro impediendis Abortibus; ii duplicis ſunt ſpeciei, Involuntarii, & Voluntarii. Cauſæ à quibus oriuntur Involuntarii, ſunt ferè ſequentes.

I. Mariti in percutienda, vel vexanda Uxore ſævitia.

II. Mulierum imprudentia, ac temeritas in arripiendis itineribus, vel elevandis ponderibus, quæ vires, pro ſtatu ſaltem graviditatis, excedant.

III. Non deguſtati cibi, vel potiones, quorum libentiorem appetitum phantaſia excitaverit. Sæpè enim Gravidas importuna verecundia, aliæque vanæ rationes à poſtulanda hujuſmodi alimentorum delibatione cum maximo Prolis ipſarumque damno retraxerunt.

IV. Intemperantia, & vecordia, qua illæ propriæ ſanitatis, & virium conſervationem non rarò contemnunt.

V. Rixæ, à quibus triſtitiæ, terrores, iræ, perſequutiones, aliaque infortunia oriuntur.

VI. Immoderata jejunia. Quo circa notandum; Prægnantes, expleto tertio menſe, jejunii onere non teneri: nam loco illius ſeſquilibræ ſanguinis, quæ in tributis lunaribus, jam conquieſcentibus, emitti ſolebat; tantumdem chyloſæ ſubſtantiæ ad fœtum dirigitur in ejus alimoniam ceſſurum. Poſt tertium verò menſem, fœtui grandiuſculo, & abundantiori nutritione jam indigenti, non ſufficit amplius: quapropter ut Matres copioſius alimentum communicent, jejunii lege ſolvuntur: eximendæ etiam vel ab ipſis graviditatis initiis, ubi illud moleſtè ferant.

VII. Saltationes, ſeù choreæ.

VIII.

(a) Trident. *ſeſſ. 23. de Reform. cap. 1.*

VIII. Veſtes ad elegantiam affectandam nimis anguſtæ.

Hæc plerique (*a*) adnotarunt cum Scipione Mercurio, (*b*) qui alia etiam à Gravidis vitanda recenſet. Porrò Parochus, cæteríque Sacerdotes, qui zelo pro Puerulis flagrant, prædicare non omittent, Maritum, & Uxorem reſpectivè peccare, ſi prædicta mala, cauſas, & occaſiones Abortuum non evitent: imo ſi contra non ſatagant apta media adhibere, ne ſequatur Abortus: & coram Deo Parricidas eſſe non minus Animarum, quàm Corporum filiorum: atque hoc ſæpius inculcabunt: frequenter enim Chriſtiani ipſi peccatorum iſtorum gravitatem, & conſequentia mala non perpendunt, eorum immane pondus tantùm admiraturi, cum illud in ſtatera divini, tremendique judicii periculo ſuo librari conſpicient, ac eo propriam conſcientiam opprimi experientur. *Indubitatum eſt*, inquit Theophylus Rainaudus, (*c*) *teneri Prægnantem omnia illa præſtare, & omittere jure naturæ, quæ ad fœtus, ſivè animati, ſivè inanimati, jam tamen concepti, debitam curam præſtanda, vel omittenda videbuntur.* Idem de Patre ſentiendum. Quocirca Sancti Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & Iſidorus cum Clemente Alexandrino, Origene, Burchardo, & aliis (*d*) docent: Parentes primis ſeptem à conceptione diebus, ac tempore partui proximo ad abſtinendum à maritali congreſſu obligari propter Abortus timorem. Rainaudus quidem illos à tam gravi onere cenſet eximendos; cæterum illud inconcuſſum eſt apud omnes concubitum, ubi verum Abortus periculum acceſſerit, eſſe ſemper illicitum. (*e*) Notavit autem Bianchius (*f*) ex variis in uſu conjugii inordinationibus, ac effræni conjugum libidine, quas Moraliſtæ, nunc mortalis, nunc ſaltem venialis peccati damnant; non ſolùm Abortus frequenter manare, ſed & vitioſas generationes Partuum difficillimorum, imo deſperatorum, & cum Matris morte conjunctorum origines.

5. Illud etiam à Parochis, aliiſque Sacerdotibus animadvertendum: ſæpè Mulieres Abortum pati propter inopiam, quia vel congruo alimento, ſi famelicæ, vel opportuno medicamine ſi Infirmæ nequeunt adjuvari, vel à laboribus immodicis, ſi ſanitate gaudent, ſeſe ſubducere. Moneant ergo Populum, ſi non ullo umquam tempore ad eleemoſinam teneamur, in iis præcipuè circumſtantiis obſtringi, ne fætus ſcilicet, & Anima, & Corpore pereat: piis proinde largitionibus, & Matri, & Fætui periclitanti ſummo charitatis ardore ſubveniendum. Sed heu quàm quotidiani Paupercularum Abortus! quamque rari Homines, qui propriæ immiſericordiæ tantùm malum adſcribant! Demum Prægnantibus inſervire, ſavore præſertim Prolis, nobile miſericordiæ opus eſt, à Sancto Ambroſio (*g*) exemplo B. Mariæ Virginis commendatum: quę cum cæteroqui propriæ domus ſolitudine maximè delectaretur; tamen ad Eliſabeth feſtinavit.

6. Involuntarii Abortus, ut & pariendi difficultas, vel impoſſibilitas ex diabolica operatione interdum, à Sortilegorum nequitiâ proveniunt. (*h*) Magus Caſtri Bottingenſis in Lanſana Diœceſi faſſus eſt Judici, effeciſſe ſe ut ſeptem ſucceſſivè cujuſdam Mulieris filioli, ac omnes Brutorum fœtus ejus domus, qui ſpatio annorum octo concepti fuerant, in utero interirent, & per Abortum emitterentur. Contra hos Abortus Cere-

(a) Nider *in 5. pracept. Decal. c. 1. lit. f.*
(b) Mercurial. *de morb. Mulier. lib. 1. cap. 4. & lib. 2. cap. 1. & alii.*
(c) Theophyl. Rainaud. *tom. 14. tract. de ortu Infantium per ſect. caſar. c. 11.*
(d) S. Ambroſ. *lib. 1. in Lucam in fine.* S. Hieronym. *lib. 1. contra Jovinianum.* S. Auguſt. *ſerm. 144. de temp.* S. Iſidor. *de ſummo bono l. 2. c. 39.* Clement. Alex. *l. 3. Strom. & Pedagog. c. 10.* Origen. *hom. 3. in Geneſ.* Burchard. *2. Decret. c. 5.*
(e) S. Antonin. *in Summa p. 1. interrog. de 5. pracept. C. Unio.* Tiraquel. *l. 15. connub. n. 141.*
(f) Bianch. *de natural. & vitioſ. generat. p. 2. pag. 76.*
(g) S. Ambroſ. *l. 2. in Lucam c. 1.*
(h) Grilland. Jo: Nider. & Martinus del Rio *Diſquiſit. mag. l. 3. p. 1. q. 3.*

Icones Agnus Dei nuncupatæ, & ſimilia verè Sacra Amuleta, à Prægnante geſtanda, laudantur. (a) Maximè autem indeficiens oratio, ac ſolida Parentum pietas, quę remedia ſunt ſuprema.

Cęterum Latina Eccleſia tres olim quadrageſimas fœminis involuntariè abortientibus impoſuit. Græca verò noſtris quoque temporibus hujuſmodi plectit Abortus, ſaltem propter præſumptionem cauſę remotę, aliorum ſcilicet peccatorum, in quorum ultionem Deus fœtus ruinam permiſerit. Et ſanè expediret ut Parochi etiam noſtri, Abortus involuntarios aliquo moderata caſtigatione mulctarent; id certè prodeſſet in poſterum ad Mulieres ab Abortibus abſterrendas, earumque negligentiam aliquo pacto curandam.

CAPUT SECUNDUM.

Quomodo Parochus voluntarios Abortus impediat.

1. ABortus autem voluntarii à Mulieribus inhoneſtè, ac furtivè concipientibus attentantur: maximè à Puellis ob verecundiam, ac Propinquorum formidinem. Etnici, & Manichæi videntur hęc ſcelera tamquam licita ex profeſſo exercuiſſe. Primis id exprobat Minutius: (b) *Et hæc utique de Deorum veſtrorum diſciplina deſcendunt*. Secundis verò Auguſtinus. (c) Imo quod magis miraberis, Ariſtoteles ipſe Abortum ante fœtus animationem concedit; (d) propterea à Patribus, aliiſque, pręſertim Tertulliano (e) repręhenſus.

2. Chriſtiana tamen Philoſophia, ſive Fœtus ſit animatus, ſivè non; Abortum, & ipſam conceptionis impeditionem damnat, quomodocumque illa fiat: cum nequaquam liceat, Naturam ad dandam Homini vitam ſeſe accingentem diſturbare. Nihilominus non rarò tanta flagitia inter ipſos Chriſtianos emergunt: atque hæc, & ſacrilegę Sacramentorum perceptiones amariſſimi ſunt fructus Impudicitię: quę ſi à nimia, & licentioſa familiaritate foveatur; mali graminis inſtar ubicumque germinare potis eſt, inter ipſos etiam Neceſſarios, Fratres quoque, ac Sorores, imo Parentes, & Filios: quod utinam nunquam eveniſſet!

3. Sanctus Hieronymus, qui fęminex fragilitatis domeſticum vidit experimentum; enormia mala deplorat, quæ in Eccleſiam ipſiuſmet ſæculo invehebat, Sacrarum etiam Virginum damno, luxuriæ peſtis exitialis, atque vaſtatrix: en acerbiſſima ipſius verba. (f) *Ne quis ſibi de ſanguinis propinquitate confideret; in illicitum Sororis Amnon Frater arſit incendium. Piget dicere quot quotidie Virgines ruant: quantas de ſuo gremio Mater perdat Eccleſia: ſuper quæ ſidera Inimicus ſuperbus ponat thronum ſuum. Videas plerumque Viduas antequam Nuptas infœlicem conſcientiam, mentitâ tantùm larva protegere: quas niſi tumor uteri, & Infantium prodiderit vagitus; ſanctas, & caſtas eſſe gloriantur, & erecta cervice, & ludentibus pedibus incedunt. Aliæ ſterilitatem præbibunt, & nec dum ſati Hominis homicidium faciunt. Nonnullæ cum ſenſerint concepiſſe de ſcelere; Abortui venena meditantur; & frequenter ipſæ commortuæ trium criminum Reæ ad inferos perducuntur, Homicidæ ſui, Chriſti Adulteræ, nec dum nati filii Parricidæ.* Simili planè modo conqueritur Tertullianus (g) ætati Minutii coætaneus. *Quantum autem plures de pluribus ſce-*

le-

(a) *Ex Cerem. Rom. l. 1. ſect. 7. c. 8.*
(b) Minut. Fœlix *in Octav. adv. Gentil. n.* 53.
(c) S. Auguſt. *adv. Manich. de morib. eorum c.* 18. *& ſerm.* 144.
(d) Ariſtot. 7. *Politic. cap.* 16.
(e) Tertullian. *lib. de exhort. ad caſtit. & Apolog. c.* 9
(f) S. Hieronym. *ad Euſtoch. de Cuſtod. Virgin.*
(g) Tertullian. *de velam. Virg. c.* 14.

leribus ſuſpectas habebis? Diram liret nolim. Difficilè Mulier ſemel ſit, qua timet fieri, quæ jam facta, poteſt Virginem mentiri ſub Deoiquanta iterum tirra uterum ſuum audebit, ne etiam Mater detegatur? Scit Deus, quot jam Infantes & perfici, & perduci ad partum integros duxerit, debellatos aliquandiu à Matribus: & hæc admittit flagitia coacta, & invita Virginitas. Atque de his Sacrilegiorum, & Abortuum ſpeciebus loquitur, ut Rainaudo videtur; Toletanum Concilium.

4. Si talia ergo crimina pietate olim nitidiùs florente contingebant; poſſunt etiam proculdubio hac noſtra ætate rationabiliùs formidari. Celeberrimus Antiſtes Joannes à Palafòx enarrat: (*a*) ſe matrem habuiſſe a pueritia honeſtam, ac virtuoſam; ſed aliquando lapſam; quæ tamen ad Deum poſtea converſa, rigidiſſimum fundavit, rexitque Monaſterium, & eximiis vitæ ſanctioris exemplis illuſtravit. Hæc in ſæculo Joannem occultè concepit: quapropter dedecus, & indignationem Parentum, & Conſanguineorum fortunæ bonis præſtantium pertimeſcens; fœtum in utero diſperdere conata eſt: ſed Infans virus, ipsà fruſtra nitente, cum ortus eſſet; in ciſta multis pannis cooperta incluſus, ruri inter herbas, & virgulta per notabile ſpatium temporis jacuit derelictus. Jamque eum inde ſublatum, & quamquam non baptizatum in fluminis gurgitem projiciendum Ancilla ad ripam uſque perduxerat; cum Dei providentia Villici ſenis curioſitatem excitavit. Is inſpicere omnino voluit quid fortè in ciſta illà aſportaretur; Infante igitur detecto, eum a Diaboli faucibus eripuit, ſacro Baptiſmate ablui curavit, & in ſua domuncula charitate verè chriſtiana enutrivit.

5. Utinam verò ſola luxuria ad Abortus voluntarios impellere poſſet, neque eis ſeſe immiſceret quandoque paupertas, quæ Mulieres & in Abortum, & in ſimilia facinora præcipites agit.

Sancti Germani Auguſtudonenſis Epiſcopi Pariſienſis Mater, quamvis Viro nupta, & genere conſpicua; attamen multitudinis filiorum, & ægeſtatis impatientià, ut creditur, nihil intentatum reliquit, quo illum de ventre exturbaret: Deus autem contra impiam Genitricis pervicaciam, Puerum, ut ex ejuſdem actis habemus, tutatus eſt, atque ſervavit. Quid autem dicendum de Juvenculis illis, præſertim nobilibus, quæ, vel ut ſuorum blandimenta captent, vel ut futuros partus dolores evitent, vel inſana quadam levitate percitæ, Abortum permant, choreis, ſimilibuſque mediis procurant, eoque obtentò gaudent, ac ſtultiſſimè gloriantur? Quis hæc reputaret poſſibilia? At frequentiſſima ſunt: ut certiſſimà experientià compertum habeo. O rem deteſtabilem, & divina maledictione digniſſimam!

6. Oportet igitur, ut Parochi apertiſſimis oculis vigilent, hujuſmodi attentata coerceant, ac ſepiſſimè præſertim in concionibus doceant: nunquam eſſe licitam procurationem Abortus, etiam fœtus inanimati: quamvis Mater non ſolùm ſibi ignominiam, ſed etiam necem ipſam prævideret: quia actio cum ab intrinſeco peſſima ſit, cohoneſtari non poteſt: quare oppoſitam opinionem Innocentius Undecimus ſub excommunicationis Summo Pontifici reſervatæ pœna damnavit. (*b*) Quod ſi Fœtus Anima ſit informatus; id erit verum, ac voluntarium parricidium, cum enormi qualitate proditorii copulatum: indignum propterea, etiam ex veteri jure, Eccleſiaſtica immunitate; ac præ ſceleribus aliis, quæ contra Proximos, a Matre præſertim, committi poſſint, horrendum: cum innocenti filio vitam temporalem ſimul auferat, & æternam: cæteroqui etiam ſæpè cum ipſius Parricidæ pernicie conjunctum. Abortus enim non ſolùm Fœtum, ſed Abortientem quoque perimere conſuevit. Addent Sixtum Quintum, (*c*) eos, qui quocumque modo Abortum, etiam ante animationem procurant, vel ad eum cooperantur, excommunicationi Summo Pontifici reſervatæ, aliiſque graviſſimis pœnis ſubjeciſſe. Quamvis autem hæc excommunicatio ex Gregorii Decimiquarti indul-

gen-

(a) Joann. a Palafox *in vita interiore cap. 3.*
(b) Innoc. *prop. damn.* 34.
(c) Sixt. Quint. *conſt. 87. Effrænatam.*

gentiâ (a) ad Abortum Fætus animati reſtricta fuerit, ejuſque abſolutio Epiſcopis permiſſa; reliquæ nihilominus pœnæ per Sixtum inflictæ, etiam pro caſu Fætus inanimati, a Gregorio ipſo confirmatæ in ſuo robore permanſerunt. Propterea Delinquentes pro veris Homicidis habentur, ac ſi Eccleſiaſtici ſunt ordinis; omnibus dignitatibus, & beneficiis acquiſitis, & acquirendis perpetuò privati, degradationis Rei conſtituuntur, ut ſæculari brachio tradantur, capitali ſententia puniendi.

7. Sixti autem ſeveritas nimia dicenda non eſt: ea enim multo prius Orientali Eccleſiæ, auctore Sancto Baſilio, placuerat, qui in ſua celebri ad Amphilochium Canonica Epiſtola edixit ut Sixtus: nullum inter Abortus Fætus animati, & inanimati, quo ad pœnas canonicas, faciendum eſſe diſcrimen; ſed æquo jure cenſendos. *Quæ de induſtria Fætum corrumpit, homicidii pœnam luet. Formati autem; vel informis ſubtilitas a nobis non attenditur*. Admonebunt inſuper non deeſſe inſignes Auctores, qui doceant Embryonem Animam accipere primis a conceptione diebus, de qua ſententia fuſiùs infra diſſeremus. Adeout qui Abortum ſollicitat, ſemper manifeſto ſeſe exponat periculo, Infantis Animam in Limbum detrudendi; imo etiam fortè plures juxta numerum Embryonum.

8. Olim verò antiqua Eccleſiæ diſciplina impudicam Mulierem, ex propoſito abortientem, ad publicam, & perpetuam pœnitentiam compellebat, vetabatque ſimul ne ea unquam niſi in mortis articulo abſolveretur: quod tamen Anciranum Concilium (b) ſub Melchiade ad decennium temperavit. Verum multi autumant (c) Concilium Eliberitanum (d) paulò antea celebratum, Adulteram Abortum procurantem, etiam in mortis articulo abſolutione privaſſe; ejus ſalutem efficaciæ tantùm contritionis, & divinæ Miſericordiæ committens: qua ſeveritate neque in ipſos Hæreticos animadvertimus.

9. Quanta autem debeat eſſe Matrum charitas erga Nonnatos, ex eo ſanè colligi poteſt, quod graviſſimi Auctores propugnant: Gravidam ſcilicet, quæ parere nequeat, teneri aliquando ne Fætus in utero abſque Baptiſmate pereat; non tantùm ſpeculi matricis remedium, ſed ipſam Cæſarei Partus inciſionem, cum aliquo propriæ vitæ periculo ſufferre: dummodo mors quaſi certa non inde ſequutura ſit. Hæc Paſtores Animarum explicabunt, nec admonere omittent: Juvenculas, quæ fortè illegitimè conceperint, & Parentes, alioſque Neceſſarios metuant, ad Parochos tamquam ad Patres debere confugere, ut earum vitæ patrocinium in ſe ſuſcipiant: ac ſi circumſtantiæ ferant; eas apud honeſtas Matronas in tuto reponant, aut alio pacto provideant, ne ipſæ cum earum Fætu in ultimum diſcrimen adducantur. Quod ſi Parentes, & Conſanguinei ob diffamationis metum, aliamve juſtam cauſam, Puellam extra domum propriam commorari nollent, & Parochi exiſtimarent eorum curæ, ac fidei in conſervanda infelici illa Prægnante, ejuſque Fætu, non eſſe acquieſcendum; ac multò magis ſi probabilibus rationibus adducti vindictam timerent: eo caſu rem ad Magiſtratum Laicum deferant: ut is aliquâ ſecretâ, judiciali tamen & comminatoriâ injunctione, Conſanguineis ipſis imponat onus, ut partus tempore de Fætu exactiſſimè reddant rationem. Magiſtratum Sæcularem propoſui: nam, ut ipſa experientia me docuit, his in caſibus plerumque magis ille reformidatur, ob pœnas nempe corporales atrociores, quas Delinquentibus infligere poſſet. In clandeſtinis omnibus graviditatibus, quæ in numeroſa Palmenſi Parœcia ſpatio duodecim annorum circiter contigerunt, ubi periculum ſæculari poteſtati delatum eſt; præſervati ſunt ſemper Infantes: non ita tamen A. 1737. cum Vicarius Foraneus damnum avertere ſategiſſet: nam impia Prægnans, Matre adjuvante, contemptis Vicarii minis, natum filiolum, etſi non baptizatum, occidit, ac in ſterquilinio ſepelivit: de tanto ſcelere deinde

(a) Gregor. XIV. *conſt.* 8. *Sedes.*
(b) Concil Anciran. *Canon*. 21.
(c) Mendozza, & Gonzales *in comment. ad Concil. Eliberit.*
(d) Concil. Eliberit. *Canon*. 63.

de convicta, atque confeſſa. Verum quia non raró hujuſmodi Matres viventem adhue prolem terræ mandant; ubi ſceleris habeatur notitia, ſemper effodiendi ſunt quantocitiùs Infantes: nam Bruhierius duos ex eis illegitimos, & juvenem ex vulnere mortuum creditū perhibet ſepultos, ac terrâ obrutos; quorum ſecundus poſt ſeptem a ſepelitione horas, tertius poſt toridem cum dimidia, primus autem fortaſſe poſt majus temporis ſpatium vivi tandem eruti ſunt. (a) Adſtipulatur Majerius apud Muratorium, qui in tertia ex litteris Indicis conſimile de Puerulo recens nato, & ſepulto enarrat exemplum: alteriusſque Infantis meminit, quem inhumana Mater occidere modis omnibus conata fuerat, ac pro verè mortuo dereliquerat. Is quamvis omnino jam gelidus, ac ſine ullo prorſus vitæ indicio, repertus, tandem ſe vivere oſtendit, ac baptizatus, & recreatus, vitam retinuit, & cæterorum more adolevit. (b) Demum Parochus ubi conſideratis circumſtantiis expedire judicaverit; efficiet etiam, ut aliqua Obſtetrix Gravidæ curam ſecretò ſuſcipiat, eam noctu interdum, nec raró viſitando. Profectò niſi miſericors, & ſedula Parochi induſtria talibus cautelis utatur; Fœtus in evidenti perditionis periculo verſabitur. Et verò in eadem Parochia Anno 1732. cum quædam Mulier illegitimè peperiſſet; Infantem in cloacam projecerat; at malum opportunè ſuſpicatus Parochi Adminiſter, cloachæ parietem citò disjiciendum imperavit, ac vivum Puerulum fœliciſſimè extraxit.

9. Commonet ſciendus etiam eſt Populus: omnes in univerſum, quantumvis Extraneos, quibus innotuerit, Mulierem Abortum procurare, aut alios illam ad Abortum cogere medicinis, itineribus, ponderibus, laboribus, verberibus, aut alio excogitabili medio; ſi per ſe ipſos crimen impedire non poſſint; teneri ſaltem quantocitiùs Parocho denunciare, ut ille provideat.

10. Quod ad Medicos attinet, Pharmocopolas, ac ſimiles medicaminum Venditores; graviſſimè peccant, ſi quando remedia præſcribant, aut vendant ad Abortum ciendum: aut eum ſuſpicantur Mulieres, præſertim clandeſtinò prægnantes, aut alios pro eis illa tam pravo fine poſtulare. Idem dicendum de Barbitonſoribus venam ſecantibus abſque Medici præcepto, & in circumſtantiis, ubi timeri poteſt Fœtus ruinam intendi. Ut plurimum antedicti ad hæc vitanda ſeſe obligari non utique ignorant: ea enim omnia ſolent in ipſis Prothomedicorum ſtatutis, ut in Sicilia factum eſt, expreſsè prohiberi. Ceterùm impoſſibilè non eſt in hæc delicta prolabi aliquos, maximè Tyrones: eoque fortiùs in Oppidulis, vel ob inſcitiam, vel quia non ſemper Homines juxta conſcientiæ dictamen operantur. Quo circa non inutile erit etiam prædicta Populo explicare, cum is præſertim juxta ſuperius præmiſſa monendus erit procurationem Abortus, etiam Fœtus inanimati eſſe prorſus illicitam.

11. Inveniet certè Parochus in prædictis, qui putent licere ſaltem Abortum Fœtus inanimati ad Puellam, ejuſque familiam ab imminenti pernicie liberandam; neque id mirum cum & Ariſtoteles errorem iſtum admiſerit: & Hippocrates in praxim deduxerit. (c) Maximè verò quia ex Moraliſtis, quorum libri omnium manibus proteruntur, ipſum olim nonnulli docuerunt; ejuſque erroris damnatio non æquè omnibus Medicis, ac ſimilibus, qui Laici ſunt, nec Theologiam profitentur, innotuit. Sicut ergo facile nimis eſt Mulierculas, alioſque ex indocto vulgo in eadem opinione permanere, ita non impoſſibile eſt in eam aliquando Medicos ipſos impingere.

12. Quod autem deteriùs eſt, fortè Parochus inveniet, qui ex profeſſo, & quaſi ex charitate munus exerceant, medicamina vendendi, ad Fœtus ſive inanimatos, ſive animatos diſperdendos. Hoc ſcelus frequentatur ab inhoneſtis Mulieribus, Lenis, ac ſuperſtitioſis: item ab Obſtetricibus, ad quas Juvenculę, earumq; Matres, aut Vicinæ confugiunt: ut in hoc immani propoſito adjuventur. Jamdudum plures ex his divinâ Providentiâ detectæ in diverſis Siciliæ Civitatibus, & Oppidis, Parochis operam ſuam præſtan-

(a) Bruhier *de Incert. ſign. mort. l.* 1. *c.* 1. §. 10., *& c.* 3. §. 2.
(b) Murator. *Criſt. felic. del Paraguai.*
(c) Hippocr. *lib. de Nat. Puer.*

ſtantibus, in ordinem ſunt redactę. Sed heù quàm multo plures adhuc deliteſcunt! Parochus ergo, ubi eas deprehenderit, diligenter attendat, ne ſolis privatis correctionibus ſit contentus: etenim diabolicæ iſtæ Mulieres ad vomitum redeunt, & numquam emendantur. Magiſtratum igitur ſæcularem imploret, ut efficaciter ejuſdem auctoritate coerceantur. Nolo per hoc ut illas morte, aut mutilatione plectendas curet: unde ipſe irregularis evaderet: ſolùm ſuadeo, ut debitis proteſtationibus non præteritorum criminum ultionem petat, ſed efficax impedimentum, & quaſi aggerem futurorum. In Monteregalenſi Metropolitano Tribunali A. 1732. Franciſco Antonio Brù Cardinalis Cenfuegos Archiepiſcopi Vicario ob egregias virtutes paulò poſt Apoſtolicæ Legationis Judice; Patre meo Aſſeſſore, meque Promotore Fiſcali, hujus criminis poſtulata fuit Muliercula Pſeudomedica, Puella, quæ medicamen aſſumpſerat, ejuſque Mater, ac Soror, quæ illud ipſi procuraverant, Carceribus ergo mancipatæ, ſceleriſque convictæ, ſolemniter excommunicatione majori notatæ ſunt; neque deinde niſi in Platea Cathedralis Eccleſiæ ſupra ſuggeſtum, Populo inſpectante, ac tota Curia aſſiſtente abſolutionem impetrarunt, Impoſita Reis præter alias, diuturni carceris pæna, quæ a ſimilibus perpetrandis cæteros refrænaret.

Verùm expedit, ut Magiſtratus Civiles ex juris communis auctoritate (a) ad pænas duriores, & nonnumquam ad ipſum ultimum ſupplicium devenirent; quò tantùm nefas, ad quod expiandum mors una non ſufficit; ab orbe terrarum exterminaretur. In Sicilia ut homicidæ non ſolùm Abortum procurantes, ſed & ei quomodocumque cooperantes, quacumque fori exceptione poſthabita, nova lege puniuntur. Epiſcopi ſaltem Monteregalenſis Curiæ in ſolemni cenſurarum irrogatione amplectantur exemplum: ita enim non ſolùm Abortus, ſed interdum etiam ſtupra, & ſimilia crimina, quæ ſub ſpe Abortus tentandi committi ſolent; vitabuntur. Secùs verò Conſtitutiones Sixti V.,& Gregorii XIV. magna ex parte optato fine carebunt: excommunicatio enim ab his vibrata, in foro interno non niſi ſcientes impoſitam ſerit, & plerumque ignoratur: ubi verò Cruciatæ Bulla viget, ut in Sicilia, Rei ab illa per approbatum Sacerdotem toties quoties abſolvi poſſunt: caſus enim non amplius eſt Papalis, ſed Epiſcopalis evaſit.

13. Verùm ſi Puella ſeſe in confeſſione de illicito commercio accuſaret; ſolerter, atque prudenter ab ea indagandum an fortè ſit gravida: ſi autem affirmet, Confeſſarius excommunicationis, aliarumque pænarum in præfatis conſtitutionibus contentarum comminatione eam ab Abortu deterreat: nam nimis proclive erit prægnanti Juvenculæ, ut a dedecore, & fortè etiam a nece ſibi caveat, Abortum cogitare.

CAPUT TERTIUM.

De Medicorum in curandis Gravidis cautela ne Fœtui noceatur.

1. QUID autem ſi Prægnantibus periculum mortis non quidem ab extrinſeco, ſed ab intrinſeco, hoc eſt, ab aliquo gravi morbo proveniat? Poteritne Medicus remedium præſcribere, medicinam præbere, quæ vel Abortum, vel Pueri mortem, vel ſaltem proximum periculum trahat alterutrius?

2. Duo ſunt ſcopuli a Medico in ſimilibus evitandi. Primus eſt homicidium corporale miſeri, innocentiſque Fœtus. Secundus eſt ejuſdem ſpirituale homicidium: nam ſi antequam enaſcatur, intereat; baptizari nequit, & in æternum peribit. His ergo prælibatis, diverſa oportet remediorum genera, de quorum licito uſu Medicus dubitare poterit; accuratè diſtinguere.

3. Primum genus eorum eſt, quæ Matri favorabilia, non tamen Fœtui naturâ ſuâ nociva ſunt, ſed tantùm periculoſa: uti purgatio, quæ poſitivè, ut ajunt, no-

(a) *L. Cicero D. D. de pœnis.*

nocere valet Fœtui; quatonus in Matre ſtimulum producendo, Abortus occaſio eſſe poteſt. Item flebotomia, ſeu ſanguinis miſſio, quæ illi damnum negativè ſolet afferre, alimentum ſcilicet ſubtrahendo.

Secundum genus ea comprehendit, quę propter diverſas qualitates per ſe ipſa, & matri ſunt utilia, & ſimul graviter nociva Proli, eam ſcilicet occidendo: aut ex utero per Abortum exturbando. Talia ſunt medicamina lunaria tributa, moventia: quæ tum Matri ſublevandæ, tum Fœtui ſuffocando, vel etiam à ventre expellendo ſunt apta. Tertium denique dicitur illorum, quæ naturâ ſuâ ad Fœtus perditionem diriguntur, & ſolùm indirectè, & per accidens Matri opitulantur; uti violenta Infantis extractio in fruſta per ferramenta, partu jam deſperato.

4. Sanè conſiderato hic pro modo ſolo corporali Fœtus detrimento, ac ipſius temporalem tantùm vitam cum vita Matris comparando: hæc illi meritò præferretur: quocirca ſi Mater in extrema, vel etiam gravi neceſſitate aliquo indigeat remedio; licitè illud aſſumeret, ac proinde Medici, & Obſtetrices licitè ipſum miniſtrarent: dummodo ad primum, aut ſecundum genus pertineat; quamquam Puero ſive negativè, ſive poſitivè, ſive probabiliter, ſive certò nociturum: quapropter poſſet Mater proprio ſanguine ſibi noxio uti, eum extrahendo, quamvis miſer Puerulus nutrimentum exinde amitteret: dummodo ſemper hæc medicamenta ex ſolo fine Matrem adjuvandi tribuerentur, qualitate qua præſtant ipſi favorabili; licet aliâ etiam polleant Fœtui pernicioſa. Quæ verò ad tertium genus ſpectant, omnino damnantur. Quomodo enim licebit Matri vitam propriam conſervare innocentem, ac filium trucidando? Hoc eſt malum ab intrinſeco, ac propterea cohoneſtari nequibit. Imo fatentur omnes illicitum etiam eſſe directè ſimplicem Abortum procurare, ubi Fœtus eſt animatus, aut de animatione dubitatur. Quod Vaſquez, Navarrus, Filiuccius, & Amicus extendunt ad caſum, quo conſtaret Fœtum non eſſe animatum: directè enim Abortum intendere opponitur Naturæ, ac fini generationis. Viva quidem cum aliis aliter ſenſit: perpendit enim Matre moriente, cujus vitæ veluti Aggreſſorem eum reputat; jam amplius animari non poſſe: hoc autem ille cum ſuis ſe docere proteſtatur, ubi probabile non ſit, Fœtum eſſe animatum: verùm hoc opus hic labor eſt: nam hodie maximè de animationis tempore dubitatur, eamque multi ſtatim poſt conceptionem nullaque mora interpoſita evenire opinantur. A fortiori ergo chirurgica Pueri extractio erit rejicienda.

5. Inquiramus autem (inſpecto ſolo corporali homicidio uti ſupra animadvertimus,) utrum poſſimus chirurgicam extractionem in partubus deſperatis aggredi, ſi certi moraliter eſſemus neque Filio ipſi ullam vitæ ſpem ſupereſſe? Videturque prima facie poſſe Gravidam procurare, ut ille cum moderamine inculpatæ tutelæ tamquam maternæ vitæ manifeſtus Invaſor, & Parricida occidatur: cum enim naſci conetur, neque ob viæ anguſtiam valeat; Matrem interimit, eſtque illi vera mortis, & inevitabilis cauſa. Nec deſunt, qui cum Heiſtero ita ſentiant. Alii hoc eſſe illicitum docent. Infans enim eo caſu non eſt Invaſor injuſtus, ſed à natura coactus, cujus auctor eſt Deus: & inhumanum, ac ferum videtur: Matrem velle Filiolo tam crudeliter inferri mortem, ut vitæ ſuæ conſulatur. Perpendendum eſt etiam attentiùs: quod admiſſa tamquam licita in praxi hac actione innumeris Infanticidiis via aperiretur: faciliſſimè namque Matres, Obſtetrices, Chirurgi, baptizato quomodocumque Infante, ſibi perſuaderent, hujus vitam non minus, quam Matris eſſe deſperatam, eumque cenſendum Parricidam, & Invaſorem: quocirca prima opinio ſaltem in praxi locum habere non debet: Sancto Ambroſio dicente. (a) *Si non poteſt ſubveniri alteri, niſi alter lædatur; commodius eſt neutrum juvari, quàm gravari alterum*. Non autem improbarem, ſi Chirurgus peritiam ſuam experiretur in Infante à Matre etiam ferramentis evellendo: ubi cum ſpe utrumque liberandi, quamvis cum aliquo Filioli periculo, id fieri queat. Præſtat in hoc genere Inſtrumentum Palfinianum à

(a) S. Ambroſ. *lib. 3. de offic. c. 9. relat. in Can. Denique 14. q. 5.*

Gregorio emendatum, de quo libro tertio capite primo dicturi ſumus: hoc enim ſæpiſſimè ſalutare fuit Puerulis: neque enim ad eos diſcerpendos, ſed ad vivos extrahendos adhibetur.

6. Hactenus de ſolo corporali homicidio diſceptavimus: verùm ſi ſpirituale etiam præ oculis habeamus, quod cum corporali ſolet eſſe connexum; Theologi pronunciabunt communiter Matrem ad æternam Filioli vitam temporali ſui ipſius longo intervallo præferendam obligari. Proinde ubi de periculo æternæ ſalutis Infantis agatur; infinita circumſpectione incedendum eſt. Et ſanè expreſsè præcipit Chriſtus, ut eo modo Proximum diligamus, quo ipſe dilexit nos, ſpiritalem ſcilicet Hominum vitam ſuæ corporali anteferendo; (a) *Hoc eſt mandatum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos: majorem hac charitatem nemo habet, ut Animam ſuam ponat quis pro Amicis ſuis.* Atque idem repetitur à Divo Joanne: (b) *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam Animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus Animas ponere.* Hoc ergo præceptum nè ſit inutiliter datum, oportet, ut in aliquo ſaltem caſu vigeat: ſi autem in hac extrema ſpirituali miſerrimi Infantuli neceſſitate, neque ipſa Mater eo adſtringeretur: equidem non video, ubi demum poſſit vim ſuam exerere. Vaſquez contendit: Matrem huic oneri non ſubeſſe, nam dubia eſt de ſua æterna ſalute, nec incumbit ipſi ex officio aliena. At ſi maternum officium ad hoc non obligat, quale aliud munus obligaret? Itaque ſi illa de futura Animæ ſuæ ſorte dubitationem patitur; Sacramentis ſibi conſulat, ac ſalutaribus actibus magis, magiſque ſatagat, ut electionem ſuam certam faciat; aliter unuſquiſque eorum, quos Vaſquez ex officio ſupponit adſtrictos, eadem excuſatione gaudebit: quamobrem ipſe Diana, tam benignus alioqui Doctor, communem appellat ſententiam, quæ ſaltem adſtringit Matrem, ubi valdè probabile ſit Fœtum, extrahi poſſe vivum, & baptizari. (c)

7. In dubio autem utrum Fœtus animatus ſit, an non; Inſignes Theologi docent: Matrem teneri ita ſe gerere, ac ſi ille certò eſſet animatus. Quare ſive medicamina ſint tertii generis, ſive ſecundi, ſive etiam primi, licet Fœtui damnum afferant ſolum negativum, ſemper illis erit abſtinendum. (d) Idem dico, ſi de Fœtu jam grandiuſculo utrum mortuus ſit, ambigatur. Sed heu quanta circa hæc quorumdam Medicorum ignavia, vel etiam erga Matronas adulatio! Emmanuel Aguilera clariſſimus Societatis Jeſu hiſtoricus hæc de Joſepho Scammacca viro piiſſimo ſcribit: (e) *Vaticiniorum poteſtate maximè claruit: reliquis prætermiſſis, unum referam. Joanna Moncada Ducis Montiſalti Uxor, ſexto jam menſe gerebat uterum; quum Fœtus moveri deſiit: quæ res in cauſa fuit, ut Medici pronunciarent, partum in utero extinctum remediis abigi oportere. Joanna Joſephum periculi admoneri jubet, & ad ſe quamprimùm venire. Ille ſtatim accurrit, & Prægnantem reperit metu perculſam, quæ poculum manu tenens ori admovere parabat, ut medicinam ſorberet. Eminus exclamat Joſephus* „quid „agis? ſine, quæſo te; *Tum properans* „*poculum è manibus eripit, atque vivit* „Proles, *ait*, & maſcula eſt, & maturo „partu naſcitura, & Ignatii nomine „nuncupabitur: quoniam B. Ignatii patrocinio, „& vitam retinet, & lucem „aſpiciet. „*Quorum nihil excidiſſe eventus declaravit*. Profecto ſi partu inſtante, ubi uterus patet, & Infans contrectari poteſt: nihilominus impoſſibile ferè eſt Infantem certè mortuum judicare, niſi verè putrefactio appareat, uti experimentis comprobant Hildanus, Guilie-

(a) *Joan.* 15. 12.
(b) 1. *Joan.* 3. 16.
(c) Dian. *coord. t.* 5. *tract.* 6. *reſol.* 41. Laiman. *Theol. mor. l.* 3. *p.* 3. *c.* 4. *n.* 4. Leſſ. *l.* 1. *c.* 9. *dub.* 9. *n.*63. Sanchez. *de matr. l.* 9. *diſp.* 20. Dicaſtill. *de juſt. l.* 2. *tract.* 5. *diſp.* 10. *dub.* 13. *n.* 168.
(d) S. Antonin. *in Summ.* Natal. ab Alex. *Theolog. Dogm. l.*4. *Dec. reg.* 14. Pontàs *Diction. caſ. conſc. v. Abortus*. Genett. de 5. *præc. Decal. c.* 1. *q.*12.
(e) Aguilera *Prov. Sicul. hiſt. t.* 2. *c.* 5. *ad Annum* 1627. *n.*17.

lemeaus, Heiſterus, aliiqne celeberrimi Chirurgi, & nos alibi demonſtrabimus: (a) quantomagis ante pariendi tempus nihil de Fætus morte ſtatuere poſſumus?

8. Cæterum in praxi Mater ad ſeſe à remediis abſtinendum raró cogetur: non quidem propter Vaſquezii rationem, ſed quia regulariter modus in promptu eſt, quo & illi ſubveniatur, & Pueruli damnum arceatur. Aliam à Vaſquezio terit viam Sanchez. (b) Aſſerit is Matrem tunc teneri à ſimilibus medicamentis cavere; cum ſpes baberetur probabiliſſima, quod illis non adhibitis, ubi deinde ipſa fato cederet, Parvulus in lucem vivus educi poſſet. Verùm ſubjungit: *Exiſtimo tamen caſum hunc rariſſimum eſſe, at moraliter impoſſibilem. Matris enim morbo laborantis lætbali, corrupti humores alimentum, quo Puer nutriendus eſt, inficiunt, ut penè miraculum ſit, Matre pereunte, Fœtum evadere intolumem.* Hæc opinio placet Roncagliæ, ac fortaſſis etiam aliis. At pace tantorum Auctorum aliud eſt dicere, *Matre pereunte miraculum penè eſt, Fœtum evadere incolumem*: hoc eſt abſque læſione (nam hoc rigoroſè denotat illud *evadere incolumem*) nimirum, ut quemadmodum cæteri naturaliter orti, *diutiùs vivere, & adoleſcere valeant, & ad ætatem perfectam pervenire*: aliud eſt poſſe Matri tanto tempore ſuperſtitem eſſe, quantum extractioni, ac Baptiſmo ſufficiat. Primum certè difficile eſt, vel quia Infantes læſionem aliquam ex morbo Matris contrahere ſolent, vel quia immaturi evelluntur. Difficile dixi, non impoſſibile: cum ex hiſtoriis habeamus quamplurimos, Partu Cęſareo extractos in celebres Eroes evaſiſſe. Secundum verò facillimum eſt, nec video quomodo appellari queat impoſſibile, quod innumeris experimentis revera quotidie evenire comprobatur: uti ſuo loco luce meridianà clariùs demonſtrabo.

9. Si autem in talibus verſaremur circumſtantiis, in quibus nulla ſpes probabilis effulgeret, fore ut Fœtus Matre mortua vivus eruatur, tunc præberi poſſet medicina Matri utilis, etſi per accidens ab ea Abortus, vel etiam mors Infantuli timeatur. Attamen in praxi non ſolùm difficile, ſed ferè omnino impoſſibile eſt, abſque temeritate judicare nullam ſpem Fœtui ſupereſſe, ut Matri ſupervivat, ſaltem quouſque media inciſione ab utero extrahatur, & baptizetur. Pręterquamquod dubium ſæpè eſt, utrum Mater medicamine illo Fœtui periculoſo revera liberanda ſit: ſicuti dubium, aut ſaltem non certum erit, in morbis acutis liquidorum, utrum Ægrota moritura ſit, ſi eodem abſtinuerit: etenim quàm ſæpè quos Medici capitis damnaverant, a Natura ſunt abſoluti? Quapropter doctrina iſta, quantum ad praxim attinet, ferè inutilis eſt.

CAPUT QUARTUM.

Juxta hodiernam Medicorum prudentiſſimam conſuetudinem remedia plerumque Matri propinata Fœtui non nocere.

1. QUAMVIS difficile non ſit, nec moraliter impoſſibile, nec penè miraculum uti putavit Sanchez, Fœtum, ſive grandiuſculum, ſive minuſculum, aut minimum tandiù poſſe Matri defunctæ ſupereſſe, donec in lucem educatur, & Baptiſmate abluatur, quod ſupra indicavimus: nihilominus raró in praxi occurrere arbitror, ut peccent, & Medici medicamina Fœtui noxia præſcribendo, & Gravidę illis utendo. Quocirca ſupponendum quod Theologi, aſſerentes Pręgnantem teneri potiùs mori, quàm remedia Abortum ciere valentia admittere; loquuntur de periculo Abortus, conjuncto cum periculo mortis Fœtus in utero ſine Baptiſmate. Tunc enim ſolummodo Mater tenebitur ſuæ temporali æternam Filii vitam præferre: verùm ſi daretur caſus, quo ſecuri eſſemus, periculum ſubeſſe tantummodo circa Abortum; non verò circa illius mortem in ute-

(a) *Infra l. 3. a cap. 10.*
(b) *Loc. cit. n. 17.*

utero, antequam exeat, & baptizetur: qui caſus non eſt impoſſibilis, ubi Fœtus eſſet maturior, ac tempus pariendi propinquum; tunc Mater non teneretur pro conſervanda ſola temporali Filii vita, profundere propriam. Suppono etiam, quod quando in hac materia de mortis, vel Abortus periculo ſermo eſt; intelligatur ſemper de proximo, non verò tantùm de remoto: non enim æquum eſt, propter ſecundum Gravidæ tam grave onus imponi.

2. His igitur prejactis: duo ſunt remedia Medicis in curandis Prægnantibus uſitatiora, de quibus etiam ut plurimum loquuntur Motaliſtæ: Flebotomia ſcilicet, ſeu ſanguinis emiſſio, & purgatio: utrumque autem juxta ſuperiorem diviſionem, propriè ad primum medicamentorum genus pertinet: hoc eſt natura ſuâ Matri favorabilia ſunt, Fœtui verò non mortifera, ſed periculoſa: ac neutrum ex illis regulariter ſecum affert periculum proximum Abortus, conjunctum cum periculo mortis Fœtus antequam baptizetur. Fateor equidem Hippocratem dixiſſe de primo: (a) *Mulier utero gerens ſanguine e vena miſſo abortit*. Et de ſecundo: (b) *Prægnantes medicamentis purgare oportet, ſi turget humor a quarto menſe ad ſeptimum: ſed has minus: Juniores autem Fœtus, & Seniores vereri oportet*. Nam quo magis tener, vel maturus eſt fructus, eo faciliùs, ut Galenus ait, (r) ab arbore decidit. Nihilominùs Hippocrates hæc ſcripſit præ oculis habens antiquam Medicorum conſuetudinem quà ſanguinem auferebant ad libras, ac totum ſimul: quod idem erat, ac Ægrotas exangues reddere: quare Prægnanti ſolida relaxabantur, & ligamenta Fœtus cum utero ſolvebantur, cum interea alimentum Puerulo deficeret: & ecce inde vel abortus, vel etiam mors ipſius in utero; ſicuti accidit in copioſis Gravidarum Hæmorrhagiis. Hodie verò ſanguis non niſi ad uncias, vel ad ſummum ad ſemilibram aufertur; adeout præfata damna non facilè oriri poſſint. Si autem oporteat in majori quantitate illum extrahere; id fieri ſolet per intervalla. Quamobrem innumeris jam experimentis conſtat ſanguinis miſſionem, quæ cęteroqui Geſtantibus numquam præſcribitur in pede, ubi periculoſior foret; non eſſe ut plurimum adeo noxiam Fœtibus: imo ſępè accidere ſalutarem: ac maximè primis menſibus, in quibus adeo abundat alimentum; ut ipſum Fœtum ſuffocare valeat, ſi per venæ ſectionem huic malo non occurramus: unde ſcripſit Riverius (d) *a primo menſe uſque ad quartum venæ ſectio tutò adminiſtrari poteſt*.

3. Quod verò ad purgationes attinet, Veteres purgantibus fortioribus, & eradicativis utebantur: pręſertim Helleboro, uti ex Hippocrate ipſo videre eſt. Quamobrem orgaſmo in ſpiritibus, ac liquidis concitato magna laudabilium humorum copia peccantibus admiſtorum exibat. Solida interea validè conſtringebantur, & uterum premendo, Fœtum expellebant: qui propter illatam vim, quo delicatior, eo majus incurrebat periculum non tantùm abortus, ſed etiam mortis in utero ipſo. Noſtra verò ætate ars medica purgantium benigniorum ſatis eſt dives: puta Succi Roſarum Priſcis ignoti, Caſſiæ, Mannæ, ac ſimilium; violenta verò obſoleverunt: audiamus Riverium. (e) *Si autem aliter ſenſiſſe videatur Hippocrates; animadvertatur, quod modo longè diverſo nos venam ſecamus, ac Antiqui faciebant, qui ad libras, nos verò ad uncias ſanginem mittimus ....* *Audaciores in hac parte Medicos fecerunt blanda, & innoxia medicamenta, quibus hodie utimur, ut ſunt Rhabarbarum, Mirabolani, Caſſia, Senna, Agaricus, & ſimilia: attamen perpetuo habenda ratio ſententiæ Hippocratis, tutiùſque mediis menſibus; non verò primis, & ultimis; purgantia medicamenta erunt adhibenda*.

4. Medicus ergo juxta hodiernum mo-

(a) Hippoer. *Aph*. 30. *ſect*. 5.
(b) *Ibid*. *Aph*. 29.
(c) Galen. *in Aphor*. 5. Hipp. *ſect*. 4. Lazar. River. *Inſtit. Medic*. *l*. 5. *p*. 1. *ſect*. 2. *c*. 4.
(d) *Idem* River. *prax. medic*. *l*. 15. *c*. 16.
(e) River. *prax. Medic. loco citato* Franciſc. Calmette *in River. reform*.

Digitized by Google

morem ſapienti œconomia, & Matri ſanguinis miſſione, vel purgatione ſuccurrir, & Fœtui proſpicit ne in proximum abortus, aut mortis periculum conjiciatur: (a) imo facillimè remotius reddere poteſt periculum ipſum; ſi nimirum in ſanguinis miſſione miniſtret ſimul cordialia, utatur adſtringentibus, & corroborantibus; ac ubi caſus expoſcit, novam ſubſtantiam Prægnanti elargiatur. Quo verò ad purgantia, præterquamquod ea porrigit quantitate, & qualitate leviora, ſcit etiam illa diluentibus, & dulcificantibus ſociare, ac ſi orgaſmus aliquis inde enaſcatur, eum compeſcere (cautè tamen) opiatis; atque ita videmus abſque gravi damno a Veteribus formidato in praxi ſactitari a Peritiſſimis Medicorum. Scilicet non omnis ſanguinis emiſſio, vel purgatio Abortum inducit: ſecus enim in omnium Gravidarum manu poſitum eſſet fætum pro libito diſperdere; cum cæteroqui experientiâ oſtenderit, & benè adnotavit Calmetus Medicus Monrepeſſulanus, quaſdam in procurando Abortu obſtinatiſſimas, nunquam eum conſequi potuiſſe: quanto magis ergo illum vitatum iri ſperandum eſt, ubi tot cautelę adhibeantur? Sed adhuc majora ſuperſunt dicenda: Sanguinis miſſio, & purgatio prudenter imperatę ſi verè Mater iis indigeat; erunt etiam Fœtui ſalutares, itaut potiùs earum omiſſione ſit ille periturus: etenim ſi vera plethorâ, vel apparenti, ſeu ſpuria laboret Prægnans, nonne etiam Fœtus tenellus ea facillimè ſuffocabitur? Item ſi humoribus peccantibus, & turgeſcentibus abundet ipſa, vel etiam excrementitiis (etſi coctis,) qui tamen e corpore non expellantur; nonne iſti nutrimentum etiam Filio corrumpent, eumque enecabunt? Uno verbo ut plurimùm ea omnia, quæ ad Matris ægritudinem ſanandam idonea ſunt remedia; illa eadem etiam Fœtui ſolent eſſe ſalubria: maximè ſi maternus morbus etiam Fœtum invaſerit: ſaltem proderunt indirectè, quatenus vitâ Prægnantis conſervatâ, major liquidò ſpes concipitur, Puerulum fore victurum, ac ſuo tempore naſcendo, Baptiſmum ſuſcepturum.

5. Quod autem de ſanguinis miſſione, atque purgantibus moderatè præſcriptis diximus, prodeſſe ſcilicet potiùs Infanti, quam obeſſe; id etiam ſimilibus aliis remediis æqua proportione aptandum eſt, etiam diureticis; quæ tamen cum ſint periculoſiora purgantibus, majori cautela indigebunt: damnatis tamen emeticis violentis, ac cæteris, quæ tributa lunaria promovent: ad expellendam enim, aut ſuffocandam Prolem nimis idonea reputantur: imo etiam damnatâ ipsâ ſanguinis miſſione, vel etiam purgatione, ubi perpenſis omnibus, proximum periculum ſubeſſet, ne Puer in utero ſine Baptiſmo interiret: tunc enim neque ad Abortum provocandum, quamvis ex ſolo fine liberandi Matrem, præberi poſſunt: id charitatis, imo etiam juſtitiæ Lege vetante: Mater enim conjugale ſtatum eligens omnibus ejus oneribus voluntariè ſe ſubjecit: quamobrem rigorosè ad ſpecialem Filiorum curam adſtringitur, qui ſtatus ejuſdem ſunt fructus, & ex D. Thoma conjugii finis omnino eſſentialis: nihil autem magis intereſt Filiorum, quam ſalus æterna.

6. Verùm quo ſe vertet Medicus in extrema neceſſitate Matris, quando ex circumſtantiis medicamen propinans Fœtum exponeret proximo, ac manifeſto periculo moriendi in utero, & deinde per Abortum exeundi? Et nihilominus ubi illud non propinaret, idem Fœtus in æquali remaneret ruinæ diſcrimine, quam ſcilicet illi morbus ipſe maternus minitatur; a quo facilè in utero extingui poſſet? Reſpondeo, ſi remedium natura ſua Prægnanti eſſet ſalutare, quamvis per accidens detrimentum Pueri ab eo timeatur; licitè miniſtrabitur: at ſi naturâ ſua æque ſit aptum, & Matri juvandæ, & Filio diſperdendo; res controvertitur. Negat Sylvius poſſe admoveri: alii cum Roncaglia concedunt: dummodo non directè ad Fœtus perniciem; ſed ad Matris revera ſalutem tribuatur: ſic enim conditio Infantis in periculo ex utroque latere æquali eo medicamento non efficitur deterior; maximè ſi ſpes at-

(a) *V.* Ettmuller. *t. 2. l. 4. ſect. 6. c. 3. art. 2. & 3. cum* Zaccuto, & Amato Luſitanis, Panarollo, Caſtro, Sennerto, Scoultio, *& aliis Recentioribus in Celſi doctrina fundatis l. 1. c. 10.*

aſſulgeat Gravidam poſſe per illum ſanari, abſque Filii læſione: tunc enim iſte conditione meliorabitur: quoniam vità Matris conſervatà, congruo tempore incolumis naſciturus præſumeretur. At contrarium dicendum eſt ſi remedio prætermiſſo, ſpes probabilis Infanti ſupereſſet, fore ut ipſe, Matre mortua, Baptiſmum per Cæſareum Partum conſequeretur, quæ ſpes remedium dandò, evaneſceret. Quapropter in Gravidarum morbis curandis nulla cautela, nulla circumſpectio ſuperflua credenda eſt.

7. At dicet aliquis; nimis durum eſſet Prægnanti ſeſe morientem agnoſcere omni auxilio deſtitutam, cum tamen ſuppetat adhuc ſalutaris medicina, ipſi verò juxta traditas regulas deneganda. Caſus, ut fateor, arduus eſt: at non propterea animum illa deſpondeat: nam ſi Ægrotis omnibus ait Spiritus Sanctus: (a) *Fili in tua infirmitate ne deſpicias te ipſum: ſed ora Dominum, & ipſe curabit te*. Quanto magis hoc veluti ſibi ſpecialiùs dictum reputare debebit Gravida; quæ a præſidiis eidem fortè profuturis divinæ Legis amore, & charitatis imperio ſe abſtinet? quod innumeris certè poſſet exemplis confirmari. Contra verò timendum valdè eſſet, ne ſi ea fiduciam ſuam in pharmacis reponat, iis neutiquam ſuffragantibus, pereat propter id ipſum, ut Aſa Judeorum Rex, qui *nec in infirmitate ſua quæſivit Dominum: ſed magis in Medicorum arte confiſus eſt*. (b) Se ergo amantiſſimæ Dei Providentiæ committat, quæ vel protectione ſua vitam, ubi expedierit ipſi tuebitur; quia in Omnipotenti ſperavit: vel cum æterna, & in immensùm præſtantiore, commutabit.

8. Nolui autem hìc diſtinctè enucleare, quæ ſint medicamina magis, vel minus Fœtui nocentia: & quando conveniat, vel formidoloſum ſit ipſa præſcribere, aut quando ea propinata, vel adhibita illi proximum abortus, vel etiam mortis diſcrimen creare conſueverint: hoc enim nimis longum fuiſſet: cum cæteroqui mei non ſit inſtituti de morbis, & curatione Gravidarum pertractare: non deſunt quidem in hoc genere inſignes Libri, ac notiſſimi: præterquamquod ferè omnia in hac materia a circumſtantiis morbi, ac Prægnantis ipſius, tum etiam climatis, aeriſque dependent. Mihi ſufficiat innuiſſe quæ magis neceſſaria ſcitu ſunt Sacerdotibus, præſertim Parochis, ut regulas theoreticas a Theologis traditas, praxi commodè aptare noverint: quæque plerumque a Moraliſtis tacentur. Ad ipſos enim pertinet Populum edocere, quanta ſit Mulierum erga Prolem obligatio charitatis, atque juſtitiæ.

9. Inter officia verò materna illud quoque numeratur: nimirum natæ Prolis enutritio. Et hìc notandum Pauperculas interdum lacte affatim propinato Infantes malitioſè præſocare. Hoc autem rariùs. Illud verò quotidianum: ditiores nimirùm Puerperæ ne, ut ipſæ timent, formæ jacturam ſubeant; Pueros aliis committunt nutriendos: quod ſæpè Matribus ipſis non minùs quàm Filiolis pernicioſum. Et Filiis quidem, quia initiis fraudat honeſtioris, ac ſanctioris educationis. Deinde quia materno prohibet lacte, quod nutriendis magis eſt homogeneum, magiſque ſalutare. Coloſtrum ipſum utpote feroſum, tenue, minus oleoſum, & aliquantò ſtimulans, eſt ſaluberrimum: præſertim quia Pueros a meconio purgat, cujus retentio multa generat mala: quo ſanè beneficio Principum Filii deſtituuntur. Præterea Nutricum intemperantia, præſertim in vino bibendo, lethalis eſt Parvulis. Lac denique pro circumſtantiarum varietate in horas nunc optimum, nunc venenoſum evadit, illas autem ſolus maternus amor attentè circumſpicit, Nutricum verò, præſertim ruſticarum, & rudium, non rara ſocordia parvipendit.

Cæterum vice verſa Filios lactare Matribus utiliſſimum. Eas enim ab inflammationibus uteri, funeſtis febribus puerperalibus, aliiſque malis, & incommodis egregiè præſervat. Natura enim voluit, ut quod Filiis proficuum eſſet, vel damnoſum, id etiam regulariter Matribus ipſis quaſi pro prætio, vel pœna ſimi-

(a) *Eccl.* 38. 9.
(b) 2. *Paral.* 16. 12.

ſimili ratione proficeret, aut noceret: ſtatuitque ſimul ut hujuſmodi legibus plebejæ Mulierculæ, Principeſque Matronæ pari modo ſubjicerentur. (a)

CAPUT QUINTUM.

De inſpectione in omnibus Abortibus facienda, ut dignoſcatur, an Fœtus vivat, ac de opinionum circa tempus animationis, varietate.

1. MULIER verò, quæ prægnans eſt, & eſſe dolet, ubi concepiſſe animadvertit, Abortum ſæpè meditatur: cum verò hoc accidat circa prima conceptionis tempora, in quibus ea ſibi ſuadet Fœtum nondum eſſe animatum; mirum quam facilè in tantum nefas prolabatur. Imo in univerſum Mulieres, etſi tam pravum finem ſibi non proponant; nihilominus putantes primis temporibus Fœtum Anima carere, præcautiones ad illum cuſtodiendum, & conſervandum opportunas, ac ſi unquam aliàs, tum maximè neceſſarias, non ſolùm perſæpè negligunt, ſed & apertè contemnunt. Quò fit ut primo menſe, uti quotidiana docet experientia, frequentiſſimi ſint Abortus. Malum hoc ab ea firma credulitate procedit, quod ſcilicet ante quadrageſimum diem maſculi non animentur, fœmellæ verò fortaſsè non ante octogeſimum, aut nonageſimum. Ex hoc etiam aliud notabile malum oriri comperiet Parochus: nimirum Abortu eveniente, qui Matri aſſiſtunt, ac famulantur, Fœtui nequaquam attendunt, qui tamen ſæpè vivit, ſed illum interire ſinunt abſque Baptiſmate, quandoque in latrinas projicientes, vel in ſterquilinia a Suibus, ut fit, Canibuſque devorandum. Quis hæc non fabulas crederet? Attamen hiſtoriæ ſunt heu nimis veriſſimæ! Imo nuper Matrona e ſublimioribus tertio prægnationis menſe Abortum fecit: at neque Medici, neque Obſtetrices, neque Neceſſarii dignati ſunt inquirere de Fœtus vita, ſed eum perire permiſerunt.

Vigeſimo Maji A. 1745. dum ſcilicet poſtremum indicis hujus libri folium italicè formis excuderetur: Angela uxor Salvatoris Jeracii propter immanes labores, ad quos eam paupertas adegerat, Abortum paſſa eſt: Fœtus minimus, & & non benè obſervatus, creditus eſt ſanguis grumefactus; propterea ſepoſitus, & derelictus. Interim accurrit Catharina uxor Ignatii Cavarretta, qui Thypographo dabat operam: hæc editionis libri occaſione, de diligenti inquiſitione facienda in Abortibus, etiam Fœtuum minimorum audiverat: igitur ejectamenta ſcrutari voluit, ac apertiſſimè deprehendit maſculinum Fœtum completum, & vivum, eumque baptizavit. Is quatuor horaria minuta ſupervixit, & mortuus ad me ab eodem Ignatio ut lætitiæ particeps fierem delatus, deinde in Sancti Joannis Tartarorum Parœcia ſepultus eſt. Alia nuper abortiit, nec curavit inſpicere quid eſſet enixa; tertia demum die Infantem fuiſſe animadvertit; cum ſcilicet ſecundinas emiſit vacuatas Fœtu, quem ſive vivum, ſive mortuum in immundiciarum locum projecerat.

Pernicioſæ autem hujuſmodi ſtultitiæ ubique terrarum graſſari videntur. *Quos Fœtus Abortivos*, quærela eſt eruditiſſimi viri, (b) *ex ignorantia Obſtetricum, & Matrum excipit latrina, quorum Anima, ſi Baptiſmate non fraudaretur, Deum in æternum videret, & corpus licet informe, eſſet decentiùs tumulandum? Sed quibus potiſſimùm ſub gravi culpa competit hanc expellere ignorantiam; nonne Parochis?*

2. Oportet ergo Paſtorem Animarum accuratè Populum ſuum admonere, ſatis probabile eſſe, Fœtus animationem fieri primis diebus: fortè etiam temporis mo-

(a) Boerahav. *de Concept. n.* 689. *&* 690. *ubi* Haller, *aliique apud ipſum*.
(b) Roncaglia *t.* 2. *tract.* 17. *c.* 4. *in reg. pro praxi*,

momento conceptionem ſequente: ac proinde ubi Abortus evenerit, in eo principalem curam eſſe ſtatuendam: ſcilicet in obſervando, quàm attentiſſimè utrum Embryo, quamvis mole minimus, moveatur, adeoque vita donatus appareat, ut de Baptiſmate cogitetur: inſuper numquam licere illum, etſi monſtroſum, occidere.

3. Dixi quamvis Fœtus ſit mole minimus: non ſolùm enim juxta doctiſſimorum Medicorum ſententiam, poteſt multò ante quadrageſimum diem eſſe animatus, quamvis adhuc imperfectiſſimè figuratus; ſed etiam, uti fert multorum opinio, potuit Animam illicò poſt conceptionem recipere. Ut autem pleniùs hujus admonitionis neceſſitas mente comprehendatur; operæ pretium eſt in hoc Capitulo de animationis tempore diſceptare.

4. Satis difficile profectò eſt in Phyſicis quæſtionibus veritatem inveſtigare, ac rara ſunt, quæ in hoc genere certò cognoſcere valeamus: Deus ipſe hoc expreſsè teſtatus eſt, dicens: Homines vix aliquam, eamque minimam partem illius admirabilis œconomiæ, qua univerſam naturam diſpoſuit, atque gubernat, aſſequi poſſe: *Mundum tradidit diſputationibus eorum*, Hominum, *ut non inveniat Homo opus, quod operatur eſt Deus*. (a) Voluit enim Adæ filios ut plurimum divini operis ſui admiratores, ejus utilitatem ſolummodo perſentire, non autem artificium intimè perluſtrare, ac dignoſcere. Peripatetici, etiam Arabes, Naturæ arcana, quorum pleraque, utpotè minus recondita, invenire potuiſſent, rimari neglexerunt, omnia ſuis occultis qualitatibus attribuiſſe contenti; & cum ferè numquam ad experimenta deſcenderent, in indaganda tantùm Ariſtotelis mente laborarunt. At ſi meritò culpantur iſti: deteriorem ſanè viam quidam e Recentioribus arripuerunt, omnia per multiformes, ac imaginarias ſuppoſitiones auſi fidentiùs explicare. Erunt certè veritates quamplurimæ ad Phyſicam ſpectantes, uſque ad Mundi finem prorſus abſconditæ: quò verò ad reliquas, divinæ eſt Providentiæ ſtatuere tempora, quibus, tamquam ex gratia, humano ingenio indulgeat, jam unà, jam alterà nobiliſſimà notitià diteſcere: poſtquam per plura ſæcula ad illud humiliandum, delaſſari permiſerit. Etenim niſi Deus veluti manu ſtudioſos apprehendens in hos theſauros ſuos illos introducat, cæcutiens Mortalium oculus, ac tenebris circumſeptus numquam eorum oſtium reperire potis erit: imo tantò magis ab eo deflectet, quanto curioſiùs inquirere ſatagebit. *Intellexi*, ajebat ſapientiſſimus Salomon, (b) *quod omnium operum Dei nullam poſſit Homo invenire rationem eorum, quæ fiunt ſub Sole: & quantò plus laboraverit ad quærendum; tantò minus inveniet: etiam ſi dixerit Sapiens ſe noſſe; non poterit reperire.*

5. Quid autem de formatione Hominis in utero dicam, quæ, & a Priſcis, & a Junioribus omnibus inter involutiora, & abſtruſiora naturę arcana recenſetur? *Neſcio*, ajebat illuſtris Machabæorum Mater ſanctis, & fortiſſimis Filiis ſuis, (c) *qualiter in utero meo apparuiſtis*. Cæterùm ſi de tanta re Philoſophos interrogaſſet, eos parum ſe ipſa doctiores proculdubio deprælıendiſſet. Id evidentiſſimè comprobat experientia: Carolus Drelineurtius celebris anteacti ſæculi Medicus, ac tremendus Medicorum Cenſor, Auctorum etiam inſignium in doctrina generationis delibatorus errores, non minùs trecentis quadraginta tribus enumeravit, quorum pauci inuſtam cenſuram non merentur: verùm neque ipſe Drelincurtius, ceteroqui ex accuratioribus (ni mea me ſallit opinio) eſt immunis a ſorde. Cathalogum præterea texuit ille ſexagintanovem quæſtionum, quæ in hac materia Anatomicorum conatus & ſtudia fruſtrarunt. Scitiſſimè ergo David Sapientiam Divinam admiratus, eamque exaltaturus, Deo attribuit nobiliſſimi hujus opificii ſcientiam, quod Sancti Baſilius, & Nazianzenus adnotarunt. (d) *Imperfectum meum, hoc*

eſt

(a) *Eccl.* 3. 11.
(b) *Eccl.* 8. 17.
(c) 2. *Machab.* 7. 22.
(d) S. Baſil. *homil.* 9. *in Exam.* Naziazen. *orat. de Theolog.*

eſt Embryonem, uti legitur in Hebræo textu, *viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur*. Et clsriùs Eccleſiaſtes: (a) *Quomodo ignoras, quæ ſit via Spiritus, & quomodo compingantur oſſa in ventre Prægnantis, ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium*. Spiritus iſte juxta Caldaicam verſionem, atque Vatabli eſt Anima Fœtum intrans; adſtipolaturque Sanctus Hieronymus; nam ita interpretatur. *Sicut neſcis viam Spiritus, & Animæ ingredientis in Parvulum*. Via autem hujus Spiritus eſt ejus ingreſſus in Fœtum, cujus tempus deliteſcit. *Ignoratur tamen via ejus*, ait Salmeron, *quia nemo certè ſtatuere valet momentum, quo creatur, & infunditur*. Idem, citato Sancto Hieronymo, ſentit Auctor Dialogi de origine Animæ, Hugo, Cajetanus, Tirinus, & Alii.

6. Inde factum eſt, ut excellentiores Philoſophi, dum hujus pelagi fundum explorarent; animo, & ſpe omnino defecerint: propterea ſapienter Auguſtinus. (b) *Scrupuloſiſſimè quidem inter Doctiſſimos quæri poteſt, ac diſputari, quod utrum ab Homine inveniri poſſit, ignoro: quando incipiat Homo in utero vivere*. Et alibi: (c) *Infantiam ſuam quiſque non recolit, & putas Hominem, niſi Deo donante, poſſe cognoſcere: unde in Matris utero vivere cœperit?*

Verùm non ea ſolùm quæſtio, ſcilicet quo tempore vitam exordiatur Homo? Auguſtino, Hieronymo, cæteriſque Veteribus inextricabilis viſa eſt, ſed & alia, quæ ſit origo Animæ? Nimirùm per creationem, an per productionem? Atque duplex hæc dubitatio mirè illorum defatigavit, ac torſit ingenia. Verùm etſi utraque controverſia multum apud Antiquos fuerit diſceptata; attamen hodie conſtat Animas non educi, ſed ex nihilo creari: incertum ſolummodo eſt tempus creationis iſtius: non enim illud uſque modo manifeſtare dignatus eſt Deus. Igitur poſtquam varias, quæ de Animarum origine viguerunt opiniones, expoſuero; ea, quæ de tempore hujus originis, a Recentioribus præſertim adducuntur, ſubnectam: quamvis enim adhuc obſcura, nihilominus utiliſſima erunt Parocho, ut & Abortus arcere queat, & in Abortibus quid ſibi ſit faciendum, intelligat.

7. Profectò e Veteribus plurimi Animam ſaltem in ejus radice, corpore proprio poſuerunt valde antiquiorem. Manes Manicheorum Auctor, qui duo principia, bonum unum, malum alterum, ſtatuebat, præ cæteris Animæ antiquitatem extulit: Auguſtino enim teſte, (d) ſomniavit, duas quoque nobis ineſſe Animas, in unam implexas, bonam ſcilicet divinæ ſubſtantiæ coæternam, imo ejus particulam; & malam coæternam ſimiliter Deo, ſed a tenebrarum principio exortam. Addebat: olim inter bonas Animas, & malas ſeù genus tenebrarum, obſtinatiſſimè dimicatum, & in mira illa conflictus perturbatione bonas malis inexplicabiliter fuiſſe commixtas: itaut hodie duas unuſquiſque Animas habeamus. Pythagoras autem, quem ſui ſequuti ſunt, nobiliſſimam Animæ originem commentus eſt, quippe qui eam divinæ ſubſtantiæ ſcintillam credidit, atque ab uno in alterum corpus tranſire, quod methempſicoſim, ſeu tranſmigrationem appellabat. Methempſicoſim admiſerunt etiam antiqui Druidæ, & ex Hebræis Saducæi, hodierni quoque Indiarum Bonzii, & Talapoi, qui malorum Animas in Beſtias, quandoque etiam in Arbores amandant. Pythagorici tamen ſua numerorum myſteria proferentes dicebant, ubi Partus eſt ſeptimeſtris tranſmigrationem, ſeu Animæ ingreſſum decimaſeptima die, ubi decimeſtris decimanona contingere: aliqui tamen ejuſdem ſcholę in ſeptimeſtri partu quinto ſeptenario, ſexto verò in nonimeſtri.

8. Nec longè a Pythagora diſceſſit Plato, ſiquidem autumavit, Animas a Dei ſubſtantia provenire: verùm antequam in hæc corpora noſtra deſcendant, cœleſtes Orbes inhabitare atque Planetas. Stoici, & Priſcillianiſtæ Platoni aſſentiuntur. Idem fecit Origenes, addens in pœnam peccatorum olim in Cælo

(a) *Eccleſ.* 11. 5.
(b) S. Auguſt. *in Enchirid. c.* 85.
(c) *Idem de Orig. Animæ l.* 4. *c.* 4. *ad Vincent. Victor.*
(d) S. Auguſt. *lib. de Hæreſ., & lib. de duab. Anim. c.* 1., *& lib.* 1. *retract. c.* 15.

commiſſorum, corporibus alligari, quaſi carceribus, quò naturali, ac perfecta libertate priventur. Is commentum ſuum Davidicâ fulciebat ſententiâ *Priuſquam humiliarer, ego deliqui*; (*a*) quæ autem non de peccato ante generationem, ſed ante punitionem perpetrato, venit intelligenda. Quod ad Rabbinos attinet, (*b*) Animas omnes creatas quidem aſſerunt; ſed multo ante corpora extitiſſe fabulantur: atque in monte Sinai ad Legis promulgationem collectas, ſine qua ad præcepta ſervanda non tenerentur. At ſi Legis naturalis indictio, quæ per lumen rationis, atque ſynderesim omnibus fit Hominibus, non ſufficeret; quomodo ante promulgationem Legis in Sinai tot Infelices aquis diluvii Deo vindice obruti eſſent?

9. Sed miſſis hiſce non ſolùm erroribus, ſed manifeſtis deliramentis, ad opinionem Traducianorum veniamus, in quam propendit Auguſtinus. Celebris erat eo tempore controverſia, utrum omnes Animæ a Deo crearentur ex nihilo, an verò ex Adæ Anima, tamquam a ſtipite per ſemen, uti Vites propagarentur ex traduce. Occidentales, teſte Sancto Hieronymo, maxima ex parte Tertullianum ſequuti, per traducem derivari, & ideo corpori vel ab initio formationis ejus ineſſe opinabantur. Orientales verò communiùs docebant, ſingulas a Deo, ut olim Adami Anima, ex nihilo creari; quamvis in aſſignando creationis tempore diſſiderent: quidam enim in ipſo principio generationis, alii primis diebus, alii cum Ariſtotele quadrageſimo, vel octogeſimo die arbitrabantur infundi. Sanctus Auguſtinus, Sanctus Hieronymus, & Ruffinus in hac quæſtione ancipites certè fuerunt. At primus poſtquam rem diutiùs inveſtigaſſet; contra Pelagium peccati originalis transfuſionem in Adami Poſteros defendere, & explicare coactus; ad ſubſtinendum Animam per ſemen communicari inclinaſſe viſus eſt: ita enim Spiritus noſtri tamquam Adami peccatricis Animæ palmites, ejuſdem peccati participes neceſſariò viderentur. Hic tam magni Doctoris ſenſus controverſiam de origine Animæ involutiorem, & obſcuriorem reddidit; quamobrem poſteriores Patres, uti fusè oſtendunt Cardinalis Noriſius, & Natalis ab Alexandro; (*c*) maxima ex parte circa illam dubii, & perplexi remanſerunt, inſolubilem eſſe pronunciantes. Ita Sanctus Eucherius, Pomerius, Sanctus Fulgentius, Epiſcopi Africani in Sardinia exules in ſua Synodica Epiſtola, Caſſiodorus, Sanctus Prudentius Tricaſſinus, Ugo Victorinus; quodque magis notandum eſt, Sanctus Gregorius Magnus de tam celebri quæſtione conſultus: quin imo Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis ultra proceſſit, inter fidei articulos hoc ipſum accenſens: eam ſcilicet quæſtionem decidi non poſſe.

10. At nihilominùs opinio, in quam proclivior fuit Auguſtinus, poſt Petrum Lombardum, & Lateranenſis Concilii decreta, obſolevit; quamvis Cardinalis Noriſius, & eruditiſſimus Carattinius ſentiant, eam non propterea hæreticam evaſiſſe; dummodo Animæ ſpiritualitas, & immortalitas admittatur. Idem docet Eſtius: etſi Carattinius, neſcio qua de re ipſum quaſi contrarium admirabundus citaverit.

11. Hodie ergo Animam verè ex nihilo creari non amplius ambigitur, poſtquam Theologi omnes Scholaſtici tum ſpiritualitatem Animæ, ejuſque creationem, tum originale peccatum, ejuſque transfuſionem magis illuſtrarunt. Hæc enim declaratur, Legem ſeu pactum ſupponendo, cujus virtute non phyſicè, ſed moraliter voluntates noſtræ in Adami voluntate incluſæ fuerint: atque ita reatus in caſu ejus inobedientiæ participes eſſe debuerunt, ſicuti Adami gratiæ in caſu obedientiæ ipſius participes eſſe debuiſſent. Contra verò ſine hac Lege, ſeu pacto, nequit in rigore ſalvari hujuſce peccati propagatio per Animæ propagationem ex traduce. Cum enim Adam longè priùs quam gigneret Sethum, per quem

(a) *Pſal.* 118.
(b) Calmet. *in ſupplem ad Diction. v. Anima*. Corſin. *t.* 4. *Phyſic. tract.* 2. *diſp.* 4. *c.* 1. *n.* 10.
(c) Cardinal. Noriſ. *t.* 1. *vindic. Auguſt. c.* 4. §. 3. Natal. ab Alex. *Hiſt. Eccleſ. ſæcul.* 5. *c.* 4. *S.* 10.

quem ab illo originem ducimus, in Dei gratiam rediiſſet; Animâ gaudebat denuo ſanctificatâ: quapropter ſi noſtræ ejuſdem non niſi palmites ſunt, intelligi non poteſt quomodo peccatrices inde, ac non potiùs Sanctæ, & Deo Amicæ proceſſerint. Itaque nullo modo oportet ob originale peccatum ſalvandum, ad ſyſtema confugere, quod nec illud explicare valet, neque cum Animæ ſpiritualitate, & immortalitate cohærere.

CAPUT SEXTUM.

Recentiores quidam, Animas cum corporibus in Adamo creatas fuiſſe docentes, impugnantur.

1. Quamquam hodie Philoſophi omnes in eo conveniant, Animam ſcilicet proprio corpore non eſſe antiquiorem, nec ex traduce derivari: attamen Recentiores aliqui poſtquam, uti dicemus, deprehenſum eſt Hominem, omniaque alia Vivipera Animalia non ſecus, ac Ovipera ex ovo fœmineo fæcundato originem trahere; dixerunt, Marem ad ovum fæcundandum, quemdam ei Vermiculum animatum tribuere: & hunc eſſe generationis principium putaverunt: ita Leibnizius, Vvolphius, & Duvigerius. (*a*) Exiſtimant ergo ſpirituales Animas omnes cum ſuis intellectionum, & volitionum actibus, organicisque corporibus jam inde a Mundi exordio fuiſſe creatas, ac in Adami lumbis incluſas, ſingulis corpuſculis alia intra ſe minora, & minora ordinatâ ſerie continentibus. Item ſicuti corpus in matris utero complicatum procedente tempore evoluitur; ita etiam Animam cum propriis actibus tempore debito emergere, ac manifeſtari. Leibnizius ait: Animas iſtas interea vitâ animali vivere, uſquequò Deus illas ratione donaverit, quod transcreationem appellat. Vvolfius inquit manere in ſtatu idearum confuſarum. Duvigerius ultra progreditur: exiſtimat enim omnes Animas in Adami Lumbis ejus peccato aliquem præſtitiſſe conſenſum, etſi non plenè deliberatum: putatque in hoc novo ſyſtemate peccati originalis transfuſionem valdè clareſcere.

2. Ad eam opinionem viam ſtraverunt quidam anteacti ſæculi Philoſophi. Antonius Leuvenoecchius Collegii Londinenſis Profeſſor, & Nicolaus Hartzoecher Belga (*b*) primi & eodem, ferè tempore, ope nobilioris Microſcopii, detexerunt in ſemine Volatilium, & Quadrupedum infinitos natare Vermiculos, ſive Inſecta, quæ ſpermatica nuncupantur, adeo tamen exilia, ut vix eorum centies mille arenæ granulum mole adequarent. Leuvenoecchius ait Europam univerſam tot Homines non ſuſtinere, quot ex his Vermiculis Ipſe in ſemine trium Oſtrearum deprehenderit: ac ſimilia planè admiranda ſe in Quadrupedibus, & Volatilibus vidiſſe teſtatur. Atque eadem omnino prædictus Hartzoecher ſeſe comperiſſe narravit: quo factum eſt ut nonnulli cum Leuvenoecchio veriſimile putantes hæc Inſecta eſſe ejuſdem ſpeciei, ac principale Animal, in quo vivunt; illa eſſe verum generationis principium a ſemine maſculino ovo fœmineo participatum crediderint: quæ poſtea in eodem ovo ſatis aucta, & ad maturitatem perducta, in magna prorſus Animalia evadant: ac proinde quæ virile ſemen inhabitant eſſe Hominum originem: quamquam reclamaverit præclara diſſertatione Liſterus. (*c*)

(a) Leibniz. *Eſſai de Theodicée ſur la bonté de Dieu, la liberté dell' Homme, e l'origine du mal. p. 1. n. 91.* Chriſt. Vvolph. *Pſycolog. ration. ſect. 4. c. 2. §. 719. & Theolog. nat. p. 1. c. 5. §. 780.* Raſſiels Duvigier. *tract. de l' eſprit. dell' Homme c. 14.*

(b) *Actus Philoſophici n. 141. p. 1150. Diar. Eruditor. A. 1678.*

(c) *Vide etiam eumdem* Liſter. *in tract. de Humor.*

3. Poſt Leuvenoecchium, & Hartzoecherum Andryus eaſdem obſervationes habuit, ſcripſitque hæc Inſecta, quamvis in Mulieris utero gradatim in Infantes tranſmutentur; attamen dum adhue virili ſemine inſunt, nonniſi ſimplices eſſe Vermes: idemque ſentiendum de iis, quæ in aliis Animantibus inveniantur. Delempatius interea dixit ſe depræhendiſſe, illa primo intuitu Vermes, revera ejuſdem eſſe ſpeciei, ac Animal principale: imo cum unum ex his grandiuſculum, dum exuvias deponeret in humano ſemine perſcrutaretur; planè in eodem crura cum tibiis, pectus, & brachia, qualia in cæteris Hominibus, vidiſſe; caput etiam tegumento ad inſtar cucullæ coopertum, caudam verò quartum vel, quinquies toto corpore majorem; denique illud ut alia conſimilia mirabili agilitate luſitare, & caudæ miniſterio liquidorum undas percutiendo velociſſimè pernatare.

4. Omnes verò, ut lepidè Carattinius, invident oculis, & microſcopio Delempatii: ut enim nemo ante ipſum, ita nemo poſt, perquiſitionibus quamvis accuratiſſimis potuit unquam aliud, quam meros Vermiculos conſpicari. Porrò Delempatius, etſi propria phantaſiâ deceptus: numquam tamen auſus eſt dicere, ſuos hujuſmodi Homunculos Anima rationali jam præditos. Quod autem omiſit ille, præſtitit Vvolphius, & cum eo Nonnemo, ſuperaddentes cuncta hæc minutiſſima Animalia humanum ſemen incolentia olim in Adamo creata. Scio celebres Danielem Clericum, & Jacobum Mangeti de ipſorum Vermium exiſtentia dubitaſſe, nimirùm ſuſpicatos aliud non eſſe, quam viſcidas, ramoſaſque ſeminis particulas diverſimodè configuratas, & inter ſe complicatas, quæ a vario liquidorum, quibus inſunt, perpetuoque motu agitentur: illudi tamen oculum res adeò exiles microſcopio intuentem. Verùm Valliſnerius, qui etiam Vermiculos iſtos primò negavit: cum eos deinde excellentiori microſcopio, a Paulo Beni commodato pervidiſſet; eorum veritatem confeſſus eſt, & ipſorum delineationem exhibuit.

5. Admiſſis ergo tamquam indubitatis Animalibus his, cum de ipſis tot celeberrimi Anatomici obſervatores mirè conſentiant: novum tamen ſyſtema Vvolphianum communiter exploditur. Vermes enim ſeminales nec Homines ſunt, nec humanæ generationis initium: quod multis, clariſque rationibus comprobatur.

Primò illi non ſolùm natare conſpiciuntur in virili ſpermate, ſed etiam in muliebri illa limpha, quam ad unum Veteres fœminatum ſemen putaverunt: (a) imo infiniti Vermes in ipſo ſanguine, ac in omnibus humani corporis liquidis, ac membris apparent. Scatet etiam eiſdem & aqua, & aer: ubique denique inveniuntur. Bianchi de naturali, vitioſa, & morboſa generatione integrum, qui tertius eſt operis ejus, tractatum de his Vermibus conſcripſit, qui in unaquaque corporis parte generantur, idemque Nonnulli alii effecerunt. Si igitur in virili etiam ſemine exiſtunt, non propterea aliquid cum generatione commune habent; ſed a Deo creati ſunt, ut ſemen depurent, illud nimirum ſuis motionibus attenuantes, ejuſque impuritates depaſcentes: quo munere ſimiles Vermiculi funguntur in ſanguine, Anguillæ verò in aquis vivariorum. Bianchi cum Miſſembrucchio arbitratur: (b) *Incitamento eſſe, coeundique, ſeu ſemen ejiciendi appetentiam, ſeu naturalem orgaſmum ciere.* Non prætermittendum autem Miſſembrucchium ipſum in ſemine humano diverſorum generum Inſecta comperiſſe; idque exemplo ſpermatici Vermis aſperi, multiſque pedibus celeriter ambulantis, a Plutarco memorati, (c) confirmari: ex quo clarum fit hæc Inſecta non ad hominis originem, ſed ad microſcomi perfectionem, & nobilitatem pertinere. Quod ſi hujuſmodi Vermes principium eſſent generationis, nequaquam ad eam neceſſariò maſculinum ſemen requireretur, cum enim illis etiam fœmina abundet: facilè ex ejus liquidis in ipſius ova ingredi poſſent, eaque fœcundare.

6. Secundò ſi eſſent humani Fœtus, ſem-

(a) Bianch. *de morboſ. generat. fol.* 334.
(b) *Ibid.*
(c) Plutarc. *in Sympoſiac. l.* 8. *q.* 9.

Digitized by Google

ſemper fœcundo in ſemine, numquam tamen in infœcundo invenirentur: & tamen Benius obſervavit oppoſitum, aliqua ſcilicet Juvenum ſemina fœcunda carere Vermiculis; e contra ſcatere ipſis eorumdem ſemina poſtquam illi ſenuerint, & infœcundi effecti ſint. Bianchi etiam teſtatur, eos non ſolùm in Fœminis, ſed etiam in Caſtratis, atque Spadonibus perſpici ſolitos.

7. Tertiò ſi hæc Inſecta Homunciones eſſent jam benè formati, ut imaginatus eſt Delempatius; nihil aliud ipſis in utero reliquum eſſet, quam creſcere: & nihilominus ex innumeris experimentis contrarium conſtat: nam Embryo quamquam præcipuas partes habeat, vel ab initio, ut infra oſtendemus; attamen hæ primò confuſæ ſunt, & involutæ, neque rectè organizatæ, atque diſpoſitæ. Quapropter Fœtus gradatim primis præſertim duobus menſibus a natura formatur, non ſecus ac ſimulacrum, vel imago delineata, quæ in dies figuram, & perfectionem ſenſibili mutatione adipiſcitur: quinimo vegetabilia imitatur, in quibus paulatim ramorum extremitates eum foliis ſeſe produnt, parteſque explicantur. Si tamen ad eludendam objectionem dicant Adverſarii, ab initio meros eſſe Vermes, verùm poſtea in ovulo humanam formam aſſumere, & in Homines verti contendant; conſequens erit eos dum in Patris lumbis verſantur, Anima rationali non eſſe ditatos, ſed tantùm ſenſitiva, quâ abeunte ſuccedat illa: Vermiculi ſcilicet organis, atque ſtructura jam deletis, eoque in Hominem planè commutato.

8. Quartò & hoc ipſum creditu difficilè eſt; ita enim Homo pluries gigneretur; primò Vermis ex ovulo proprio in lumbis paternis, Homo deinde maternis in viſceribus. Quæ duplex geneſis non eſt temerè adſtruenda: nam eum nulla alterius Animalis generatione congrueret. Quidam dixerunt convenire eum generatione Ranarum: quod, Valliſnerio teſte reputandum eſt falſum: diſcrepat etiam a productione Inſectorum, quæ tranſmutantur: puta Muſcarum, Veſparum, Apum, Papilionum, atque ſimilium. Nam primò in his conſtanti obſervatione conſpicitur: Vermem in Nympham, ſeu Chryſalidem tranſire; in ſtatu autem Nymphæ diù perdurare; ejuſque converſionem non niſi paulatim fieri; non enim eſt miraculoſa reſurrectio, ſed naturalis methamorphoſis, quæ tempus exigit, ſi non longiùs, æquale ſaltem illi, quod in primaria generatione inſumi ſolet. Quamobrem videmus aliqua ex Inſectis integros annos in ſtatu Nympharum permanere, ipſaque Veſpa, cujus vita paucis menſibus concluditur, nihilominus Nymphæ conditionem ad quindecim dies producit. Quantum ergo temporis inſumendum eſſet Homini, cujus tam major eſt perfectio, & vita diuturnior?

9. Quintò, quis umquam aſpexit humano in ovo, vel etiam in ovis Quadrupedum, aut Volatilium Chryſalides iſtas? Certè Leuvenoecchius ipſe fatetur ſe poſt infinitas, accurataſque inveſtigationes in ovo fœcundato ipſorum Animalium irrationabilium, nec Vermem umquam reperire potuiſſe. Initio enim graviditatis Anatomici hoc tantùm obſervant, ſcilicet quod macula illa obſcura, quæ prius in ovulo non fœcundato per ſolum microſcopium cernebatur; quæque eſt prima, & informis Hominis figuratio; incipit paulatim augeſcere, atque diſtingui, ac non multò poſt tempore motum oſtendit. Contra verò cum Embryo jam quoquomodo formatus fuerit, apparet quadantenus Vermi ſimilis, quatenus brachia, & crura, aliæque partes nondum ſunt evolutæ, atque explicatæ, at per microſcopium ſufficienter facies aliquid humani ſeſe habere demonſtrat. Nemo tamen dixit ſub his initiis Nympham ſe animadvertiſſe, aut verum Vermem, qui deinde ad Nymphæ gradum pervenire ſit extimandus.

10. Sextò, hæc Inſecta in omnium Animalium ſeminibus æquali ſunt mole, cum tamen ſi Fœtus eſſent, neceſſariò principalis Animantis magnitudini reſponderent.

11. Septimò, in hoc ſyſtemate vix Matris phantaſia in Fœtum agere poſſet, is enim penè totaliter a Patre dependeret Vermem tribuente.

12. Octavò, Partus numeroſi frequentiſſimè provenirent, nam infiniti ex hujuſmodi Vermibus virile ſemen inhabitant: & facillimè complures idem ovulum ſubire, illudque fœcundare poſſent:

cum

cum cæteroqui Gemelli ſub ipſis membranulis progigni queant. At contrarium accidit: imo, fatente ipſo Leuvenoecchio, Animalia, quæ majori Vermium numero abundant, unipara ſunt; & e converſo, quæ minori, multipara.

13. Nonò, hujuſmodi Inſecta diverſi ſunt ſexus. Quare ergo perpetuo veluti ritu, Columbæ ex uno ovulorum Maſculum, ex alio Fœminam excludunt? Porrò ex fortuita, & perpetua tot Vermium agitatione ſæpenumero duo ex illis, ambo Mares, vel Fœminæ ovula ingredi deberent, ac deinde in duos Pullos ejuſdem ſexus evadere.

14. Verùm ſi ex dictis recta Philoſophia ab hoc ſyſtemate evidenter abhorret; luculentiùs ex dicendis idem averſatur ſana Theologia.

Nam primò contra Origenem, & Priſcillianum ſemper credidit Eccleſia: Rationales Animas, antequam corpora procreentur, non exiſtere. Conatur Vvolphius ſeſe tegere dicendo: Eccleſiam Origenem damnaſſe, quod is creationem Animarum ſine corporibus aſſereret, qui error in novo ſyſtemate evitatur: Animæ enim in eo dicuntur quidem a principio in Adamo creatæ, ſed non ſine propriis corporibus. Hoc tamen effugium ad Vvolphium liberandum non eſt ſatis: nam ex Sanctiſſimis Pontificibus Leone, Gregorio, & Gelaſio, imo ex tota antiquitate clarum eſt, errorem in fide reputatum fuiſſe opinari, Animas alium ſtatum, & exiſtentiam ante ſuorum corporum in utero materno generationem habuiſſe. Apparet etiam ex Patribus Parvulos originali peccato per ipſam generationem implicari, & ante eam nequaquam exiſtere ſupponuntur.

15. Secundò, ſi Vermiculi eſſent Homines, Nuptiæ eſſent præceptæ, illicitum verò, & peccaminoſum Votum virginitatis, & continentiæ: cælibatus enim impediret quominus ii in lucem venire poſſent: adeoque innumeros perderet Innocentes; qui in lumbis incluſi tempore, quo naſci exigerent, brevi ad mortem adigerentur, & in æternum perirent. Imo conſequenter Uxores quoque ſteriles repudiari deberent, & matrimonii vinculum omnino diſſolvi; ut Vir de ſecunda Conjuge, quæ Miſellos pareret, ſibi provideret. Eſſet denique Lege naturali præcepta ipſa poligamia, tamquam neceſſaria: nec tamen illa ſufficeret, nam neque pro ſingulis Viris ſexcentamillia Fœminarum, & ultra ullo modo ſatis eſſent, ut innumerabiles illi Homunciones naſcerentur.

16. Tertiò, divinæ repugnat Providentiæ (quæ oculatiſſima eſt, & ad occurrendum neceſſitatibus paratiſſima) tot millia miriadum, miriadeſque millium Rationalium Creaturarum ſine medio ad vitæ uſuram prodeundi, cœleſtemque gratiam conſequendi, adeoque ſine ſalutis æternæ ſpe, dereliquiſſe.

17. Quartò, ut de Inſectis taceam, quibus, ut ſupra dictum eſt, Mulieres in univerſum abundant; hoc dato ſyſtemate, cum plurimi Vermes e virili ſpermate procedentes multo tempore in utero, atque ovario Mulieris deliteſcant; quid ſanè obſtaret quominus aliquis ex iſtis poſt diuturnam Mariti abſentiam, vel mortem in aliquod ovulum penetraret, ipſumque redderet planè fœcundum? Hoc tamen ab experientia eſt omnino alienum: impoſſibile enim erat divinam Sapientiam generationis ordinem ita diſponere, ut ſub ſpecioſo Vermium olim relictorum prætextu Conjugatarum omnium adulteria, & Viduarum impudicitiæ tegerentur. Innuptæ ipſæ licet parientes contenderent ſeſe eſſe caſtiſſimas: dicerent enim paterni ſeminis Vermes ovo, ex quo genitæ fuerunt, communicatos, & in earum corporibus manentes, alios ejuſdem ſpeciei produxiſſe, qui maturis jam poſt pubertatem ovis, in ea ſubingreſſi germinarint. Et quidem ſeminales Vermes ſeſe multiplicant: nam Leuvenoecchius ipſe alios maſculini ſexus, alios fœminini reputat, cum eos duplicis formæ obſervaverit.

18. Scimus a Senatu Gratianopolitano abſolutam Mulierem illuſtri loco natam, quæ cum poſt quartum a Mariti abſentia annum peperiſſet, de adulterio accuſata ſanctiſſimè juravit, ſe thalami fidem omnino ſervaſſe, tantummodo in ſomnio cum abſente Conjuge congredi imaginatam. De qua re conſulti Medici Montepeſſulani, inter quos Hieronymus de Reveſin, & Eleonorus de Bellevàl,

Se-

Senatui Gratianopolitano reſponderunt id eſſe poſſibile, Rem plures enarrant, & Senatuſconſultum typis Pariſienſibus A. 1631. editum eſt. Hoc tamen judicium a quibuſdam politicum potiùs, quam philoſophicum reputatur. (a) Utut fuerit, nemo ex Medicis Conſultoribus ad ſeminales Vermes confugit: creditum porrò fuit, graviditatem jam diù cœptam, & a Marito provenientem, ac naturali cauſa retardatam, lentè proceſſiſſe. Non enim deſunt exempla Partuum poſt diuturnum graviditatis tempus. Sanè ſi Vermibus ſeminalibus ſupradictam prægnationem tribueremus, major inſurgeret difficultas: cum enim innumeri Vermes ſoleant cum ſemine in uterum commigrare, hique vivere pergant, imo ſeſe multiplicent; cur ſemel tantùm caſus ille contigerit, qui neceſſariò deberet eſſe quotidianus?

19. Alia brevitatis gratia prætermitto, ſolùm addens novum hoc ſyſtema pro eo ut originalis peccati propagationem explicet, illam mirabiliter involvere. Porrò ſi Deus omnes Animas in Adamo creavit; illas etiam non ſecus ac Adamum gratia ſanctificante donaverit: quare ergo tantum, quod poſſidebant, bonum alieno peccato amiſerunt? Duvigerius ait, ipſas inſimul cum Adamo præcepti notitiam habuiſſe: cum enim in ejus cerebro Spiritus animales ad præcepti auditionem moverentur; neceſſe erat moveri etiam per conſenſum animales ſpiritus Parvulorum: quapropter etiam in eis ob fibrarum teneritudinem ideam præcepti oportuit ſuſcitari: ac ſimiliter ubi ille diabolicæ ſuggeſtioni aſſenſum præbuit; etiam ipſi Homunculi ex prænotata ratione ad conſenſum commoti ſunt, quamvis quia in ſtatu idearum confuſarum viventes, actum non elicuerint planè deliberatum, ſed ex eorum numero, quos Theologi ſecundoprimos appellant. At peccatum iſtud non amplius originale dicendum eſſet, quod juxta theologicam notionem culpam denotat, quæ non ex propria voluntate, ſed generatione a filiis Adæ contrahitur. Deinde quid ad Infantes pertinuiſſet vetiti pomi comeſtioni aſſentiri? Non erat ejus ſuavitas ad eos perventura: nec ipſi in ſtatu illo ſimilitudinem cum Deo, quam Diabolus proponebat, mente comprehendere, & appetere potuiſſent: nec illâ, qua primus Homo erga Uxorem affectus erat proclivitas, eos in ruinam compuliſſet: quare ergo (mirabile dictu!) omnes pari modo aſſenſi ſunt? Si verò id ita factum eſt: quia Puerorum ſpiritus cum ſpiritibus Adami, tamquam ad uniſonum temperati, & concordes pari modo commovebantur: cur ergo cum Adam peccatum ſuum amariſſima contritione deflevit, non illos quoque pœnituerit? tanto faciliùs gratiam amiſſam recuperaturos, quanto minus Protoparente culpabiles?

20. Mitto quod ſi omnes Animæ cum ſuis corpuſculis, unoquoque eorum alia includente, creatæ olim fuiſſent; jam inde ab initio ſcirent Dæmones quot Homines naſcituri eſſent, quotque generationibus a Mundi fine diſtaremus: quæ tamen cognitio in Evangelio Divinæ Sapientiæ reſervatur. Uno verbo opinio de qua agitur adeo exotica eſt; ut nequidem uti mera hipotheſis venditari queat: cum enim oporteret ut ea ſaltem rem declararet, ac perceptibilem redderet, contrario ſucceſſu omnia confundit, & obſcurat: quapropter non ſolùm illam rejiciunt Valliſnerius, & Bianchi, (b) eamque ex omnibus theologicis locis validiſſimè oppugnat laudatus Carattinius; ſed Zuingerius nimis verminoſam dicit; (c) eos verò, qui in illa defendenda laborarunt; *vermiculoſo conatu id ſategiſſe*. Alii autem ridiculam appellant, Demum Vvolphius ipſe, qui modeſtia, & docilitate gloriatur; eamdem e ſuis libris in Veronenſi editione Ramanziniana expungi permiſit.

CA-

(a) Bartholin. *Epiſt. medic. 16. cent. 1.* Carattin. *de origin. & praexiſt. Anim. c. 17. fol. 145.*

(b) Valliſner. *p. 1. Hiſt. Generat. & p. 1. oper. diver. de verm. ſperm. c. 13.* Bianch. *de morboſ. Generat. fol. 333.*

(c) Zuinger. *in Phyſiolog.*

CAPUT SEPTIMUM.

De opinionibus Joannis Marci, & Ariſtotelis quoad tempus animationis.

1. INDUBITABILE igitur cenſendum eſt, unicuique noſtrum corpori dum in materno utero exiſtit creari Animam, Illud reſtat diſcutiendum quo nimirum tempore id fiat. Quatuor autem ſtatus in Fœtu, antequam oriatur, attenduntur.

Primus eſt cum, facta conceptione, formari incipit.

Secundus cum ejus Cor, & Cerebrum, præcipua vitæ organa, perfecta ſunt.

Tertius cum partes ſuas omnes jam habet diſtinctas, atque formatas.

Quartus cum non tantùm formatus eſt Fœtus, ſed taliter adauctus, & corroboratus, ut aeris impreſſioni reſiſtere, atque e materno utero exire poſſit,

Philoſophi ergo, ac Theologi aliquem dictorum ſtatuum eligentes, eidem tempus animationis tribuerunt: nam nihil hic immorandum in explicando ſyſtemate aereo Aſtrologorum ex Ptolomæi fabulis decimam diem animationi aſſignantium. (a)

2. Joannes verò Marcus Protomedicus Pragenſis probabile exiſtimavit, Fœtus omnes dum adhuc maternis viſceribus continentur, Anima rationali carere: cum neque ſenſuum uſum, neque organa ad ratiocinandi officium completa poſſideant: ex quo ſequeretur in nullo Abortu verum committi homicidium, nec in cenſuras, vel irregularitatem incurſum iri. Hæc opinio Duces habebat Platonem, & Aſclepiadem, a Galeno relatos; Protagoram, & nonnullos e Stoicis, dicentes, Animam Puero infundi cum naſcitur, & reſpirare incipit. Non defuere tamen e Recentioribus Theologi, qui eam probarent, neque Univerſitati Lovanienſi diſplicuit. Verùm apertè opponitur Sacris Scripturis enarrantibus, Sanctum Joannem Baptiſtam adhuc ſemeſtrem *exultaſſe in utero*: quod evidens argumentum eſt, multò ante nativitatem Animâ ſanctificantis gratiæ capaci fuiſſe præditum. Si verò ad Animæ rationalis immiſſionem prærequiratur completiſſima organorum, & ſenſationibus, & ratiocinio inſervientium perfectio; ut Marcus cum ſuis opinabatur; expectandus ad animationem ſeptimus annus foret, quod nemo ridiculum eſſe non videt. Sanè a Plutarcho, atque Tertulliano memoriæ proditum eſt Heraclitum, ipſumque Aſclepiadem cum quibuſdam Stoicis, falſo illo principio ductos, eouſque tandem deveniſſe, ut adventum Animę Rationalis in Hominem ad pubertatem ipſam rejecerint. Itaque Joannis Marci propoſitio inter proſcriptas ab Innocentio Undecimo vigeſimum quartum locum obtinuit.

3. Secunda ſententia eſt Ariſtotelis. Docet is venire Animam toto Embryone cum ſuis partibus diſtincto, atque formato, etſi non adaucto, corroborato, & ad nativitatem idoneo. Verùm de tempore quo plena formatio contingat, non convenit inter Ariſtotelis Sectatores: aliis tardiùs, aliis citiùs perfici putantibus propter obſervationum varietatem. Nam neque Fœtus omnes æquali tempore matureſcunt, neque ſemper Mulieres in deſignando vero ſuæ graviditatis initio veritatem aſſequuntur: quapropter ex Ariſtotelicis quidam formationem, & conſequenter animationem octuageſimo die poſuerunt: alii verò ſeptuageſimo, ſexageſimo, quadrageſimotertio, quadrageſimoſecundo, quadrageſimo, trigeſimotertio, trigeſimo, quod ex Cardenas, aliiſque Peripateticis patet.

4. Ariſtoteles tamen, qui hujus ſententiæ Princeps eſt, id accidere putat in Maribus quadrageſimo die, in Fœmellis octuageſimo, vel nonageſimo, prope finem tertii menſis, & initium quarti: atque deinde Fœminas tarditatem propriæ organizationis, & animationis cum ce-

(a) *Ex* Richeo *lib. Gynæc. de morb. Mulier. c. 21. & Propoſit. 51. Centiloq.* Ptolomæi.

celeritate creſcendi, florendi, inveterandi, & marceſcendi præ Maribus compenſare. Hujus Philoſophi placitum poſt Petrum Lombardum Scholaſticorum Choriſæum, evaſit commune: etenim cum circa eam ætatem jam Theologi conſenſerint Animas non ex traduce provenire, ſed ſingillatim unamquamque creari: cumque ferè ſimul introducta in ſcholas fuerit lectio, & explicatio Librorum Ariſtotelis, qui penè unus audiebatur, ejus opinionem de adeo tarda animatione cum Divo Thoma Scholaſtici omnes amplexi ſunt. Sed ad hæc maximè contulere libri tum de Spiritu, & Animâ, tum de Eccleſiaſticis Dogmatibus, qui eo tempore ſub Auguſtini nomine circumferebantur. In his enim docetur Animam in organizata jam corpora infundi. Ariſtotelis etiam ſententiam ſequuta eſt Gloſſa cum Juriſtis, omnes denique Medici: itaut ferè univerſalis effecta ſit, ac in eodem gradu permanſerit uſque ad annum 1640., quo Thomas Fienus ipſi bellum indixit. Quamquam, ut veriùs dicam, Medici plerumque nil aliud aſſerebant, niſi Fœtum quadrageſimo die, vel tardiùs conformari, de animatione ſilentes, utpotè quos corporum curâ non verò Animarum haberet ſollicitos. Peripatetici tamen, qui animationem conformationis tempori alligaverant; Medicos laudabant, quaſi in præſenti controverſia ſibi conſentientes. Verùm ad Ariſtotelem redeamus. Scribit ipſe maſculinum Fœtum quadrageſimo die, fœmineum octuageſimo reperiri formatum, & narrat eum diſcerptis membranulis magnitudine majorem Formicam æquare, oculis grandibus, ac genitalibus, cæteriſque membris diſtinctum: itemque ubi in aliquem liquorem immergatur diſſolvi, & liqueſcere, in aqua verò frigida condenſari.

5. At ſummi hujus Philoſophi dictum difficultatibus ex omni latere, iiſque moleſtiſſimis premitur.

Nam primo innumera experimenta demonſtrant, Fœtum non ita ſerò ad magnitudinem Formicæ majoris aſcendere. Petrus Gaſſendus (a) quinque retulit Abortivos, eorumque menſuras. Primus dierum certò duodecim formatus erat a ſummo capite uſque ad pedum digitos; moles tamen tertiæ parti unius Pariſienſis digiti reſpondebat. Secundus vigintiquinque dierum erat dodranti, ſeu novem partibus, vel unciis digiti Pariſienſis æqualis. Tertius, qui quadraginta dierum, duobus digitis, & unciis octo. Quartus erat merum ſcheletrum dierum quadraginta duorum duos digitos cum dimidio habens longitudinis. Quintus trimeſtris, longitudine potius erat quinque digitorum, unciarum octo, & amplius; nimirum quaſi pedis dimidii: itaut quadrageſimo die ſolum Embryonis caput, ſaltem ciceris molem æquare neceſſe ſit. Cum Gaſſendianis concordant Theodori Kerkringii experimenta; quamvis Drelincurtius (b) nimiùm ſeverâ cenſurâ putet ea ex Paræo Chirurgo, qui anno 1598. floruit, excripta fuiſſe. Inſuper Joannes Baptiſta Bianchi primus in Taurinenſi Univerſitate Anatomicus innumeros ex omni penè graviditatis die Abortivos in ſuo Muſæo collocavit, & complurium ex illis exactiſſimam figuram exhibuit. (c) Is igitur affirmat Fœtum a principio uſque ad trigeſimum creſcere in ratione adaucta; ideoque menſurâ motus accelerationis gravium erga centrum: ideſt unum, tria, quinque, ſeptem &c exinde uſque ad finem tertii menſis, creſcere in ratione integra: ſcilicet unum, duo, tria, quatuor &c. Poſtea uſque ad ſeptimum completum in ratione adaucta, ſed non æquabiliter, ut in principio: demum uſque ad finem graviditatis in ratione imminuta: itaut ſi antea trium dierum ſpatio duos gradus magnitudinis aſſequebatur; nunc ſex diebus tres tantummodo, vel etiam minus acquirat. Ex quo deducitur Fœtum trigeſimo die eſſe quinquageſies novies majorem, quam primo die viſus ſit. Porrò idem Bianchi triginta duorum admodum dierum Embryonem, de cujus ætate dubitari non poterat; ferè ovo gallinaceo parem oſten-

(a) Petr. Gaſſend. *t. 2. Phyſic. de Generat. Anim. c. de animat. Fœtus.*
(b) Drelincurt. *de ovis n. 33.*
(c) Bianch. *in tract. de nat. Generat.*

oſtendebat. Quapropter Fœtus ab Ariſtotele viſus paucos fortaſſe dies, non vero quadraginta numerabat: ſed error veriſimiliter in calculo temporis interceſſerat: & nihilominus humana configuratione jam præditus erat. Ex hac ergo Ariſtotelis hallucinatione illius Sectatores putaverunt perfectam organizationem compleri in Maribus quadrageſimo, in Fœminis octogeſimo, vel etiam nonageſimo: at res aliter omnino ſe habet. Sanè præter ſuperiùs allata, Joannes Riolanus celebris Anatomicus Gallus tres Fœtus abortivos refert a ſe perſpectos: primus erat menſis unius, parteſque omnes deſcriptas, atque conſtructas habebat: ex duobus aliis æquè bimeſtribus, unus plenè conformatus, alter verò non ita: adeo verum eſt non omnes Fœtus eodem tempore, nec ſimili ratione perfectionem adipiſci.

6. Secundò magna illa temporis differentia, quam ſtatuit Ariſtoteles inter animationem Maſculi, & Fœmellæ, Peripatus etiam Diſcipulis, e quorum numero Diana, fabuloſa videtur. Diogenes Apolloniates, qui Maſculos quarto menſe formari dicebat, Fœminis, Cenſorino referente, non niſi menſem alium addebat: ſed hoc ipſum rejiciendum: enim verò quis neſciat a Muliere Gemellos diverſi ſexus eodem partu in lucem effundi? Si autem ſimul maturuerunt, ut una orirentur; cur non æquè ſimul ad animationem idonei effecti ſint? Maximè cum id non ſolùm in Mulieribus, Canibus, Fælibus, Suibus, ſimilibuſque Multiparis, ſed etiam in Oviparis perpetuo ritu obſervetur: nam cujuſcumque ſexus fuerint Pulli in ovo incluſi Mares, vel Fœminæ, pari tempore perficiuntur, & ſimul excluduntur. Quod ſi fortè priùs in Fœtu maſculino ſentiatur motus, quàm in fœmineo, id majori vivacitati ſpiritum tribuendum. Sic etiam ſi quandoque fœminilis Embryo nimis tardè compleri viſus fuerit: vel in temporum ſupputatione erratum eſt; vel mora ipſa a particulari cauſa, in generalem regulam non evehenda, originem traxit. Pubeſcunt quidem Fœminæ, antequam Marea: at ex hoc potiùs deduceretur, etiam ante organizari. Neque dicas Puerperas juxta Leviticum (a) præter gravem immunditiam, quæ in partu maſculino propter ſanguinis fluxum ſeptem diebus, in fœminino verò quatuordecim durabat; ob ejuſdem fluxus reliquias, in primo caſu uſque ad trigeſimum ſecundum, in ſecundo uſque ad ſexageſimum ſextum leviter immundas remanſiſſe; nam nihil commune habet terminus durationis hæmorrhagiæ poſt partum, cum termino formationis, ac multo minùs animationis. Enim verò naſcitur illa ex parturiendi conatu, qui ſanguinem ad infimas regiones per vaſa diſtenta, & aperta propellit: fortè etiam, ut ſuſpicatur Ettmullerus, oritur eo tempore fermentatio ſimilis illi, quæ in menſtruatione contingit: notavit enim Deuſingius ſimilia planè conſpici ſymptomata. Cæterùm ſicuti fluxus cauſæ non raro ſunt diverſæ, ac propterea duratio, copia, affluentia, & lentitudo varia deprehenditur, etiam in partubus Fœtuum ejuſdem ſexus, quod Medicis eſt indubitatum: ita nullo modo ad inveniendum animationis tempus facem præbere poſſunt, id enim ab aliis principiis eſt repetendum.

7 Sed validiſſima contra Ariſtotelem eſt objectio deſumpta ex motu, qui, teſte Hippocrate, etiam ſexta die in Embryonibus reperitur, imo etiam ante, ſi Recentioribus fidem habeamus. Verum quidem eſt Ariſtotelem, quem Divus Thomas ſequitur, contendere, Embryonem priùs Anima vegetante informari, ac vita plantæ vivere: illaque corrupta, ſentientem acquirere, ut vita vivat Animali: & hac deſtructâ, Rationabilem conſequi: quamobrem dici poſſet motum primis diebus ab Anima ſentiente procedere. Sed hoc Ariſtotelia ingenioſum inventum nullo modo uſque adhuc majori Philoſophorum numero placuit. Sicuti enim tres Animas coexiſtentes non habemus (etſi non defuerint Ariſtotelici, qui hoc docuerint) ſed unam tantùm, quę omnia ſimul & vegetantis, & ſentientis, & rationalis munera adimplet; ita dicendum eſt hanc ſolam Animam, quæ rationalis eſt, in Embryonem eo tempore ſaltem infundi, quo is incipit propriam ani-

man-

(a) *Levit.* 22. Valdès *de Sacr. Philoſ. c.* 18.

mantis vitam habere, ut functiones omnes, quas juxta præſentem organorum majorem, vel minorem perfectionem exercere valet, exequatur. Sedulò enim perpendere oportet hæc duo valdè inter ſe diſcrepare; nimirùm Animam præſentem eſſe rationalem, & Animam præſentem ut rationalem operari: ſecus dici poſſet Animam ſentientem uſque ad ſeptimum annum, vel ſaltem uſque ad nativitatem, perdurare: Fœtus enim in utero ſemper dormit: nec ſolùm organa ad ratiocinium perfecta non habet, ſed neque objecta exteriora ſenſibus percipere poteſt. Quo circa omnes, una excepta Conimbricenſi, Academiæ Ariſtotelicam Animarum ſucceſſionem oppugnant: quinimo narrat Vigerius Oxonienſem auctoritate Cantuarienſis Archiepiſcopi eouſque proceſſiſſe, ut illam proſcripſerit, & a Magiſtris ſuis doceri vetuerit.

8. Hodie igitur Ariſtotelici, rejecta communiter Anima ſentiente, docent Embryonem ante Animæ rationalis adventum, ab ipſa Matris Anima informari: (quod tamen aliunde verum eſſe non poteſt, cum in principio prægnationis liber ille ſit, neque adhuc utero Matris mediâ Placentâ alligatus:) vel formâ volunt inſtructum, quam vocant Embryonalem, vel plaſtica, ſeu formatrice virilis ſeminis virtute, quod Alexandro Alenſi arriſit, vel Anima vegetante, quam Galliegua Philippi Tertii, & Quarti Medicus propugnabat, quæ omnes, reſpectivè nimirum, rationali Animæ venienti cedant, & evaneſcant. Atque hi tres ultimi rem explicandi modi rectè intellecti, ſunt revera valdè probabiles, & peripatetico ſyſtemati, ut etiam infra dicturi ſumus; optimè cohærentes.

CAPUT OCTAVUM.

De ſententia docente animationem fieri dum membra principalia formantur, vel poſtquam formata fuerint. Deque ſententia Zacchiæ animationem, ſtatim, & nulla interpoſita mora poſt conceptionem admittentis.

1. ANimæ infuſionem uſque ad totalem Fœtus formationem non differri, ſed ad ſummum perfectis principalioribus organis contingere, Petrus Gaſſendus, atque alii præſertim Recentiores opinantur; nec pauci favent ex Galenicis, & Peripateticis ipſis. Namque iſti ſupponunt poſt paucos a conceptu dies organizationem accidentalem compleri: ſcilicet cum juxta eorum loquendi modum, virtus plaſtica, ſeu formatrix præparationem expleт materiæ ſeminalis, eam diverſis qualitatibus, & accidentibus, ad conflandas tam multas, easque æterogeneas corporis partes idoneis, perficiendo: nam, ut ajunt, calidum temperamentum neceſſarium eſt cordi, frigidum cerebro, ſiccum oſſibus, humidum ſanguini, & carni. Organizatione accidentali completa, Natura ſubſtantialem aggreditur, ideſt membrorum Fœtus formationem: ac primo principalium, ſcilicet Cordis, Cerebri, & Hepatis; deinde reliquorum. Atque hæc diviſio organizationis in accidentalem, & ſubſtantialem apud Peripateticos, præſertim Scotum, Suarezium, & Hurtadum celebria evaſit.

2. Itaque non pauci animationem evenire docent circa finem organizationis accidentalis, quæ coincidit cum initio ſubſtantialis: vel ſaltem quando formatia jam principalibus membris, motus Syſtolicus, & Diaſtolicus inchoatur. Pro hac opinione laudantur ex Antiquis Avicenna, Philoponus, Ugo Victorinus, & Albertus Magnus: ex Recentioribus Rainaudus, Martianus, Cararius, Mercurialis, Garzias, Menas, Mirindolus, aliique a Dandino relati. Quo verò ad tempus, quo dicta organa formata jam ſint, vel ſaltem præparatâ materiâ eorum formatio incipiat: Auctores ad invicem diſtrahuntur: proinde Thomas

Fienus celebris Antuerpienſis Medicus, qui, teſte Caramuele, ingentes theſauros ob ſingularem in arte peritiam ſibi comparaverat; animationem ſtatuit die tertio, rem tribus integris tractatibus proſequens.

Primus inſcribitur, de formatrice Fœtus liber, in quo oſtenditur, Animam rationalem infundi tertia die. *A. 1620.*

Secundus De formatione Fœtus liber ſecundus, in quo prioris Doctrina pleniùs examinatur, & defenditur. An. 1624.

Tertius Pro ſua de animatione Fœtus ſententia, Apologia adverſus Antonium Ponce Sancta Crux. *An. 1629.*

Mirindolus ſeptimo die animationem fieri putavit. Tomai decimoquinto, quando Fœtus, ut ipſe ait, reſpirat. Albertus Magnus, vigeſimoquinto. Cæteris verò ſatis fuit dicere a ſeptimo ſupra. Horum Philoſophorum ſententia quibuſdam Ariſtotelis verbis innititur: multò magis verò Hippocratis auctoritati; nimirum iam in libro *de Natura Pueri*, quàm in alio *de Carnibus*.

3. Profecto quod attinet ad librum de Natura Pueri, in eo narrat Auctor, ſe Embryonem abortivum Puellæ obſervaſſe, quæ Fidicinæ ſamulabatur, quæque ipſo Hippocrate conſilium dante, Fœtum ſaltationibus abjecerat: & quamvis Fœtum appellet *futurum Animal*, quatenus ad omnes humanæ præſertim Naturæ, ſeu ſpeciei functiones exercendas non adhuc aptum; nihilominus refert, eum reperiſſe membranis ad inſtar ovi involutum, quod Recentiorum conſonat. experimentis: additque ipſum jam reſpirationis uſum habuiſſe: ergo vivus erat, quamquam Abortus ſexto die a prægnatione contigerit: en ejus verba fideliter a Græco idiomate tranſlata. *In cujus medio tenue quiddam extabat, quod mihi Umbilicus eſſe videbatur; & ſanè per illum primò ſpiritum intus, & extra ducere:* hoc eſt inſpirare, & reſpirare: quod quidem non ſine motu Syſtoles, atque Diaſtoles, & conſequenter non ſine manifeſta vita in Embryone fiebat.

4. Nec obſtat, bis Hippocratem ipſum in libro de carnibus dicere perfectam organizationem in Maſculis ad ſummùm trigeſimo, in Fœminis item ad ſummùm quadrageſimo ſecundo compleri: quia in quibuſdam Puerperis notaverat ſanguinis plerumque fluxum non ultra trigeſimum a partu maſculino extendi, nec a fœminino ultra quadrageſimum ſecundum. Hoc inquam non obſtat: nam hujus fluxus duratio non reſpondet, uti diximus, menſuræ temporis quod a Natura in formatione Fœtus inſumitur, ac multo minus ipſius finis tempori animationis. Quocirca perperam aliqui citant Hippocratem quaſi docuerit hanc ſolùm ante trigeſimum, vel quadrageſimum ſecundum evenire. Aliud eſt enim aſſerere Fœtum, ut tardiùs, perfectè organizari trigeſimo; aliud verò animari trigeſimo. Primum lego in Hippocrate, non verò ſecundum: imo potiùs oppoſitum; narrat enim in libro de Natura Pueri uti diximus Fœtum jam inde a ſexto die motu potitum, quo ſatis indicat fuiſſe animatum. Itaque in ejus ſententia non eſt neceſſarium pro animatione Fœtum eſſe completum, ſed ſufficit membra magis præcipua eſſe formata. Sanè Bianchius, (*a*) quamvis, ut ipſe obſervaverat, conformationem tardè perfici dicat; nihilominus animationem ſtatuit illicò, & prorſus immediatè poſt conceptum, & in principio motus Syſtolici, & Diaſtolici, opinionem de trigeſimo, vel quadrageſimoſecundo die, falsò Hippocrati affictam omnino rejiciens. *Theologi, Canoniſtæ, Juriſperiti, nec Medicorum, præterquam verè ſcientium, & revera Anatomicorum ſententiis fidant; niſi velint res ſibi imponi, vel ineptiores illis, quæ de ingreſſu Animæ in maſculinum humanum corpus poſt triginta a conceptu dies, in fœmineum poſt quadraginta, & de intima, atque ideo nobiliori obtenta in utero ſede ab illo ex Gemellis fratribus, qui poſtremus in lucem prodierit; ſunt creditæ.*

5. Non tamen hìc negaverim Becherum dubitare utrum Liber de Natura Pueri verè ſit Hippocraticus, & Andream Ciſalpinum Alcmeoni Pythagoræ Diſcipulo eumdem tribuere: quod in eo quædam ſententia doceatur, quam Ariſtoteles Alcmeonem refert tradidiſſe: at conjectura planè debilis eſt. Majori ſubni-

a) Bianch. *de vitioſ. generat. fol.* 22 t.

Digitized by Google

nixus fundamento Augenius opinatus eſt, Librum eſſe Polybi celeberrimi Diſcipulorum Hippocratis: primò enim ſtylus luxuriatur, nec redolet Magiſtri ſobrietatem: ſecundò Hippocrates in ſuo jurejurando promiſerat, Abortibus ſe non cooperaturum: Auctor verò narrat ſe Ancillæ, de qua ſupra, ad Abortum dediſſe modum: tertiò quia Galenus dubitat utrum ſit Hippocratis an Polybi: (a) Reſpondetur tamen librum veriſimiliter ab Hippocrate adhuc juniore conſcriptum fuiſſe ſtylo vivaciori, & ante juramentum: fortè etiam jurantis intentio non niſi Fœtuum animatorum favorem reſpiciebat: cum Ariſtoteles, aliiq; per id tempus Abortum Fœtus inanimati licitum arbitrarentur: potuitque Hippocrates ante hoc experimentum credere, Fœtum tam recentem Animæ non adhuc informatum. Rejes, qui Librum verè putat Hippocratis, hunc ſuſpicatur ſaltationis quidem conſilium præbuiſſe, ut Prægnantem falſa ſpe deluſam a ſe dimitteret, ſaltationem reputans ad Abortum Junioris robuſtæ non ſuffecturam: ſed illam aliis medicamentis ſibi ipſi efficaciùs conſulentem rem confeciſſe. Cæterùm Polybus idem jusjurandum præſtiterat, ſine quo Hippocrates ad medicam artem juraverat ſe diſcipulos non admiſſurum. Si ergo Polybus juramentum effringere potuit, cur non potuerit Hippocrates? qui tandem Homo non minus quam Polybus erat. Quo verò ad Galenum (b) hic fortè dubium ſuum depoſuit, nam pluries Librum ſub nomine Hippocratis, non Polybi laudavit: fortè etiam primus conſcripſerat, at ſecundus cum aliqua elimatione, & additione vulgaverat: vel ſecundus conſcripſerat ſub primi tamen directione, ac magiſterio. Macrobius verò, Erotianus, ac Priſci omnes Hippocraticum, & Hippocrate dignum exiſtimarunt. Feſius egregius Operum hujus Medicorum Principis, Interpres, & Illuſtrator judicat Hippocraticum, & certè continuationem Libri de Natura Hominis, cui in vetuſtis quibuſdam exemplaribus connectitur: addens Librum de Natura Hominis propter Platonis in Phædro teſtimonium eſſe legitimum, atque indubitabile opus Hippocratis. Denique miratur Drelincurtius rem adeo claram in dubium verti: Nam Hippocrates ipſe non ſemel, ſed bis in Libro de morbis Mulierum tamquam ſuum citat alterum de Natura Pueri: atque ego ipſe viceverſa in Libro de Natura Pueri animadverti Hippocratem tractatum de morbis Mulierum promiſiſſe.

6. In libro autem de Carnibus, quem communiter quoque Hippocrati adſcribunt: ita legitur: *Porrò vita Hominis ſeptem dierum eſt, & in ſeptem diebus habet, quæcumque Corpus habere debet.* Adducitque Auctor experimenta a ſe facta in abortivis Meretricum. *Si Moleculam*, inquit ille, *in aquam injeceris: re attentiùs conſpecta, deprehendes Oculorum regiones, & Aures, & Digitos Manuum, & Crura, & Pedes, & Digitos Pedum, & pudendum: & reliquum totum Corpus in conſpicuo eſt.* Id autem ratione confirmans, ait, propterea ſeptimum diem criticum eſſe in morbis acutiſſimis, atque vulneribus. Idem quoque propter Hippocratis auctoritatem alii docuere. Attamen hujus Libri Doctrina ei, quàm in alio de Natura Pueri tradiderat, adverſari videtur. Ibi enim dixit articulationem nunquam in Maribus ante vigeſimum, nec in Fœmellis ante vigeſimum quintum perfici: ex quo etiam patet Fœtum ſex dierum, de quo Liber de Natura Pueri loquitur, non fuiſſe articulatum. Aliqui reſpondent Embryones non omnes æquali ſpatio temporis in omnibus Regionibus formari, Hippocratem verò complures Provincias peragraſſe, ac fortè operam variis experimentis in tota ſua longævitate navaſſe: quam quidam ad Annum 85. alii ad 90., 104. 109. extendunt: atque ita ſententiam variare potuiſſe. Inde Proſper Martianus Commentariis in Hippocratem illuſtris autumat (c) Librum de Natura Pueri editum in juventute, de Carnibus verò in ſenectute, uti etiam ſtylus utriuſque declarat.

7.

(a) Galen. *lib. de format. Fœtus.*
(b) Galen. *lib. Aphor. & lib. de ſem. ac de facult. nat.*
(c) Proſp. Martian. *in not. ad Hippocr. lib. de Carn. n. 216. fol. 50., & ſeq. edit. Rom. 1626.*

7. Alii planè dicunt Tractatum de Carnibus eſſe Polybi : at videtur etiam difficilè Polybum ipſum potuiſſe Fœtua dierum ſeptem diſcernere completoa : niſi dicamus Fœtus ejua Regionis præmaturiùs perfici, aut ſaltem citiùs perfeſectos fuiſſe, quoa Polybus aſpexit : ſicuti etiam ubique inveniuntur, qui ſeptimo menſe naſcantur abſolutiſſimi. Credendum tamen Hippocratem in hoc libro de Carnibus nequaquam perfectam articulationem concedere Fœtui hebdomadali, quam eidem in libro de Natura Pueri negaverat, ſed imperfectam, ac veluti quædam articulationis primordia. His adde aliquem fortè errorem in computo prægnationis irrepſiſſe, quod eſt valdè veriſimile. Utut ſit, cum ex mole non apparuerint ſeptimo die majorea Medico tam inſigni : non multùm ab eo termino diſtare potuerint : maximè cum Petrus Gaſſendua fidem ſuam de Fœtu interponat, qui certe diem duodecimum non excedebat, quamquam uti capite antecedenti diximus, articulatus. Porrò Polybus non circulator erat, ſed dilectiſſimus Auditorum Hippocratia, ejuſque Gener, & ſapientiæ Hæres.

8. Hoc autem extra dubium eſt, ſententiam, quæ Fœtum animari defendit ſeptimo die, quia jam ab inde ſufficienti gaudeat formatione; hodie longè magia amari, quàm Ariſtotelicam, penè apud Medicos antiquatam, uti Gaſſendus ipſe adnotavit. Cum autem hic inter præcellentiores omnium ætatum Philoſophos meritò ſit recenſendus : non hic omittam, eum philoſophicia rationibus adactum in id propendere, ut credat Animam a primo inſtanti conceptionis infundi; (a) quæ ſententia, ut ipſe ait: *Longè planior eſt; quippe nullum invenitur commodius momentum, cum aſſumpto quolibet alio, incredibile fiat, cur non tantiſper expectari debuerit*. Hoc non obſtante, propter Legum auctoritatem, quæ inter Fœtum animatum, & inanimatum diſtinguunt, ſat illi eſt dicere: Animam probabiliter infundi ſeptimo die, at incertam eſſe adhuc rei veritatem, ac ſoli Creatori perſpectam.

9. Sententiæ autem illi, ad quam ita inclinavit Gaſſendus, libentiſſimè, firmiſſimèque adhæſit Paulus Zacchias Medicus, & Juriſconſultus Romanus. Hic in primo ſui Operis tomo opinionem eorum amplexus fuerat, qui ex malè intellecto Hippocrate animationem Fœtus maſculini uſque ad trigeſimum, fœminini verò uſque ad quadrageſimum ſecundum ampliabant. At in tomo ſecundo, qui poſthumus eſt, Alexandro Septimo dicatua, & An. 1661. typis editus, primò dicta revocavit, & multiplici eruditione, ac philoſophicis rationibus adſtruxit: Deum poſt conceptionem creare immediatè Animas, cum ſcilicet juxta Peripateticorum ſcholam, quam ille ſequitur; virile ſemen, atque fæmineum commiſta jam ſunt. Nondum ejus tempore vulgata, & accepta erat Philoſophia, & Medicis Ovarii muliebris Doctrina : quapropter juxta antiquum commiſtionis utriuſq; ſeminia ſyſtema philoſophatur. Nihilominus integro tractatu defendit non propagari cum ſemine paterno Animam, ſed tantùm Spiritus animales, ut maſſam foveant, & Animæ pro mero inſtrumento deſerviant : Animam verò nulla temporis intercapedine poſt conceptionem materialem infundi : ut præſentia ſua, vitalique influxu cooperetur non ſolùm vegetationi, & augmento, quod per interiorem fit alimenti ſumptionem, ſed & formationi, ac perfectè organizationi Embryonis, qui gradatim, ut coaltat, vel ab ipſo principio ſuccreſcit : ac denique Animam hanc non aliam eſſe a rationali; ut plura, atque graviſſima abſurda evitentur, maximè verò ſucceſſio trium Animarum, quæ ſecna abſque neceſſitate multiplicarentur. Quamvis autem ad libri finem proteſtetur ſe probabili tantùm ratiocinio ductum ſcribere, & Eccleſiæ judicio cuncta ſubmittere: (b) nihilominus in ipſa poſthuma editione, ita gravia credit rationum momenta, quibus ejua ſententia ſtatuitur : ut ſibi perſuadeat de eadem non ampliùs eſſe ambigendum.

10. Id autem argumento, proculdubio non contemnendo, confirmat. Celebrat Catholica Eccleſia Beatę Mariæ Virginis Conceptionem, intenditque, ut Alexander

Se-

(a) Gaſſend. *t. 2. Phyſic. de Generat. Animal. cap. de Anim. Fœtus.*

(b) Zacchias *quæſt. Medicolegal. t. 1. lib. 2. q. 9. n. 2.*

Septimus declaravit, (a) de ejus conceptione formali, hoc eſt de primo animationis inſtanti, feſtum agere, non de materiali, quæ ſola, uti Theologi dicunt, non eſſet feſti Eccleſiaſtici objectum. Solemnitas eadit in octavum diem Decembris ex Divina revelatione a Divo Anſelmo examinata, atque probata, a qua etiam feſtum ipſum in Anglia originem ſortitum eſt; quam Plazza ab oppoſitionibus Gerberoni, & Natalis ab Alexandro preclarè vindicavit. (b) Si ergo Nativitas Virginis contigit octavo Septembris, ut ex antiquiſſima Eccleſiæ traditione conſentiunt omnes: ſequitur Virginem, quæ novem menſium ſpatio in materno utero manſit: Animam ſemper Sanctiſſimam, & omni macula immunem, eodem Conceptionis ſuæ corporeæ die accepiſſe; quod cum ipſo Anſelmo una voce dicunt Auctores alii, a Plazza, & Alberto citati. (c) Neque poteſt hoc ipſum miraculo deputari, ſicut in Chriſti Conceptu. Redemptoris enim generatio, utpotè Diviniſſimi Spiritus opus, prodigioſa fuit in omnibus: (d) at Mariæ generatio Naturæ ordinem ſequuta eſt. Adde quod in hac ultima oporteret miraculum iſtud ratiociniis adſtruere, non verò tantùm ſupponere ad vim argumenti eludendam. Profectò Tyrſus Gonzalez opinatur, animationem die Sabbati, ac ſeptimo die a conceptione materiali, quæ in Dominicam inciderit, contigiſſe. Sicuti etiam Deus Mundi opificium die primo Hebdommadæ incepit; ſeptimo verò quievit. Verùm præterquamquod hoc ipſum evinceret quoque Animam non expectare nonageſimum, neque ſexageſimum, neque quadrageſimum diem: ſed multò citiùs advenire: fatendum eſt etiam Tyrſi cogitationem quamvis piam in mera congruentia fundari, & ideo utpotè minus firmam ad diſſipandam difficultatem minimè valere.

11. Martyrologia etiam, & Patres conceptionem Sancti Joannis Baptiſtæ diei vigeſimotertio Septembris aſſignant, quo aliquas Eccleſias de ea feſtum agere certum eſt. Sed reſponderi poſſet; in Baptiſta non animationem, ſed materialem tantùm conceptionem, quæ ſola miraculoſa fuit, celebrari. Quod ſi etiam de animatione feſtum agi debuiſſet; cum propter controverſiam de tempore, quo ea contingat in Homine reſciri nequiret quando nam Baptiſtæ Anima immiſſa fuerit, prudenter feſtum diei illi aſſignaretur, qua veriſimiliter materialis conceptio facta eſt: quæ reſponſio feſto Conceptionis Beatæ Virginis aptari non poteſt. Id enim animationem ipſam reſpicit, celebraturque eo die, non ex Hominum prudenti arbitrio, ſed ex Dei revelatione, diem, & inſtans illius exactiſſimè pernoſcentis.

12. Huic tamen Zacchiæ ſententiæ paucis quidem ante annis preluſerat Thomas Fienus, cæterùm nullo modo recens erat. Etenim ultra rationes ab intrinſeco ductas, innumeros habebat Suffragatores, & Patres, & Antiquos Philoſophos, ac Medicos, ut illos taceam, qui, ut ſupra innuimus, Animam corpore valdè antiquiorem autumarunt. Adeout dicendum ſit Ariſtotelis potiùs opinionem, quæ nimis a conceptu animationem elongabat minus olim fuiſſe cognitam minuſque receptam.

13. Profectò Sanctus Baſilius, (e) quod ante notavimus, nolebat inter Fœtum animatum, & inanimatum diſtingui. Unde hoc autem? Niſi quia veriſimillimè a principio Animam infundi credebat, quamvis aliter aliqui ſentirent? Id ex Balſamone Antiocheno Patriarca ſæculo duodecimo exeunte colligitur: *Hoc, ait ille, dictum eſt propter eos, qui docent, quod quando ſemen matrici advenit, non ſtatim formatur in Hominem; ſed priùs quidem fit ſanguis, deinde in carnem humanam concreſcit, deinde efficitur &c.* Ex quo apparet eo tempore paucis opinionem de ſeriùs contingente animatione placuiſſe: quod autem ea fuerit Magni Baſilii ſententia ex Sancto Gregorio Niſſeno ejus Fratre, atque Diſcipulo, intelligi poteſt, qui cæteroqui Animas creari, non ex traduce propagari ju-

(a) Alex. VII. *conſtitut.* Sollicitudo.
(b) Plazza *Cauſa Immacul. Concept. Act.* 2. *art.* 3. *a n.* 56. *ad* 78.
(c) Plazza *dict. tract. Act.* 3. *art.* 2. *n.* 325.
(d) Baſil. *Hom. de Human. Chriſti generat.* S. Joann. Damaſc. *de fid. orthod. c.* 2.
(e) Baſil. *Epiſt. Canonic. c.* 2. *ubi* Balſamon.

judicabat: is enim erat Noriſio teſte, (*a*) Græcorum omnium ſenſus. *Enim verò*, ait, (*b*) *poſteriorem eſſe originem Animarum, ipſaſque recentiores eſſe corporum compoſitione, nemo ſana mente præditus in animum induxerit: cum manifeſtum, & perſpicuum ſit, quod nihil ex inanimis habeat in ſeſe vim movendi, pariter atque creſcendi: at eorum qui in utero nutriuntur, neque augmentum, & incrementum, neque de loco ad locum motus controverſus, & ambiguus eſt. Relinquitur ergo, ut putemus unum, & idem Animæ, & Corporis conſtitutionis principium eſſe. Quemadmodum in naſcentibus ſeminibus incrementum paulatim ad perfectionem progreditur: eodem modo in Hominum quoque formatione, atque conſtitutione pro ratione, ac proportione corporeæ magnitudinis, Animæ quoque potentia apparet, & elucet; primum quidem per vim alendi ſimul, atque augendi iis, quæ in utero ſunt, ſeſe inſinuans, atque innaſcens: poſt hæc verò donum ſentiendi in lucem productis inducens; atque ita deinceps quaſi fructum quemdam, aucta jam planta, mediocriter exerens, ac prodens ratione præditam vim &c.*

14. Sanctus verò Cæſarius. [*e*] *Longè etiam mihi velis ab illa reſilias opinione, quod corpore poſterior ſit Anima.* Citantur etiam pro hac ſententia Sanctus Cyrillus Alexandrinus, [*d*] & Sanctus Gelaſiua Papa, [*e*] quatenùs aſſerunt, ubi corpus vitæ capax fuerit; illicò a Deo Animam accipere: cum conſtet cæteroqui ex ipſo Ariſtotele, Embryonem vivere etiam a principio; quod & Divus Thomas admittit: ſed de Gelaſio, & Cyrillo redibit ſermo. Apertiùs plerique veteres Theologi, aliique Scriptores tum Græci, tum Latini loquuti ſunt, præter eos, qui propagationem ex traduce docuerunt, vel ut problematicam putaverunt.

15. Siquidem M. Aurelius Caſſiodorus, [*f*] qui An. 530. floruit: hęc habet: *Hoc nonnulli ſequuti dixerunt, mox ut ſemen humanum coagulatum fuerit in vitalem ſubſtantiam; illicò creatas Animas corporibus dari diſcretas, atque perfectas.*

16. Similla dixit Nicetas Choniates Græcus, qui ſęculo decimotertio claruit: ait enim: [*g*] *Nullum commune dogma ſuper quæſtione iſta vel ab Apoſtolis, vel ab ullis aliis Sanctis Patribus accepimus.* Subjungens aliquos Patres putaviſſe: *Semen animari cum primum in uterum venit: itant partium neutra*, ſcilicet Anima, & Corpus, *compoſitionem, aut præcedat, aut ſubſequatur.* Philoſophos inſuper addit non deeſſe, qui idem exiſtimaverint. *Græcorum Sapientum Nonnullis, Embryones, ſeu Imperfectos in utero Fœtus, ſtatim ab illa informi ſua forma placuit animari.*

17. Et verò ex Philoſophia cum Zacchia ſentiere Alexander Aphrodiſæus, celebris Ariſtotelis Commentator, Themiſtius, atque Galenus. (*h*) *Nam*, ait hic, *ſicuti incredibile eſt nullum, in tanta partium multitudine a fortuita commixtione errorem committi: ita conſequutionem motus artificioſam ab aliqua irrationali ſubſtantia effici, perinde ac ipſi dicunt; nimis audax eſt.* Idem docet antiquus Auctor Libri, Galeni nomen præſeferentis, cui titulus: *An Animal ſit, quod in utero eſt:* (*i*) *Eo perſpicuum eſt, una cum jacto in uterum ſemine inſitam a Creatore Univerſi eſſe Animam, ut gubernandi vim corporis habebat.*

Quam-

(a) Noriſ. *in vindic. Auguſt. c. 4. ſ. 3.*
(b) Gregor Niſſen. *in Dialog. de Anim. & reſurrect. verſ. fin. in tom. 2. edit. Pariſienſ. Græcolat. An. 1615. pag. 673. & lib. de Human. opif. c. 29.*
(c) S. Cæſar. *lib. 6. Dialog. 3. in reſponſ. ad interrog. 115.*
(d) S. Cyrill. Alex. *l. 1. in Joann. c. 9.*
(e) S. Gelaſius Papa *lib. de duab. nat. contr. Eutich. & Neſtor.*
(f) Caſſiod. *lib. de Anim. c. 14.*
(g) Nicetas Choniat.. *in Theſauro Orthodoxæ Fidei lib. 2. c. 74. pag. 91. t. 25. Bibliot. M. M. P. P.*
(h) Themiſt. *lib. de Anima c. 12.* Galen. *lib. de Format. Fœt. c. 6.*
(i) *Lib. an Animal ſit id, quod in utero eſt. c. 4.*

Quamquam Auctor hic Animam cum ſemine participari exiſtimaverit. Demum ex Zacchiæ Coætaneis ipſius ſententiam amplexi ſunt Fortunatus Fidelis, Bartholomæus Corte, (a) Gaſpar Bravo, aliique innumeri eoſdem ſequuti, quos alibi dabimus. Itaque huic ſententiæ, neque momenta intrinſecarum rationum, neque extrinſecarum auctoritatum fulcimenta, neque aliquid aliud deeſt, quo minus, [licet contrarium Viva, & Milante ſcripſerint;] ſolidè probabilia habeatur.

CAPUT NONUM.

Non eſſe in Jure Canonico deciſum, priùs perfici Fœtum deinde veró creari Animam.

1. QUod autem Zacchias ejuſque Aſſeclæ ædificare conati ſunt, ab Innocentii Tertii decretali, variiſque Pontificum Bullis, ac Sacræ Pœnitentiariæ ſtylo, pluribuſque Canonibus videtur everti. Eminet in his capitulum Moyſes in hac materia celeberrimum: En ejus verba.

Ex S. Auguſt. quæſt. vet., & nov. Teſtam. c. 23.

Moyſes (b) tradidit, ſi quis percuſſerit Mulierem in utero habentem, & abortiverit; ſi formatum fuerit, det Animam pro Anima; ſi autem informatum fuerit: mulctetur pecunia; ut probaret non eſſe Animam ante formam. Itaque ſi jam formato corpori datur Anima; non in conceptu corporis naſcitur ex ſemine derivata: nam ſi cum ſemine, & Anima exierit ex Anima; multæ Animæ quotidiè pereunt, cum ſemen fluxu quodam non proficit nativitati. Sed ſi propius reſpiciamus; videbimus quid ſequi debeamus. Contemplemur facturam Adæ. In Adam enim exemplum datum eſt, ut ex eo intelligatur, quia jam formatum corpus accipit Animam: nam poterat limo terræ admiſceri, & ſic formare corpus; ſed ratione informabatur: quia primùm oportebat domum compaginari, & ſic Habitatorem induci. Anima certè, quia Spiritus eſt, in ſicco habitare non poteſt, ideo in ſanguine fertur. Cum ergo corporis lineamenta compacta non fuerint; ubi erit Anima?

2. At primò capitulum hoc reverà non eſt Canon, neque enim a Conciliis, vel a Pontificibus editum eſt: omneſque norunt ſimilia documenta a Gratiano decreto ſuo inſerta, vim Legis non habere, cum ipſe auctoritate Canonia condendi caruerit. Dices at apertè in Scriptura, ipſorum Canonum firmiſſima regula, fundatur, quod ſatis ſuperque cenſendum erit. Verùm reſpondetur Textum Exodi 21. 22., cui juxta verſionem Septuaginta Interpretum innititur Auctor a Gratiano relatus, aliter ſonare in noſtra vulgata: neque iſta diſcrepat ab Hebraico, uti notavit Calmet: igitur loco verborum illorum *ſi formatum fuerit*, ſcilicet Abortivum, *det Anima pro Anima: ſi autem informatum fuerit, mulctetur pecunia*; in vulgata legitur ita: *Si Abortivum quidem fuerit, ſed ipſa vixerit; ſubjacebit damno, quantum Maritus Mulieris voluerit, & Arbitri judicaverint. Si autem mors ejus fuerit ſubſequuta; reddet Animam pro Anima.* Ubi non diſtinguitur inter Abortivum animatum, & inanimatum: ſed ſolùm inter Prægnantem verberibus occiſam, vel ſuperſtitem. Inſuper formatum, vel informatum, quod apud Septuaginta legitur, non ſignificat animatum, & inanimatum; ſed tantùm perfectum, & imperfectum; uti ex eorum textu videre licet: nam Τὸ ἐξεικονισμένον valet figuratum, ſeu formatum ab εικον, quod figuram de-

(a) Fidel. *relat. Medic. lib. 3. ſect. 6. c. 2.* Corte *in Epiſt. de temp. quo infunditur Anima.*

(b) *Exod. 21. 22.*

Digitized by Google

denotat. Abortivi tamen etſi jam animati, imo & quadrimeſtres, rectè appellari poſſunt non conſormati, utpotè non perſectè abſoluti; ac propterea ſi exierint, non vitales. Ubi autem hujuſmodi ſint, Auctori Abortus minor imponitur pœna: ut diſſimili modo plectatur, qui Hominis plenè ac omnino formati, atque veriſimiliùs diu victuri occiſor eſt, quam, qui vitam ſuborientem Parvulis minimis auſert: hi enim tamquam non benè accenſæ lucernæ ad omnem exilem auram, levemque motum extingui poſſunt: itaut, etſi *vivi*, tamen *vitam* ſuam precariò poſſidere videantur: ac multo magis ante quadrageſimum, quando & Abortus ſrequentiores accidunt, ac Fœtus magna ex parte planè mortui emittuntur. Atque ea ratione multi quidem ex Juriſtis tradidere non inſerendam eſſe capitis pœnam propter Abortus Fœtuum quinto menſe minorum, quamvis certò animatorum, uti Michael Bodouvingerius animadvertit.(a) *Jura autem in foro fori, ſicut explicat Franciſcus Torreblanca; de tam tenui animatione non loquuntur, hoc eſt de inſtanti, quo Anima infunditur; ut quis pro Homicida puniatur: ſed animatione perfecta, qua Infans maturus eſt ad naſcendum: uti tradunt Theſaurus, Suarez, Plazza, Menochius, Gomez.* Id etiam placuit Rejez, & Villalpando cum aliis. Zacchias (*b*) autem hanc addit rationem: primis nimirum temporibus prægnationem exiſtimari dubiam, Fœtu verò jam adulto non ſolùm fieri certam: ſed & ipſam Matris vitam in Abortu periclitari: quapropter eum veluti duplex homicidium eſſe reputandum. In Sicilia quamvis ex nova Pragmatica Abortus omnes indiſtinctè homicidia cenſeantur: attamen majori pœnæ rei ſubjiciuntur ſi Fœtus eſt formatus, & conſequenter certò animatus: ut etiam in recenti Ritus praxi notatur. (*c*)

3. Quocirca ſequens Canon *Sicuti*, [*d*] cujus verba a Sancto Hieronymo ſunt mutuata, malè a Conimbricenſibus pro Ariſtotelica ſententia laudatur: non enim ibi dicitur: imperſectum Fœtum carere Anima, ſed Hominem non reputari.

4. Sed ut ad Canonem *Moyſes* redeamus: nec dici poteſt eum ſaltem auctoritate S. Auguſtini pollere, a quo decerptum fuerit: nam hodie indubitatum eſt, Auctorem quæſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti non eſſe Auguſtinum. Ita ſanè Maurini Patres monuerunt. Enim verò Auctor ait, ſe ſcribere trecenteſimo anno poſt Hieroſolymitanum excidium: cum Auguſtinus eo tempore nonniſi annum decimumſextum ætatis numeraret: & pro comperto habeatur, eum tractatus Eccleſiaſticos ante Baptiſmum, quod annos natus 33. matura juventute ſuſcepit, non conſcripſiſſe. Inſuper neque Poſſidius in Indice Librorum Præceptoris ſui de illo meminit: neque Auguſtinus ipſe in Libris retractationum: neque in eo elucet ſingularis illa ſapientia, excelſumque illud tanti Doctoris ingenium: imo in permultis quæſtionibus opiniones expromuntur cum Auguſtini Doctrina, in aliis ejus legitimis operibus tradita, manifeſtò pugnantes. Porrò Auguſtinus numquam dixit corpori jam perſectè formato Animam tribui: potiùs proclivis fuit ad opinandum, eam ex traduce propagari: imo cum ſibi ipſi objiceret citatum textum ex Exodo, juxta ipſam Septuaginta Interpretum verſionem: reſpondit, per formatum, & informe non intelligendum eſſe animatum, & non animatum, ſed perfectum, & imperſectum: en ejus verba in quæſtionibus in Exodum: [*e*] opere ſine dubio Auguſtiniano, & An. 419. conſcripto: quæ verba cum Gratianus ipſe ſuo decreto immediatè ante Capitulum *Moyſes* inſeruerit; non minoris certè ſunt uſus.

Si ergo illud informè puerperium jam quidem fuit, ſed adhuc quodammodo informiter animatum; quoniam magna

(a) Bodouv. *Ventilabr. Medic. Theol. p. 1. q. 26.*
(b) Zacch. *lib. 9. tit. 1. q. ult. n. 118.*
(c) *Prax. Conſtr. Proceſ.*
(d) *Canon* Sicuti *32. q. 2.*
(e) S. Auguſt. *in Exod. q. 80.*

Digitized by Google

gna de Anima quæſtio, hoc eſt utrum ex traduce propagetur, *non eſt præcipitanda indiſcuſſa temeritate ſententia, ideo Lex noluit ad homicidium pertinere*; *quia nondum dici poteſt Anima viva in eo corpore, quod ſenſu caret, ſi talis eſt in carne nondum formata, & ideo nondum ſenſibus prædita*. Itaque nequit Auguſtinus auctor eſſe eorum, quæ in Capitulo *Moyſes edocentur*. Nec prætermittendum (etiam ſi verſioni Septuaginta, a qua vulgata recedit, inhærere velimus) Gratianum ipſum utramque textus Exodi explicationem aptam probabilemque arbitrari, & illam ſcilicet quàm Auguſtinianam credens in Capitulo *Moyſes* collocavit; & alteram, quam antecedenti capitulo retulit, quæque verè eſt Sancti Doctoris interpretatio. Quapropter nullo modo Capitulo *Moyſes* inniti poſſumus; multoque minus illud tamquam authenticam controverſiæ de tempore animationis deciſionem exiſtimare. Inſuper Auctori quæſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti multi contra ſanam doctrinam errores exciderunt: quos inter Melchiſedechum eſſe Spiritum Sanctum aſſeruit: aliaque habet Alexandro teſte barbara, & dura: quapropter Bellarminus aſſerere non dubitavit: [a] *Librum quæſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti non eſſe Auguſtini, ſed alicujus Hæretici*. A ſtylo, & circumſtantia temporis, quo ſcriptus eſt, Hilario Diacono, Luciferani ſchiſmatis olim Propagatori adſcribendum eſſe conjiciens.

5 Fateor in Libris De Spiritu, & Anima, & de Eccleſiaſticis Dogmatibus, qui olim Auguſtini operibus immixti erant, doceri quoque Animam organizato jam corpori advenire: quod ad corroborandam opinionem Ariſtotelicam maximopere valuit. At Critici omnes cum Bellarmino, hunc ſecundùm Gennadio eſſe tribuendum, neutrum eſſe Auguſtini demonſtraverunt. Demùm ratio, quam profert Auctor Capituli *Moyſes*, nimirum Adami Animam nonniſi corpori jam organizato infuſam, nihil evincit. Formatio illa miraculoſa fuit, & ex materia indiſpoſita, ac ad componendum humanum corpus inepta: quo circa præparari priùs oportuit: naturalis verò aliorum Hominum generatio a materia ſatis idonea pendet, ac propterea vel ab initio ab Anima ipſa jam informabili. Nec efficacior eſt alia ratio, quam ſubjungit, ſcilicet cum Anima Spiritus quidem ſit, in ſicco manere non poſſe, ſed oportere quod in humido ſanguinis inſideat: de qua ratione feſtivè Gloſſa valere dixit apud Septentrionales Populos, qui potationibus delectantur.

6. Nunc verò ad Bullas, & Decretales progrediamur. Innocentius Tertius in Capitulo *Sicut* de Homicidio; diſtinguit inter pœnam Abortus Fœtus animati, & inanimati. Sixtus Quintus ſtatuit adverſus utrumque excommunicationem. Gregorius Decimuſquartus Sixti Bullam mitigaturus, excommunicationem contra Procurantes Abortum Fœtus non dum animati abrogavit. Clemens denique Octavus eadem diſtinctione uſus eſt.

7. Profectò animadvertendum primò objectionem iſtam ferire tantùm poſſe Pauli Zacchiæ, ejuſque Sectatorum opinionem, qui dicunt numquam dari Fœtum, qui Animâ careat: non verò aliorum ſyſtema, qui volunt Animam infundi, perfecta jam accidentali, ut ajunt, ſive partiali organizatione: Cordis nimirum Cerebri, & Hepatis: quod vel ſeptimo, vel quarto, vel tertio die nonnulli evenire arbitrantur. In hac enim ſententia vera etiam eſſet inter Fœtum animatum, & inanimatum diſtinctio: nec antedicti Pontifices, ut ex eorum verbis eſt evidens, unquam explicarunt, utrum tranſitio Fœtus ab inanimato ad animatum citò, vel tardè contingat. Sed loquendo etiam de Zacchiæ ſyſtemate; Pontificum intentio non fuit contra ejus opinionem definire, Animam non immediatè poſt conceptionem infundi, ſed tantùm illi ſupponunt dari Fœtum, qui non ſit animatus. Leges enim ſolent in rebus ad Philoſophiam, vel Medicinam, aliaſque humanas facultates pertinentibus, communiori ſenſui Doctorum, qui eas profitentur ſeſe accomodare. Cum

[a] Bellarmin. *de ſcript. Eccleſ. in Ambroſ. & in Auguſt.* Natal. Alex. *ſect. 4. c. 6. art. 14. Vide etiam PP. S. Mauri in Monit. & cenſur. Doct. Lovan. præfix. l. 4. op. S. Aug.*

verò prædictæ Bullæ manarent, Medici, ac Philoſophi penè omnes Ariſtotelici erant; proindeque docebant Animas non illicò immitti, ſed quadrageſimum diem in Maribus, in Fœmellis diuturniùs tempus ad hoc expectari: nam Zacchias, & Fienus, qui controverſiam exſuſcitarunt, ſunt omnibus illis conſtitutionibus revera poſteriores. Inde factum eſt, quod iidem Pontifices, excepto Sixto, Legum imperialium clementiæ de more deferentes, majores, gravioreſque procurati Abortus pœnas non decrevere infligendas, ubi Fœtus adeo tenelli eſſent, ut communiter nondum animati cenſerentur: vel ſaltem certò animati dici non poſſent: maximè cum interdum ante prægnationis progreſſum de ipſa non immeritò dubitandum ſit.

8. Hac laudabili æquitate ducta Sacra Pœnitentiaria veterem ſanè Medicorum opinionem in praxi non dimiſit: ea enim Fœtum dummodo non conſtet eſſe completum, ſi ad quadrageſimum diem non pervenerat, præſumit inanimem: qui ſtylus a Gregorii Decimiquarti ætate originem repetit, ac prudenti quidem conſilio non immutatus perſeverat: nam ubi de pœnis agitur, Lex inquit: *In dubiis quod minimum eſt, ſequimur*. Graviſſima porrò eſt pœna excommunicationis, & irregularitatis: quæ ſicuti jure poſitivo contra Procurantes Abortum inflicta fuit: ita mirum eſſe non debet, ſi ea in praxi ex rationibus ſupradictis ubi graviditas non multum proceſſerat, aliquod ſuſcipiat lenitatis temperamentum. Itaque præfatæ Bullæ, ac Sacræ Pœnitentiariæ ſtylus, etſi æquitate commendabiles, Philoſophis tamen veritatis accuratiùs inveſtigandæ viam non præcluſerunt: ac multo minus quidem Sixti Quinti conſtitutio: Etenim eamdem ipſe decernens pœnam ſive animatus fuerit Fœtus, ſive inanimatus; hanc celebrem controverſiam præ oculis videtur habuiſſe, ac tutiorem partem elegiſſe, excommunicationem contra omnes Procurantes Abortum ſive animati, ſive inanimati Fœtus intorquens, iniquis nimirum effugium omne intercepturus: quod & Magnus Baſilius fecerat: fortè etiam Sixtus ad ipſam Sancti Baſilii, & Zacchiæ ſententiam propendebat. Rem ergo intimè conſideranti ejus Bulla Opinantibus animationem celerrimè fieri magis prodeſſe, quam obeſſe videtur. Cæterum, uti Doctores animadvertunt, non idem eſt quærere de animationis tempore ad Abortus puniendos, ac de eodem quærere ad Abortivos baptizandos. Æquitas enim, quæ in primo caſu ad præſumendum Fœtus non eſſe animatos invitat; in ſecundo ad rem ſubtiliùs indagandam perurget: ne fortè ſint animati, & Baptiſmo arceantur. (a)

CAPUT DECIMUM.

Utrum Abortivis primorum graviditatis dierum Baptiſmus poſſit miniſtrari.

1. POSTQUAM de Ariſtotelis opinione propter Fieni objectiones, ac nova experimenta ceptum eſt dubitari; plerique Theologi docuerunt: nullum Abortivum, etſi imperfectiſſimè figuratum, eſſe derelinquendum, ſed perquirendum utrum aliquis in eo inſit motus: ut ſaltem ſub conditione baptizetur: *Si Dei Vicarius Paulus V.* ait Maximilianus Deza, [b] *in Rituali Romano baptizari præcipit Fœtum, ſi vivat, ſi vitalem indiret motum: ſolere autem moveri præcipuis membris circa tertium, jam non tam ſuadetur, quàm oſtenditur: erit ne trigeſimus dies expectandus nobis, ut de Baptiſmo deliberemus?* Horum Docto-

[a] Theſaur. *deciſ. Pedem.* 12. *n.* 1. Menoch. *de arbitr. caſu* 357. *n.* 7. Florent. *de Homin. dub.*

[b] Deza *in opuſc. in Calce Apolog.* Franciſci Verde *pro Joann. Caramuel.*

ſtorum meminit quoque Lacroix. [a] *Anthores graviſſimi cum Cardenas dicunt; Fœtus abortivos Mulierum, etiam imperfectiſſimè figuratos, eſſe baptizandos, ſi dent ſignum vitæ per motum: quia putant aliqui Medici, quod Fœtus humani poſt paucos v. g. tres, aut quatuor dies a conceptione, ſtatim animentur Anima rationali.* Cardenas verò Dezzæ ſententiam doctiſſimo, & ſtabiliſſimo fundamento ſuperſtructam appellat.

Sed ultra omnes Hieronymus Florentinius Congregationis Lucenſis a Matre Dei, Vir æquè doctus, & zelo Animarum incenſus progreſſus eſt. Hic Zacchiæ diſſertationem poſthumam, pro feſtina Fœtus animatione, quæ non niſi An. 1660. Lugduni imprimi cepta eſt, adhuc præ manibus non habuerat: nihilominus An. 1658. Lugduni etiam typis dedit celeberrrimum *De Hominibus dubiis, ſive de Baptiſmo Abortivorum* opuſculum. Firmat in eo, tum ſpeculativè, tum practicè incertum eſſe verum animationis tempus: probabile tamen eſſe, Animam, nempe rationalem, ab ipſo principio immediatè ſcilicet poſt conceptum infundi. Quare docet ſub peccati mortalis reatu Abortivos omnes, quantumvis minimos, etſi phaſeolo, vel grano hordaceo non majores, eſſe baptizandos, quantumcumque breve fuerit tempus a conceptione dilapſum: quamvis etiam vitæ ſignum per motum non præbeant: dummodo corrupti, vel detriti, ſeu manifeſtè mortui non dignoſcantur. Et ſanè accidere poteſt, ut internum ſanguinis motum vitæ neceſſarium habeant, non autem externum, & progreſſivum defectu inſtrumentorum, Brachiorum ſcilicet, Coxendicum, & Crurum: vel etiam vehementiori deliquio ſint defixi. Admonet autem Baptiſmum non niſi conditionatè adminiſtrandum: tum quia philoſophicè dubium eſt, utrum animati ſint, an non: tum quia cum adhuc ſecundinulis involvantur; incertum eſt, an illæ necne validitati Baptiſmatis obſtent.

2. Nemo antea rem ex profeſſo pertractaverat: nemo tam longè proceſſerat: attamen Liber a pluribus tam Theologorum, quàm Medicorum Academiis, inſignibuſque Doctoribus, ſummo plauſu exceptus eſt, uti ex cenſuris liquet, ab unoquoque eorum ſingillatim clarèque conſcriptis. Facultates autem Theologicæ ſunt Pariſienſis, Viennenſis, & Pragenſis: & quamvis hæc ultima cum quadam limitatione loquatur: Pariſienſis tamen Florentinii doctrinam indubitatam appellat, ac ad pravas Mulieres ab Abortu deterrendas, quæ illum prætextu nondum factæ animationis facillimè procurant, utiliſſimam. Facultates deinde Medicæ ſunt Viennenſis, & Pragenſis: accedit Rector Univerſitatis Remenſis, ac duo celebres Epiſcopi Caramuel, & Creſpus, item Stephanus Luvinſchlag. Epiſcopi Viennenſis Generalis Vicarius, & magno numero alii, præſertim, e Collegiis Salmanticenſibus: [b] eaque occaſione in Pragenſi Univerſitate, ut in cenſura Medicæ facultatis apertè legitur, publica diſputatio inſtituta eſt, in qua propugnatum intrare ſtatim ra-

[a] Lacroix *lib. 6. p. 1. de Bapt. dub. 4. n.* 294. Cardenas *in prima Chryſ. diſp. 14. c. 3.*

[b] *Qui ſunt octo e Societate Jeſu Theologi, ſcilicet* Bernardus Gejer, Michael Heintz, Maximilianus Reichemberger, Albertus de Albertis, Antonius Caſſius, Michael Baſſanus, Nicolaus Martinez, & Joannes Tribault. *Quatuor ex Ordine Prædicatorum Magiſtri*: Rainandus Pinſger, Chriſtophorus Spies, Vincentius Geitter, & Jacobus Philippus Polini. *E Salmanticenſibus ex Ordine Clericali* Petrus Caruſus. *E Societate* Joannes Barbianus, & Riccardus Linceus. *Ex Collegio Salmanticenſi Divi Bernardi* Magiſtri Antonius a S. Petro, Franciſcus Roys, Petrus ab Overo, Michael de Fuentes, & Ildephonſus Herbas. *Ex Collegio Benedictino* Magiſtri Maurus Semocoi, Placidus de Puga, Antonius de Caſtillo, Joſeph Gomez, Philippus Raamonde. *Ex Collegio Ordinis de Mercede* Magiſtri Joannes Baptiſta de Candanedo, Didacus Villaviciniero, Ferdinandus de Caravajal, Ildephonſus Gondinſalvi. *Ex Collegio Præmonſtratenſium* Magiſter Joſeph Bravo. *E Luca* Joannes Baptiſta Cittadella Prior Ss. Joannis, & Reparatæ Theologus. *E Janua* Joannes Baptiſta Solerius Medicus.

rationales Animas poſt conceptionem.

3. Quoniam verò nemo, uti diximus, eouſque obligationem baptiaandi Fœtus omnes extulerat; Liber Nonnullorum ſubiit offenſionem: Cœteroqui Auctor, cum ante Ovarii ſyſtema vulgatum ſeriberet, juxta opinionem ſuo tempore communem, dicebat, Hominem generari ex mixtione duorum ſeminum a plaſtica Peripateticorum virtute fœcundatorum, atque agitatorum. Notabat etiam, Harveum, propriis experimentis edoctum, narraſſe, nihil primis diebus prægnationis in utero Quadrupedum apparere, quod Embryo credi poſſit, (a) quod ex eo provenire deinde compertum eſt, quia ovulum fœcundatum non adhuc in uterum ab ovario per Tubas ideſt Cornua pervenerat. Liber ergo apud Sacram Indicis Congregationem novitatis eſt accuſatus. Ejus igitur examine tribus Conſultoribus commiſſo, cum ii doctrinam eſſe probabilem retuliſſent; Purpurati Patres cenſuerunt; Librum præfixa ſequenti proteſtatione a Magiſtro Fano Congregationis Secretario ex condicto cum Auctore compoſita typis eſſe recudendum,

Auctoris de ordine Superiorum Declaratio.

Hanc ergo ſententiam de Baptiſmo Abortivorum tota hac diſputatione comprehenſam, & præſertim ſectione undecima expreſſam, ab Eminentiſſimis Patribus Sacræ Congregationis juſſus explicare, libens, volenſque graviſſimo, prudentiſſimoque Doctiſſimorum Principum judicio, & imperio pareo: & in primis aſſero, me nihil in præſenti materia definiendo dicere, ſed uti rem probabilem, & per modum problematis proponere: deinde adverto, me neminem, quod ad praxim attinet, ſub mortali obligare: ſed tantùm rationes ſpeculativas, id ſuadentes, exponere, ac in ſuſpenſo relinquere: ſicuti nec inducere novum aliquem Ritum in Eccleſiam, cum id ad Sacram Rituum Congregationem, Summumque Pontificem ſpectet, Ita ſentio, ita ſcripſi, & ita me ſcribere, & ſentire proteſtor, ut æquum eſt humilem, ac devotum S. Romanæ Eccleſiæ filium, qualem me eſſe, & fuiſſe hactenus, futurum in poſterum ſanctè profiteor.

4. Præceptum eſt inſuper Florentinio (quod & opportuno loco ille præſtitit,) ut explicaret; ſe de iis loqui Abortivis, qui omnino ſenſibiles eſſent: ac prima ſaltem oſtenderent humani corporis lineamenta: qui enim Baptiſmum ſuſcipit, oportet, ut ſit non minus ipſe ſenſibilis quàm ſacra ipſa lotio ſuſcipienda. His adde quod Fœtus baptizandus eſt, nequaquam verò ſemen, neque mola, aut caro excrementitia.

5. Quæ ſapientiſſimè ſtatuerat Congregatio, ea omnia fideliter exequutus eſt Florentinius, Opuſculum Lucę denuo typis apud Iacobum Pacium evulgans: imo primæ diſputationi tres alias adjunxit. In ſecunda, quam ipſe Romæ quoque ſe inſtante a Viris doctiſſimis, & præcipuis Pontificiæ Curiæ Adminiſtris examinatam, atque probatam, publici juris fecerat; iterum urget, & amplificat majora ſuarum rationum momenta. In tertia argumentum illud a Matris Dei conceptione petitum, inculcat; narratque Alexandrum Septimum cum declararet Eccleſiam de tempore, quo Beata Virgo primùm animata fuerit feſtum agere: expreſsè judicaſſe, non oportere ut dies octavus Decembris immutaretur; ſolemnitatem ad alium poſteriorem puta quadrageſimum, vel octogeſimum diem transferendo, quod Adverſarii fieri debere contendebant, ſi verè Eccleſia Mariæ animationem celebraret: imo Epiſcopo Creſpos Regis Hiſpaniarum Legato ipſum Florentinii Librum laudaſſe, ubi & ab intrinſeco, & ab extrinſeco probabile ſatis eſſe adſtruebatur, facta ſemel materiali conceptione, ſtatim, & illico a Deo immitti Animam. In quarta diſputatione argumenta omnia ſive Theologica, ſive Philoſophica, quæ contra doctrinam ſuam objici poſſent, diſſolvit. Validius erat illud a Rituali Romano depromendum: in hoc enim nulla occurrit mentio Baptiſmi Abortivis adeo minimis conferendi. Huic ipſe diverſis in locis ita reſpondet: Rituale ne quidem hujuſmodi Parvulis Baptiſmum denegare: imo apertè præcipere baptizandos eſſe Fœtus, qui vivi ſint; Phi-

(a) Harveus *de Generat. anim. exercit. 66. 67. 68.*

Philoſophiæ, ac Medicinæ diſcernendum relinquens, quinam eorum viventes, qui verò non, ſint reputandi: itaque argumentum retorquendo ſubjungit. (a) *Imo, quod eſt valdè notandum, Rituale Romanum Pauli V. præcipit, ut ſi quando contingat Matrem prægnantem mori, vivo Fœtu intra viſcera remanente; extractum ab utero eſſe baptizandum; non tamen obligat Miniſtrum ad baptizandum poſt triginta dies tantùm, ſed tunc qualecumque ſit tempus periculi, quod prudenti Miniſtrorum judicio determinandum reliquit; quare noſtræ intentioni favet ordo Eccleſiæ, quatenus mortua Matre prægnante, eaque ſecta, ſtatuit, ut ſine aliquo reſpectu ad tempus, baptizetur Fœtus, ſi ſit vivus*. Et alibi. (b) *Ponamus igitur argumentandi gratia, hanc Matrem mortuam geſtare in utero Fœtum v. g. ſeptem dierum: ex hoc Eccleſię ritu Fœtus iſte ſeptem dierum ſtatim ab utero extrahendus eſt, & baptizandus. Sed ſuppoſita ſententia probabili prudenti judicio exiſtimandus eſt vivus, niſi per accidens, & ex cauſa alicujus compreſſionis, aut contuſionis evidenter appareat mortuus; ergo juxta Eccleſiæ Ritum Fœtus ſeptem dierum baptizandus eſt*. At hæc alibi commodiori loco tractabimus.

6. Recuſo ergo Libro jam ad mentem Sacræ Congregationis correcto; hæc paulò poſt nimirum 1. Aprilis 1666. decrevit. *Diſputatio de Hominibus dubiis non permittitur, niſi correcta juxta impreſſionem Lucæ ex Typographia Hyacinthi Pacii*.

CAPUT UNDECIMUM.

Nova circa Generationem Philoſophica inventa indicare Animam citiùs infundi quam olim crederetur. At verum infuſionis tempus incertum eſſe.

1. QUAMQUAM Zacchias, aliique Animam ſine aliquo temporis intervallo, ſtatim poſt conceptum creari ſuſtinuerint; attamen ii ſcripſerunt, dum adhuc ſanè communiter putabatur Animalia Vivipara, proindeque ipſum Hominem ex commixtione tantùm virilis ſeminis, atque fœminei, actione virtutis plaſticæ, ſive fœcundantis, & in maſculino ſemine reſidentis effingi. Ea res Ariſtotelem diſſuaſit, ne citiùs in humano Fœtu rationalem Animam admitteret; quoniam concedendum eſſet virtuti plaſticæ virili tempus, quo tranſmutationem, formationemque moliretur; quare Abortus priorum dierum ipſe non Abortus, ſed fluxiones denominat. (c)

2. Verùm Recentiores infinitis obſervationibus in Cuniculis, Cervis, ſimilibuſque Quadrupedibus, demum præterito ſæculo deprehenderunt, quod Veteres Microſcopiorum, aliorumque inſtrumentorum defectu Anatomiæ non valdè dediti, aſſequi non potuerant. Steno ergo primus, deinde Hornius, Drelincurtius, (d) Greffius, Kerkringius, Malpighius, aliique innumerabiles in apertiſſimam lucem poſuere; ſemen Mulierum, & Vivipararum Quadrupedum illud non eſſe, quod a Priſcis, fœmineum ſperma credebatur; quodque re ipſa non niſi veriſſima limpha eſt: ſed eſſe ovulum quoddam; illaſque proprium habere ovarium non ſecus, ac Volatiles, Piſces, ac cæteræ Oviparæ; proindeque Viviparas non minus, quàm Oviparas, ex ovo & per ovum & gigni & gignere. Hoc autem ovarium nihil eſt aliud, quàm duo Dydimi, ſeu Gemelli, propriumq; ſitum retinet ſub Abdomine, ſed ſupra, & extra uterum; communicat verò cum utero mediis Tubis, a Fallopio invento-

re

(a) Florentin. *de Hom. dub, diſp.* 1. *ſect.* 4. *n.* 12.
(b) *Idem diſp.* 2. *ſect.* 6. *n.* 8.
(c) *Lib.* 2. *c.* 8. *a n.* 1.
(d) Carol. Drelincurt. *de Fœminar. ovis Hiſtoric. & Philoſophic. lucubrat.*

re Fallopianis, quæ in Quadrupedibus cornua uterina dicuntur: eſtque totum minutiſſimis ovis, quibuſdam quaſi veſiculis, refertum. In his ergo ovis, quæ analoga ſunt vegetabilium ſeminibus, omnes Embryonis partes præexiſtunt, quamvis, quodammodo in ſe ipſis involutæ: clauditur etiam in illis fæcundans ac ſeminalis fœminæ ſpiritus, & tamquam in centro deliteſcit: qui tamen a virili ſemine non excitatus ad ovi germinationem, & prædictarum Embryonis partium explicationem ſe ſolo non ſufficit. Valliſnerius (*a*) ab ovarii Inventoribus circa locum ubi Embryonis principium, ſeu punctum ſaliens verè ſitum ſit; non nihil diſſentit: arbitratur enim non in veſicula, ſed in corpore luteo, ſeu glanduloſo contineri: convenit autem cum eis, uti ipſe proteſtatur, in rei ſubſtantia: docens Animalia omnia, incluſo Homine, ex ovo in ovario ſedem habente generari. At Valliſnerium tacito nomine modeſtè confutat Bianchius, (*b*) qui ait, de contraria opinione uti de re jam explorata hodie nullatenus ambigendum.

3. Itaque neceſſarium eſt virile ſemen, quod ſpiritibus animalibus turget, & particulis variis ex toto corpore derivatis, Embryoniſq; partibus reſpectivè aptabilibus, abundat, ut iſtis intimè conjunctum Embryonem ipſum ad germinandum, atque ſuccreſcendum complere poſſit. (*c*) Hoc autem ſe ipſo exequitur ſemen per Tubas aſcendens, ac poros ovarii penetrans: quandoque etiam ſolâ ſuâ aurâ efficaciſſimâ, parte ſcilicet ſui ipſius nobiliſſima ventiſque omnibus velociori: (*d*) quotque invenit ova jam matura, atque diſpoſita, cum partibus videlicet Fœtus debito modo elaboratis; atque ſpiritu fæcundanti fæmineo affluentibus, qui virili ſit homogeneus; tot etiam ſua virtute fæcundat. Fæcundata jam ova per cornua, ſeu tubas deſcendunt, aperiente ſeſe ovario ex eo latere, ubi fortè continebantur illa: ita Malapunica, propter diſtentionem granulorum jam maturorum hiatu modico diſcinduntur: ita etiam gummi exudat e cortice plantarum dilatato. Ubi exierit ovulum, occluditur ovarium, non ſecus ac hæmorrhoidales venæ, quæ apertæ priùs, ut turgeſcenti ſanguini egreſſum pararent; illo jam emiſſo, iterum contractæ obſtruuntur. Gauterius contra aliorum omnium experimenta Embryones in virili ſemine, & in forma liquida ſe vidiſſe gloriatur. Verùm ſi in forma liquida quomodo Embryones fuiſſe dignovit? Veriſimile eſt igitur Gauterianos iſtos Fœtus nil aliud eſſe, quàm humani ſeminis moleculas, fortè quodammodo coagulatas, & inter ſe colligatas.

4. Inſecta autem, in quibus propter ſtructuram planè admirabilem natura magis artificioſam, quam in grandioribus Quadrupedibus, ſeſe oſtendit; Peripatetici putabant, ex putri materia procreari: maximè ex putreſcentibus carnibus majorum Animalium: at cum miſti corruptio non ſit aliud, quam ejus partium inordinata confuſio, uti ex fœtore, aliiſque accidentibus patet; alterius Animantis generatio eſſe non poteſt. Hæc enim nequaquam importat comminutarum, ut ita dicam, maceriarum fortuitò ſibi occurrentium congeriem, ſed ædificium, juxta Archetypum, eleganti ordine conſurgens, atque perfectum. Porrò ſi Ariſtotelica ſententia de Inſectorum generatione ſubſiſteret; dici etiam poſſet libercuIos, etſi doctiſſimos, non æquè ac majores ab Auctoribus componi: verùm cum poſt grandiorum librorum impreſſionem, ærei caracteres ab invicem diſſolvuntur, ſi dein in propriis cellulis non repoſiti temerè, & inordinatè projiciantur; a confuſa illa mixtione prodire, ac reſultare. Recentiores autem evidenter oſtenderunt, etiam Inſecta ab ovo naſci, quamvis ita minimo, ut in aqua ſupernatet, & per aerem volitet, ac ita inſenſibili, ut ne ipſis quidem lynceìs oculis conſpici valeat. Igitur etſi in putredine naſcantur non tamen propterea originem ſuam à putre-

tre-

(a) Valliſner. *in Hiſt. Gener. Animal.*
(b) Bianch. *de natural. &c. generat. fol.*49. *& ſeq., & in explic. Tab.*1. *fol.*418.
(c) Campailla *de mot. Anim. n.*320. *& in Adam. cant.* 15.
(d) *Vide* Schurig. *Spermalog. c.* 10. *q.* 1. §. 19. *&* 20.

tredine debent, quæ ſolùm fermentationem germinationi prorſus neceſſariam promovet. Ova quoque Gallinacea in fimo germinant; at quis unquam dixerit, Pullos in fimo excluſos, ex eodem reverà generari?

5. Poſt experimenta in Animalibus irrationabilibus iterata, idem omnino in Mulieribus compertum eſt. Habent hæ ſuum Ovarium, Dydimos ſcilicet, quorum quiſque nunc duodecim, nunc viginti, vel triginta complectitur ova, magnitudinis Piſi majoris, figuræ rotundæ quorum ſingula ex uno latere Placentam oſtendunt, quæ medietatem illorum cooperit, more pileoli glandium, & nucum avellanarum. Ovum quodlibet in ovario media placenta ſuo calici adnectitur; manetque in eo ſitum, & colligatum, non ſecus ac Malipunici granula ſuis ſedibus commiſſa, indeque liquidorum rivulos haurit, quibus enutritur. In ovo autem innatat Embryo, qui eo non dum fœcundato, vix quidem per Microſcopium apparet veluti macula ſemilunaris figuræ, penè centies ovo ipſo minor: nihilominus Recentioribus omnibus certum eſt, Embryonem ipſum, vel ante fœcundationem dummodo maturum ſit ovum, omnea in ſe humani corporis partes, etſi mole perexiguas, poſſidere, quæ plantarum inſtar in ſemine abbreviatarum, poſt fœcundationem diſtendantur, atque ſuccreſcant: *Cum verò*, ait Bianchi, (*a*) *in puncto antea oculis omnium inacceſſo, ſingulæ, diſtinctæque Embryonis partes revera fuerint comprehenſæ; quæ tamen deinde explicentur, conſpicuæ fiant, atque in molem amplificari valeant; an erit adhuc dubitandi locus, naſcendorum Hominum ova, atque germina, non quidem in generatione conſtrui, & formari; ſed jam demùm elaborata, Vegetabilium ad inſtar, explicari, & evolvi?*

6. Porrò Bianchius in ſuo Muſæo plurimos Abortivos ex omni penè graviditatis die ſolertiſſima exquiſitione adunaverat, & An. 1734. illorum Hiſtoriam conſcripſerat, differentiam in Fœtibus quinto quoque die obſervatam, pro diverſa eorum ætate, demonſtrans. Igitur tam illuſtris Anatomici labore, ac diligentia hic utar, & nonnullorum ſubjiciam Abortivorum figuras ab eodem exactiſſimè delineatas, atque declaratas. (*b*)

Quocirca ovum non adhuc fœcundatum, ſed immaturum primâ figurâ indicatur: in ejus parte inferiori A, conſpicitur ipſius ovi hemiſpherium ubi exiſtit Placenta, illamque tegit pileoli ad inſtar. In ſuperiori B. altera medietas a Placenta non tecta, ſed libera. Ovum non fœcundatum, jam verò maturum deſignatur figurâ ſecundâ: cernis in ea membranam chorion in quatuor partes diſſectam, & ſuper aliam membranam, quæ dicitur Amnios revolutam: ovum tamen oſtenditur hic a parte lucida, quæ Placentâ non cingitur.

Figura per Aſteriſcum notata repræſentat ovarii calicem, in quo maturum ovum ante fœcundationem locatum erat; a lateribus verò deſignat ſubſtantiæ vaſcularis ipſius ovarii portionem.

In tertia habes ovum maturum non fœcundatum, ſimplici lente, ſeu vitro optico inſpectum: in eo videtur quidem Embryo ſed ad modum ſemilunaris maculæ, vel corpuſculi obſcuri, incerti, & complicati, mole centies fortaſsè minori eodem ovo.

7. Igitur humana hæc ova modo ſuperius expoſito fœcundantur per Tubas Fallopianas, ovario non continuas, ſed tantùm contiguas, & cornibus uterinis Quadrupedum ſimiles. A Tubis in uterum prolabuntur nunc unum, nunc plura, pout unum, vel plura fœcundationem ſortita ſunt: unde Gemelli, Trigemini, & ulteriores proveniunt.... Si duo ſub ipſis membranulis ova præexiſtunt, quod interdum etiam in Gallinis videmus accidere; tunc Gemelli ſub eiſdem ſecundinulis formabuntur: ſi ſecus, quod regulariter fit, unuſquiſque gaudebit propriis. Notandum tamen hic eſt, quod ſicuti, Ettmullero narrante, (*c*) Gallina olim non ovum, ſed Pullum enixa eſt: quamquam hic parienti mortem attulerit: ita ex Bartholini teſtimo-

 nio,

[a] Bianch. *de natural. Generat.*
[b] *Idem ibid.*
[c] Ettmuller. *in Phyſiolog.*

nio, (a) Haſnienſis Mulier verum edidit ovum, at verita ne vulgi fabula efficeretur; confregit illud, & confeſtim abjecit. Adeo verum eſt & Ovipara Animalia, & Vivipara æquè per ovum gignere: atque in eo ſolùm diſcrepare, quod prima illud extra nterum ſoveant, ut ex eo Fœtus excludatur; ſecunda verò id ipſum præſtent, ſed in utero ipſo.

8. Quidam exiſtimant auram virilis ſeminis mirabili vi,&efficacia in iſtanti ovarium aperire,& ad ovum fœcundatum illico emittendum ſtimulare: non ſecus ac fieri conſtat in Elaterio, ſeu ſylveſtri Cucumero, qui ſtatim diſſilit, ſi tangatur: ac propterea ovum citiſſimè deſcendere in uterum: Alii verò contra iſtud non ſine mora contingere, naturamque tres dies in bac demiſſione inſumere arbitrantur: certè plerumque obſervatur virile ſemen maxima ex parte poſt tertiam diem ab utero foras emitti. Bianchi primam amplectitur opinionem, additque ovum in matricem delapſum ibi tempore breviſſimo per plurimos canaliculos novum alimentum recipere: indeque Embryonis liquida novum etiam, vitalemque motum adipiſci: ita ut ſanguine ad cordis bullam perveniente, hæc in continenti punctum ſaliens fiat, & conſpicua reddatur; incipit ſcilicet motus cordis in Embryone, curſuſque ſanguinis per cor, & ex corde propulſio, ex propulſione autem progreſſus ipſius in partes reliquas, reditusque ex eiſdem partibus ad cor: qua propter in eo temporis puncto Embryo, vitam acquirens, jam Fœtus evadit. Drelincurtius (b) contendit generationis tempore ovum primò ex ovario in uterum deſcendere, ac deinde in illo fœcundari: communis verò ſententia ovi fœcundationem in ovario ipſo fieri docet, idque Mangetus aſſerit demonſtratum. Ovum ergo poſt fœcundationem, intumeſcit illico: idemque aliquoties in Tubis, nonnunquam etiam in ovario ipſo repertum eſt, ab eo non dum penitus divulſum, magnitudine nucis avellanæ, & die tertio, vel quarto ad ovalem figuram propendens. Hoc tempore quamquam ſine microſcopio apparet Embryo ſolutus, liquoribuſque innatans, in Amnio congregatis: eoque in ſtatu ſimilis eſt Vermi, quatenus caput habet, & truncum oblongum, & in caudam veluti deſinens: brachiis tamen, cruribus, & coxendicibus caret. Hæc autem ex quarta figura pateſcunt: Abortivum enim repræſentat, a quadam Matrona Bianchio traditum, quæ non niſi tertium, vel quartum diem a prægnatione numerabat: nam ante quatuor dies reſtiterant lunaria tributa. Kerkringius etiam in Abortivo trium, vel quatuor dierum adnotaverat: *Caput clarè a corporis mole diſtinctum, & in capite quaſi per nebulam adnotata organorum puncta; corporis autem reliqui rudis adhuc erat, indigeſtaque moles*. Poſtquam verò in uterum deſcenderit ovum, illi media Placenta connectitur; eo planè modo, quo Vegetabilium ſemina radiculis ſuis terræ defiguntur. Quod quidem Bianchi putat citiùs, alii tardiùs evenire, nimirum circa tempora organizationis perfectæ.


9. Humanum Fœtum ſeptimo poſt conceptum die commodiori obtutu ſub Vermis figura longum, levigatum, & acuta cauda finitum intuebimur. Ejus jam collo, & cranio, totoque capite aliquanto grandioribus: ac inſpecta facie ſatis humanus eſſe diſcernitur; ut figura quinta demonſtrat. Ea eſt Abortivi ſeptem tantùm dierum: caſtiſſimæ nimirum, & illuſtris Matronæ Taurinenſis, quæ illum ſeptimo admodum die a nuptiis effuderat: in figura tamen ſexta idem proponitur Fœtus, at optica lente amplificatus, qua media humanæ conformationis indicia in ejus vultu luculentiùs obſervantur.


10. Circa duodecimum diem Vermis hic humanus more Nympharum, ſeu Chryſalidum Inſectorum, vel Vermiculi Pulicis, qui crura explicat, & caudam retrahit; partes, quæ antea in ſe ipſo claudebat, foras emittit, duas nimirum papillas, quæ ſunt veluti brachiorum radices, ad ſummi trunci latera: totidemque ad ejuſdem trunci caudam adhuc retinentis latera inferiora: ea verò ſunt co-

xen

(a) Bartholin. *de Inſol. Part.*
(b) *Vide Teatr. anat. l. 2. p. 2. c. 3. in not. ad Adverſar.* Drelincurt.

Digitized by Google


I
II
III
IV
VI
VII
VIII
IX
X
XI
B
B
B
A
XII
XV
XVII



xendicum, crurum, & pedum primordia: cauda tamen gradatim exiccata reſtringitur, donec omnino diſpareat: quæ omnia ex figura ſeptima patefiunt.

11. Fœtus decimoſexto die ut in figura octava, prorſus figuram Vermis amittit, & ad humanam accedit. Truncus craſſior, & brevior eſt, initia brachiorum, & crurum planè longiora, & magis acuminata, cauda jam abſumpta, & facies ad humanam compoſita.

12. Vigeſimo die, nona figura teſtante, vultus humanus eſt manifeſtior, mandibula tamen inferior adhuc valdè deformis: brachia, & crura longiora quidem, ſed ſine manuum, & pedum veſtigio, & in figuram conicam terminata.

13. Die vigeſimoquinto ex figura decima ſatis clara eſt conformatio manuum, & pedum, ac prima digitorum rudimenta. Truncus patenter humanus, videnturque in eo & lumbi, & ilia, & partes poſteriores: Kerkringius Anglus Fœtum affert brachiis, cruribus, digitis, cæteriſque aliis partibus jam completum, qui vigeſimum primum diem non excedebat: ex quo aliqui fortè ſuſpicari poſſent in Septentrionalibus Regionibus velociùs perfici Embryones. Bidlous quoque figuram exhibet Fœtus vigeſimiquinti diei, in quo non ſolùm omnia membra, licet non dum abſoluta, ſed etiam plurium oſſium initia, & facies egregiè venuſta cernuntur. (a) Verùm hunc Fœtus iſte pulchritudinem non a Natura, ſed ab imprudentia potiùs Cœlatorum accepit.

14. Trigeſimo ſecundo die digiti non apparent perfectè completi: brachia, & crura ſunt adhuc manca. Figura quidem undecima Abortum oſtendit magnitudine ovi gallinacei, quamquam exigui, Fœtum decumbentem, & nonnihil inclinatum continentis. Certè is trigintaduos admodum dies habebat: erat enim honeſtiſſimæ, & primariæ Taurinenſis Matronæ, cujus Vir, & ante, & poſtea Taurino abfuerat per longa temporum intervalla. Membrana Chorion, atque Placenta præternaturalem diſpoſitionem præſeferebant, quod fortaſſe hujus Abortionis extitit cauſa: prima enim deſignata per literam A. omnino ſejuncta erat ab Amnio, in ſe ipſa tamen involuta, & corrugata; ſecunda verò L. B. B. in plures lobos manifeſtè diviſa.

15. In figura duodecima videre licet Fœtum trigintaſex dierum, cujus brachia, crura, atque digiti non benè adaucti perſpiciuntur.

16. Decimatertia Abortivum perhibet quadraginta dierum, in quo partes antedictæ, illarumque extremitates, nondum ſatis erant adultæ, atque completæ.

17. In decimaquarta duos habes Gemellos quinquageſimo die, tum capite, ac trunco, tum brachiis, & cruribus probè formatos.

18. Decimæquintæ Fœtus bimeſtris eſt, ac tertia parte præcedentibus grandior, non minùs mole, quàm tempore: vaſaque ejus umbilicalia in funiculum contorta, ſpectantur.

19. In Fœtu decimæſextæ figuræ menſes tres, totidemque computabantur hebdomadæ: repertus ille in ſitu Nonnatis naturali, ac funiculo umbilicali, ut ſæpè fit ad collum convoluto.

20. Ex figura tandem decimaſeptima Fœtus, habetur in caput revolutus, & a Matre mortua extractus, qui dimidium graviditatis curſum exceſſerat.

Hæc eſt ſeries incrementorum in Fœtibus, quæ fortè in aliis, etiam Ruiſchianis, tam exacta propter cœlatorum ignaviam obtineri non potuit: maximè cum in iſta omnia in proprio ſchemate juxta veram ſui magnitudinem ſint delineata. Sicubi verò quidquam deeſt, ſcilicet vel placenta, vel vaſa umbilicalia, ea moli Fœtus reſpondentia ſubintelligenda ſunt: cum quo etiam æquâ proportione concreſcunt.

21. Poſtquam ergo in apertam lucem deductus eſt verus, admirandusque Naturæ modus, & ordo, quo ipſa in Hominis generatione procedit; Zacchiæ ſententia noſtris temporibus crevit probabilitate: non ſolùm quia videtur Anima illico debere infundi poſt conceptum, ut corporis ſui formationi ſubſidium ferat, quæ ratio Zacchiam permoverat; ſed etiam quia corpus ipſum reperit ſufficientiſſimè præparatum, ut in eo jam inde

F 2 ab

(a) *Tabul. 79. apud Manget. Theatr. Anatom.*

ab initio ſe̅m ſuam figere poſſit.

Id etiam ordini omnino cohæret a Natura in aliorum Animantium, & Vegetabilium generatione ſervato. Plantæ enim omnes ut ita dicam, hermaphroditæ ſunt: ſmina continent in eiſtulis, more ovorum in fœminarum ovario conclusorum: flores verò marium officio quodammodo funguntur: pulvis enim granulorum, diſperſus a ventis, ac poros eorumdem ſeminum ingrediens, aut ſaltem ejus aura vivificans, ſemina ipſa fœcundat. Quod ſi pluviæ pulverem, antequam ad maturitatem perveniat, magna ex parte diſcuſſerint, vel frigus immane ſeminum poros occluſerit; hæc ſterilia remanebunt, futuraque meſſis erit exigua: copioſiſſima verò, ſi ſemina omnia ab eodem pulvere, vel aurà fœcundationem acceperint. (a) Vivere autem incipit planta cum ſemine in terram cadente, hujus vaporoſo calore gemmula excitata germinationem exorditur.

22. Eàdem methodo Natura in omnibus Animantibus uti conſuevit. Ariſtotelis ipſe teſtatur. (b) Pullum ad tertiam diem, & noctem a Gallinæ incubatione, utpote Corde, tanquam Puncto ſanguineo ſaliente jam præditum, moveri ut Animal. Harveus autem expertus eſt idem Punctum quarto incubationis die, etſi vaſa Pulli adhuc diſcerni oculis nequeant; nihilominùs indubiè ſenſum habere, nam ad omnem, vel minimum tactum, vario ſanè modo commovebatur, quaſi ſtimulo quodam irritatus: ritu propterea Syſtoles, atque Diaſtoles perturbato. Ubi igitur acu tangeretur, aut digito, ſive ad ipſum aliquid nimis frigidum, aut nimis calidum, aut quoquo modo moleſtum, accederet; varias illico ſubibat mutationes, ejuſque pulſatio frequentior, & validior eluceſcebat: cumque actiones hujuſmodi propriæ ſint Animæ ſentientis, procul dubio ex Ariſtotelis ipſius doctrina (c) conſequens erit, ipſam adeſſe præſentem, & in actu, utpotè illarum cauſam, verumque principium.

23. Quamvis autem quarta dies incubationis Gallinarum, quartæ diei prægnationis Mulierum non aptè reſpondeat; attamen Pullus revera, ut Malpighius animadvertit, etiam ante ipſam incubationem creditur animatus: nam & ante illam Pulli organa moveri conſpiciuntur. Cæterùm paritas conſiſtit in hoc: Pullus vivit ab eo uſque tempore, quo Cor ejus formatum dici poteſt; quod ab ipſis initiis juxta præmiſſa contingit. Idem ergo de Homine ſentiendum. Et ſanè ſi Cor in humano Embryone præexiſtit, & aura virilis ſeminis omnia illius liquida concitatiſſimo agitat motu; ac propterea cor ipſum propriam alternare incipit Syſtolem, atque Diaſtolem: veriſimillimum eſt, eodem tempore Deum Animam rationalem infundere, ut ipſa præſentiâ ſuâ motum ab eadem aura inchoatum ordinatè proſequatur, atque ad perfectam corpuſculi ſui nutritionem, formationemque concurrat; non ſecus ac Anima ipſa in Natis, & Adultis, quamvis ne cogitans quidem, imo & quandoque nolens, digeſtioni, ſanguificationi, augumento, totque aliis functionibus, ignota nobis actione, cooperatur, quæ functiones in humano corpore dummodo illi conjuncta ſit Anima, illudque vivificet, naturę ipſius magiſterio peraguntur. Fœtus ergo acceptâ jam ab Anima vità, ſeſe diſtendere incipit plantarum ad inſtar, quę Animæ vegetantis virtute, quæcumque tandem illa ſit, e corticibus ramos ſuos emittunt: non enim propriè Fœtus per modum compaginationis, ſed potiùs uti ſupra dictum eſt per modum diſtenſionis, & explicationis augetur, & creſcit. Ac ſicuti cum ferrum Magnete jam tactum fuerit, Acus omnes, aliaque ejuſdem metalli fragmenta, illi proxima, inſigni, & inexplicabili ſympathiæ vi cum ipſo unionem affectant: ita infusâ jam a Deo Animà in membra, quę delineata in puncto humano ſalienti exiſtebant; confeſtim innumeræ illæ, & tenuiſſimæ particulæ, e quibus nervi, oſſa, fluida, caro, totumque corpus conſtare debet, quibuſque totum ovum copioſè refertum eſt; a ſpi-

(a) Bianch. *de human. generat.* Pluſc. *Spect. natur. t. 2. dial.* 14.
(b) Ariſtot. *Hiſt. Anim. lib. 6. c.* 3.
(c) *Idem lib. de Animal.*

a ſpiritu virili cum fœmineo inter ſe fœderatis, agitatæ, moveri incipiunt, & per varios canaliculos Embryonem ſenſim ingrediuntur, eumque, quamvis communibus nutritionis organis adhuc imperfectis, admirando prorſus ordine gradatim enutriunt, atque ita in dies extollitur ædificium, Anima quidem, quaſi Fabro modo nobis occulto, cooperante, at Deo, tamquam primaria cauſa, omnipotenti dexterà ſuà motum omnem, & actionem tribuente, ac veluti Architecto inſigne opus dirigente.

24. In hoc Recentiorum ſyſtemate, magis quam in aliis, perſpicuum eſt, filios non eſſe niſi veriſſima Cœli dona: imo *neque qui plantat eſſe aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*: (a) etenim juxta illud non infunditur a Deo Spiritus, cum Fœtus fuerit revera completus, ſed jam inde ab initio ad hoc ipſum creatur, ut eo agente humani corporis mira formatio conſurgat. At ſi Deus hoc nolit, quod profectò non ſolet, ubi ſecundæ cauſæ ad generationem diſpoſitæ reperiantur; prima illa fermentatio, quam in ovum aura ſeminis virilis invexit, ſiſtitur, imò citiſſimè extinguitur, & evaneſcit.

25. His rationibus, & experimentis adducti Recentiores Philoſophi, atque Medici maximo numero Zacchiæ ſententiam ſectati ſunt, quos inter Vaterus. (b) *Fœtus humanus*, inquit, *a primo conceptionis momento Animam ſuam humanam accipit*. Et Michael Alberti Beruſſiæ Regis Medicus non dubitavit inferre. (c) *Æquidem id firmiter aſſero, quod a primis conceptionis initiis Anima rationalis in Fœtu adſit, eo quod ſine Anima illa conceptia fieri nequeat, quæ tamquam Artifex, & Architecta ſui corporis preſto eſt; a qua deinde actus formationis dependet*. Citatque longum Auctorum cathalogum, qui ſimilia dixerunt, (d) integriſque tractatibus confirmarunt. Horum ſanè multi, qui ſunt e Proteſtantium numero, Tertulliar ſenſum amplectuntur: Animam ſcil. ex traduce propagari: verum hoc non ad præſentem, ſed ad aliam controverſiam pertinet: interim verò innumeris e noſtris Catholicæ Scholæ Philoſophis conſentiunt, dum aſſerunt corpus ſine Anima formari non poſſe. Nec tamen ſolis Philoſophis, & Medicis Zacchiæ ſententia placuit; ſed pleriſque etiam e Theologis noſtris, maximè verò celeberrimo Chriſtiano Lupo: Plazza, quoque, Corſinus, (e) aliique in eam non obſcure propenderunt.

26. Magis autem illi faverat Florentinius, ab eo ipſo tempore, quo primam edidit diſputationem: quamquam novæ inventionis Ovarii adhuc neſcius, de antiquo tantùm ſyſtemate mixtionis ſeminum, plaſticæque virtutis meminerit. Videtur is quidem in editione quatuor diſputationum facta An. 1675. aliquam jam fœmineorum ovorum cognitionem adeptus; non ſolùm enim citat Kerkringium, ſed & relationem Academiæ Pariſienſis An. 1672.: nihilominus in ea re non immoratur; ovarii enim inventio nondum ſatis erat evulgata, & illuſtrata: multoque minùs a Philoſophis animadverſum Embryonis partes omnes non poſt conceptum primo formari, ſed generationem præcedere, quamvis poſt eam evolvendas gradatim, atque perficiendas. Quapropter ſi Florentinius hac noſtra ætate vixiſſet; nullatenùs dubito, quin acerrimus inter omnes Zacchiæ Sectatores evaſiſſet. Suffragatur etiam quodammodo S. Iſidorus; qui docuerat: *Animam creari cum creatur corpus, cui videtur admiſceri*. Si enim nupera experimenta noviſſet, ex quibus oſtenditur

(a) 1. *Cor.* 3. 7.
(b) Vater. *diſp. th. p.* 9. *&* *diſputat. de Infanticid.*
(c) Albert. *in Phyſiolog. cap. de Generat. & in Juriſpr. Medic. c.* 7. *de animat. Fœtus*.
(d) Horſtius, Haffreneſſer, Muſeus, Chaventener Leſchivit. Joann. Thomaſius, Planerus, Braune, Sperlingius, Stahil. Thomaſius *in nat. ad Lancellott.* Detardig. Genſel. Ammaan. Ziegler. Chanobboc. Durrius, Daniel Stahil, Scaliger, Sennert. Bohinus, Spenerſius, Spenerus & *Alii*.
(e) Lup. *t.* 12. *in Apol. de ov. fæc. & exam. fortal.* Plazza *lib. cit. Act.* 3. *art.* 2. *n.* 339. Corſin. *Inſti t. Philoſ. tc.* 4. *tract.* 2. *diſp.* 3. *c.* 9. *n.* 9.

ipſa quoque ſubſtantialia variant, vel prætermittunt.

2 Abortivi autem duplicis ſunt ſpeciei, aliqui non ſolùm primariis membris inſtructi, ſed toto etiam corpuſculo completi, quod circa quadrageſimum diem evenire putatur: alii non completi, nimirum ætate minores. Completi, ſi vitæ indicium motu præbent, abſolutè baptizantur, ſi verò motum non præſeferunt, at nihilominus non ſunt corrupti, aut laceri, aut conquiſi: quamvis lividi, ac ſine pulſu. reſpiratione, motu, atque ſenſu, dubium eſt utrum reverà obierint an non. Sæpè enim detectum fuit eos propter Abortus violentiam in immane deliquium incidere, itaut quamvis re ipſa vivant, omnino tamen mortui videantur. (*a*) De Fœtibus autem non completis dubium profectò cenſetur, utrum rationalem Animam jam acceperint: incertum eſt enim tempus animationis: æquitas nihilominus opinionem benigniorem ipſiſque ſavorabilem pro Baptiſmate conditionatè miniſtrando ſuadet eſſe amplectendam. Neceſſarium eſt igitur in quocumque Abortu ante omnia Parentes, alioſque Adſtantes ſummam adhibere diligentiam in inveſtigando utrum Fœtus per motum vitæ prodat indicia, ut ſaltem ſub conditione baptizetur. Facillimum eſt in Embryonibus motum circa vigeſimum diem perſpicere. Hippolyti Pagnotta Chirurghi Monteregalenſis Uxor An. 1727. abortiit, quæ tam brevi tempore utero geſtaverat, ut ne quidem ſe antea prægnantem cognoviſſet: cum autem ſedulò perquireretur quidnam effuſum eſſet; inventus eſt Fœtus minimus a ſecundinis jam ſolutus magnitudine Apis, ideoque juxta Tabulas Embryonum a Bianchio obſervatorum, die vigeſimo nono non major; quinimo juxta Tabulas Kerkringianas fortaſſe minor. (*b*) Satis formatus erat pro ætatis ratione: totuſque movebatur, vitam oſtentans; eum, Suſanna Pagnotta rationali Spiritu certò informatum reputans, abſolutè baptizavit: qui deinde poſt decem horaria minuta mortuus, in Collegiata Crucifixi Eccleſia ſepultus eſt. Idem omnino Matri ſuæ contigiſſe narravit mihi Am-ens Canonicus Acienſis. Et nuper ego ipſe alterum vidi Embryonem, ferè dierum ſexdecim, vel paulò majorem extinctum quidem, ſed qui antea motu ſe vivum exhibuerat, propterea ſub conditione baptizatum. Sed heu quanta in Abortibus, prætextu non factæ veriſimiliter animationis, Parentum, & Domeſticorum ſocordia, & intolerabili[illegible] ltitia! Profectò pene ſupra fidem [illegible]tur, quod Panormi evenit Obſtetr[illegible] cognomento Græcæ. Mulier manè cum abortiret, ſe menſtruum fluxum, etſi abundantiorem, pati credidit, nec quid exiret, inſpexit: ſe enim prægnantem neſciebat. Poſtridiè cum Obſtetrix eam fortunâ inviſeret, atque de fluxu audiret: pulſu tentato pronunciat, illam abortiſſe: quo circa indagine facta folliculum ſecundinarum, certiſſimè nonniſi præcedenti die emiſſum, quærit, repertum diſcindit, Fœtumque in ipſo poſt vigintiquatuor horas, ac fortè ampliùs, vivum deprehendit, atque baptizat: minor hic erat die quadrageſimo, nam Cammari molem non excedebat: eumque mortuum Eccleſiæ intulerunt.

3. Dixi Genitores, alioſque Adſtantes ſummà vigilantià perſcrutari debere utrum Fœtus vitæ det ſigna: nam de facili poterit eſſe vivus, imo & ſeſe movere, quin tamen ipſi hoc animadvertant. Panormi An. 1717. æſtivo tempore horà quartà a Solis occaſu Abortum ſecit Urſula Uxor Philippi Pedemontii Remigum Triremis Præfecti. Fœtus exiit trimeſtris a ſecundinis excluſus, & in ſpeciem omnino exanimatus. Itaque Domeſtici in feneſtrę limine aeri frigido, & humido expoſitum (nam locus erat mari propinquus in ſuburbio) dereliquerunt. Sequenti die, horà circiter undecimà, Conſanguinei cum ad Mulierem ſolandam veniſſent, curioſitate ducti Abortivum inſpicere voluerunt: & ecce ex umbilici nunc ſeſe attollentis, nunc deprimentis, oſcillatione cognoſcunt ipſum vita non adhuc deſtitutum, quamquam horà ſeptima poſt Abortum. Eum ergo ad Parochialem Eccleſiam deferunt; ibique bapti-

(a) *Vide infra l. 3. a cap. 10.*

(b) Kerkring. *Anthropogeniæ c. 3. & 4. & Tab. 75. fig. 3. & 4.*

ptizatum, ac deinde poſt duo minuta horaria defunctum capſulæ includunt, atque ſepeliunt. Cathanæ Illuſtris Matrona circa quadrageſimum prægnationis diem Gemellos duos ejecerat. Unus jam putruerat, alter ita certò mortuus apparebat, ut Archiater Tezzana Comes Palatinus cultro ipſum diſſecuerit: ſed aperto pectore, ex motu cordis periodico vive em comperit, & illicò baptizavit.

4. iſtimandum tamen eſt hæc eventa non adeo rara. Profectò Mabillonius ſub Euſebii Monachi nomine conqueritur: nimis frequenter Vulgus credere, Abortivos ad aliquorum Sanctorum, ab univerſali Eccleſia non canonizatorum, invocationem, a Deo Baptiſmi ſuſcipiendi gratià in vitam revocari. *Quot Abortivi*, inquit ille, (a) *excitati ad percipiendum Baptiſmum? Verùm illa miracula velim nobis a Teſtibus fide dignis comprobari: nec in ea inquirere mihi privato Homini convenit: Epiſcoporum id officium eſt, ea auctoritas*. Et quidem ſicuti indubium eſt innumerabiles Pueros Sanctorum precibus ad Baptiſmi donum recipiendum vitæ reſtitutos; ut plurimæ teſtantur hiſtoriæ, & nos alibi expendemus; ita credibile eſt, non rarò Infantes a Mulierculis, vel etiam a Viris credulis ac vecordibus mortuos reputatos, qui tamen mortui re ipſa non erant: quorum vita aliquo fortè deliquio tantùm oppreſſa, non prorſus extincta ſubinde in manifeſtum prodierit.

5. Ubi verò breviſſima fuerat prægnatio, multò fallacius mortis indicium erit privatio motus in Embryunculo. Primò propter aliquam ſyncopem, ſeu ſpirituum laſſitudinem, uti expertus docuit Harveus: ſecundo quia in eorum ſententia, qui arbitrantur Animam illicò poſt conceptionem infundi, ſtatimque vitam inchoari, ubi nimirum ſpiritus fermentationis motum exordiuntur: fortè jam vivit Embryo, quamvis motu Syſtolico & Diaſtolico non incepto: quia nondum cor, aliaque vaſa ad ſanguinis circulum neceſſaria ſunt probè constructa: verum Anima jam corpuſculum poſſidet; ut præſentià ſuà ejus partium inſerviat perfectioni, quæ deinde ad motum periodicum inſtituendum ipſius organa ſunt futuræ: & hujuſmodi ergo Embryoni conditionatum Baptiſma non denegabimus; dummodo Embryo eſſe dignoſcatur, habeatque prima Fœtus lineamenta: nec laceratione, contuſione, vel corruptione conſtet ipſum vità carere. Medici tamen præteriti ſæculi, olim ſenſerunt, Embryunculum, etſi animatum, primis diebus non eſſe ſenſibilem: namque, ut ſupra innuimus (in utero non niſi ſemen inveniebant: quod maxima ex parte poſt tres dies emittitur) cum Fœtus interim, vel in ovario lateret, vel per fallopianas Tubas adhuc deſcenſum ſuum proſequeretur, nec ad uterum perveniſſet. Nihilominus poſtquam demonſtratum eſt generationem fieri non ex mixtione virilis ſeminis cum muliebri quadam limpha: ſed ex ovo, quod verum eſt fœmineum ſemen, per virile ſemen fœcundato: compertum eſt etiam Embryonem ipſi fœcundationi cum membris ſuis præexiſtere: quamvis obſcurè, & ſolo Micoſcropio videndum: poſt fœcundationem verò ſemper eſſe in ovo ſenſibilem. Hæc autem omnia, quia nondum perſpecta ſiluit quidem olim Florentinius, hodie verò ſunt omnibus explorata. Maniſeſtum inſuper eſt die tertio non ſolùm abſque Micoſcropio Fœtum, Vermis inſtar, inſpicientibus apparere; ſed & caput ipſius, quod ſedes eſt Animæ præcipua, diſcerni. Cæterùm etſi ſenſibilis in ſe ipſo non eſſet; ſenſibile ſaltem eſſet ovum, quo concluditur: hoc verò nihil eſt aliud, quàm ſecundinæ, quæ non ſolùm cum Fœtu continuantur, verum etiam corporis ipſius dicendæ ſunt partes, ad vitam, quouſque in lucem prodeat, omnino neceſſariæ.

6. At diſpiciamus hic, utrum caſus dari poſſit, quo Embryo v. g. quatuor, vel trium dierum, vel etiam ætate minor, dato quod Anima rationali ſit præditus, vivus per Abortum egrediatur, & non potiùs ante egreſſionem, ipſum in materno utero mori neceſſe ſit, aut ſaltem ſtatim ac egreſſus, externum aerem ſenſerit? Equidem cenſeo caſum non eſſe

(a) Mabill. *in tom. 5. oper. in Epiſt.* Euſeb. Monach. Rom. *ad* Theoph. Gall. *de Cultu Ss. Ignotor. n.* 18.

eſſe impoſſibilem: quamvis enim gràvis ille tumultus ab Abortu ſuſcitatus, facilè poſſit Fœtum adeo tenellum perimere: conſiderandum tamen eſt etiam, Horologia, ſimileſque machinas quo pauciori conſtant numero inſtrumentorum, eò difficiliùs labefactari. Et quidem Puncta ſalientia Pullorum, tametſi ab ovis extracta, eo ipſo tempore, quo needum aliqua diſtinctio vaſorum in eis valet eſſe conſpicua; nimirum quarto die, vel in fine ipſius, aut ſub initium quinti, diutiùs vivunt: ut infinitis a ſe factis experimentis aſſeverat Harveus: imo ſi quandoque jam mortua videbantur, quia motu carentia; ſubinde aliquo ſomento recreata, vitam denuò manifeſtabant: en ejus verba: (a) *Vidi, inquam, ſæpiſſimè, aliique, qui unà mecum aderant, ab acus, ſtyli, aut digiti contactu; imo verò a calore, vel frigore vehementiore admoto, aut cujuslibet rei moleſtantis occurſu, Punctum hoc varia ſenſus indicia, pulſuum nempè varias permutationes, ictus validiores, ac frequentiores edidiſſe: ut dubitandum non ſit, quin punctum hoc, Animalis inſtar, vivat, moveatur, & ſentiat: Ovo inſuper aeri frigidiori diutiùs expoſito, Punctum ſaliens rariùs pulſat, & languidiùs agitatur: admoto autem digito calente, aut alio blando fotu, vires ſtatim, vigoremque recuperat: quin etiam poſtquam Punctum hoc ſenſim elanguiſſet, & ſanguine plenum a motu omni ceſſans, nullumque vitæ ſpecimen exhibens, morti penitùs ſuccubuiſſe viſum eſſet; impoſito digito meo tepente, ſpatio viginti arteriæ meæ pulſuum, ecce carulum denuò erectum revixit, & tamquam poſtliminio ab orco redux, priſtinam choream redintegravit. Idque alio quolibet leni calore, ignis nempe, aut aquæ tepidæ, iterum, iterumque a me, atque aliis factitatum eſt: ut pro libita miſellam Animam, vel morti tradere, vel in lucem revocare in noſtra poteſtate fuerit.*

7. Similia tradit Chriſtophorus Guarinonius Rodulphi Secundi Imperatoris Medicus. (b) Hic non ſolùm enarrat in Puncto ſalienti, quamvis membrana incluſo, conſpici pulſationes; ſed addit eo moroſiùs Embryonem vità deſtitui, quò imperfectior eſt. *Præterea illud indicio certiſſimum eſſe quod vivat cor, quoniam avulſum a corpore, & ab omnibus venis abſciſſum adhuc vivit, & pulſat: quod in Adultis jam Animalibus videmus, ſi viventia aperiantur; & cor eximatur: & tamen diutiùs vivit, quò teneriora, recentiùſque nata Animalia fuerint: ut expertus ſum. In Pullis propriè avulſum cor, venis ſpoliatum, tota ferè horà ſeſe movet inæqualibus pulſibus, modo rarioribus, modo crebrioribus &c. Cum verò cor jam moriturum eſt, per quartam partem horæ, ſolo altero laterum movetur, & ad finem vitæ ſolus ventriculus, non etiam cuſpis contrahitur; dilataturque. Nona die, qua jam corpuſculum Pulli obfirmatum conſiſtit, vel propter ſectionem duriorem, gravioremque, vel quamvis aliam cauſam; ſæpè vidi, quod cor avulſum non retinet vitam, quin interdum aperto Thorace motum amittit. Quod certè eò minùs diù vivat, quò grandiùs, & perfectiùs factum Animal eſt, habeo exploratiſſimum: & ratio ea eſſe poteſt, quoniam vitæ, & Animantis vis primùm in ſui initio tota comprehenditur. In Puncto enim temporis Animantis generatio eſt: poſtea verò partibus reliquis expreſſit, ipſa in eas diſtributa, ut jam illis egens, & ſanguine, jam ſeſe in ſolo corde ſubſtinere non poteſt &c.*

8. Sed ad modum baptizandi Abortivos minimos convertamur. Fœtus primorum dierum baptizandus eſt ſub conditione, *ſi es capax*, quamvis adhuc ſecundinis involutus, ne tempus abſumamus cum periculo ejus mortis, ubi aeri exponeretur: quæ conditio, *ſi es capax*, reſpicit æquè tam dubium animationis, & vitæ, quàm dubium ne Baptiſmatis validitati obſtent ſecundinæ: quo facto aperiantur ſecundinæ ipſæ, & iterum baptizetur ille ſub duplici conditione, *ſi es capax, & ſi non es baptizatus*, & hoc ſive motus in eo obſervetur, ſive non: dummodo, uti ſupra explicavimus, illum evidenter jam vita ſpoliatum eſſe non cognoſcamus.

9. Hujuſmodi autem Abortivi per

(a) Harveus *de generat. Anim. exercit. 17. in 3. ovi inſpectione.*
(b) Guarinon. *Opuſc. de Nat. human. ferm. 2. fol. 58.*

immerſionem in aliqua patina, vel *cyatho* aqua pleno baptizantur: nec timeat Sacerdos irregularitatem propter mortem ipſis maturatam, quamvis eſſent ſecundinis exuti: nam, ut oſtendemus infra, mos eſt Embrionibus in quodam liquore, quo altera ſecundinarum, Amnios appellata, plena eſt, ſine reſpirationis indigentia natare. Itaque propter immerſionem Embryo non ſuffocabitur: quod ſi *casù* fortaſsè id aliquando eveniret; vita ipſius adeo tenuis eſt, & conſervatu prorſus impoſſibilis; ut in talibus circumſtantiis propter formidinem, nè mors eidem per paucula momenta acceleretur, Baptiſmus omitti non debeat.

10. Cæterùm illud etiam de omnibus Abortivis Parochi Populos admoneant, eos nimirum, etſi baptizatos, quamvis deformes, aut monſtroſos, non eſſe eo prætextu occidendos, quod vivere, & adoleſcere nequeant, vel non expediat. (*a*)

11. Reſtat adhuc, ut cuidam petitioni faciam ſatis: nimirum dignoſcine facilè poſſit, utrum quod per Abortum in principio prægnationis ejectum eſt, verè ſit Embryo, an mola, vel ſanguis grumefactus, aut aliquid ſimile? Florentinius in ſecunda Diſputatione examinata, & edita Romæ ita reſpondet: (*b*) *Sive igitur primis diebus, ſive aliis inſequentibus intra trigeſimum, aut etiam quadrageſimum diem, diſcernendum ſit, quidquid immaturè ab utero effuſum eſt; ſive grani hordeacei, aut minoris phaſeoli, ſive majoris Formicæ, aut nucis avellanæ, ſive Apis, aut grandioris Muſcæ, ſive etiam minimi digiti magnitudinem exæquet; hujuſmodi enim metaphoris Auctores recentem Fœtum metiuntur*] *hanc eſſe regulam ſtatuo: ut quando internus Homunculus ob ſui teneritudinem membranam nequivit abrumpere, & ſeipſum prodere; ſi involucrum illud effuſum appareat membranâ circumdatum, quæ ſit ſubalbi coloris, ſimilis inteſtinis, figuræ ovalis, & quæ digito tacta molleſcat, & cedat; quia Peritorum obſervationes, & documenta veri Fœtus notas eſſe conteſtantur; tunc prudenti judicio pronuntiandum eſt, Fœtum eſſe, non molam: & quia hoc prudens judicium morali cum certitudine conjunctum eſt; de ſubjecto ſenſibili, & digito demonſtrabili, atque ideo de ſubjecto Sacri Baptiſmi capaci jam conſtat: quia ex hujuſmodi ſignis cognoſcimus Fœtum eſſe talem, ut in eo prima rudimenta vitæ intus exiſtant.*

12. *Si verò illud, quod ex utero Mulieris abortientis egreſſum eſt; ſit caro informis, nigris venis, & ſanguineis intexta, ad aſpectum ſcabra, ad tactum dura, vel etiam vario colore infecta, procul dubio molam eſſe, & fruſtraneam genituram, non Fœtum judicabimus; & nullatenus baptizari oportet, & multò magis ſi ex utero ſanguinis grumi, ſeu carunculæ exierint; molas eſſe non Fœtus humanos, eſt aſſerendum: nam etiam hujuſmodi fruſtula carnis, & ſanguinis ad molæ ſubſtantiam pertinere judicavit Hippocrates loco citato: & molæ ſpeciem eſſe cum Avicenna ſcripſit* Andr. Chriſt. c. 29.

13. *Ad argumentum igitur dico, quod ſi ſupradictam regulam explicent Parochi, eamque edoceant Mulieres, etiam montanas, quas de materia, & forma Baptiſmi alioquin oportet eſſe inſtructas, licet de iſtis ſine dubio ſint magis incapaces, cum ſint a natura remotiora: illa verò ſigna ſint omnino naturalia, & ſenſibilia: ſequitur non eſſe valdè difficile, atque adeo nec in jure impoſſibile, molas a Fœtibus dijudicare. Quare ad Excellentiſſimum Dominum meum dico: monendas eſſe omnes Mulieres nuptas, & innuptas, imo & quaſcumque perſonas, quæ in caſu neceſſitatis privatum Baptiſmum tenentur adminiſtrare: & Parochos poſſe uno verbo abſque Medicorum conſultatione prædicta ſigna, & notas ad utrumque, Fœtum inquam, & molam, nec non ad alia excrementa dignoſcenda inculcare, & ut veros Fœtus ſub conditione baptizent admonere. Illud verò quod additur de ſanguineis excrementis, neſcio an ſecundùm conſcientiam ab aliquibus contra me objiciatur. Si quidem Obſtetrices, quantumvis rudes, & imperitæ, niſi ſentire voluerint; optimè diſcer-*

(a) *Vide etiam lib. 3. c. 9.*

(b) Florentin. *de Hom. dub. diſp. 2. ſect. 7. n. 8.*

Digitized by Google

ſcernunt menſtruum humorem ab humanis Fœtibus. Hactenus Florentinius. Hæc eadem diſtinctionis indicia ſimiliter afferuntur a Bianchio. (*a*)

14. Equidem notatu digniſſimum, cenſeo, molam a vitio, quo ſecundinæ, & Fœtus inæqualiter nutriuntur, provenire: hic enim extenuatur, illæ contra immaniter excreſcunt: ſalſum verò germen vitium ſupponit in Fœtu ipſo, quod eumdem paulatim interimit, & extinguit. Quapropter cum tandem, Fœtu penitùs abolito, ſecundinæ ſolæ nutriantur; hæ in molam convertuntur. Porrò oportet ſufficiens tempus interlabi, ut magna, hujuſmodi mala perfici poſſint: quocirca primis graviditatis diebus involucrum, quod exit, verum Fœtum continebit: quamquam illud ipſum, in utero ſi retineretur; fortè curſu temporis vero Fœtu primùm exanimato, deindeque deleto, in molam, vel ſalſum germen eſſet degeneraturum. Primis diebus prægnationis propterea, de quibus, & pro quibus hic ſermo eſt; vix caſus dari poterit, in quo dubium iſtud, cæteroqui extricatu facile, utrum nempe Fœtus an mola ſit; locum ſibi vendicet. Nam in progreſſu graviditatis, adulto jam volumine, quod per Abortum emittitur, quiſnam, etſi ſtolidus, Fœtum a mola non commodiſſimè diſcerneret? Expedit autem & ipſas molas diſſecare, & inſpicere, num aliquis fortè in eis lateat Infantulus, quod non ſemel accidiſſe inferius oſtendemus. (*b*)

15. Hoc ergo Capitulum verba claudant Conſtantini Roncaglia (*c*) magna, ex parte traditam doctrinam confirmantis. *Filii Abortivi, ſi non conſtet mortuos eſſe, ſunt ſub conditione baptizandi. Quamvis igitur diu viguerit Ariſtotelis opinio, Maſculos non animari Animâ rationali, niſi poſt quadraginta dies a conceptione, & Fœmellas poſt octoginta; jam ab aliquo tempore non ſine plauſu recepta eſt opinio; ab initio conceptionis Fœtum Animâ rationali informari, & ex virili generatione ſtatim concipi Hominem, non Brutum. Videatur P. Hieronymus Florentinius, noſtræ Congregationis non exiguum decus, in ſuo percelebri Opere de Baptiſmo Abortivorum &c. Ex hac igitur, non ſine fundamento a pluribus opinione recepta, ſequens formatur ratiocinium. Probabile ſaltem eſt, ab initio conceptionis Fœtum Animâ rationali informari: ſi autem eſt probabile, Fœtus eſt ſub conditione baptizandus: cum Chriſtus Sacramenta inſtituerit in remedium Animæ, & aliunde appoſita conditione conſulatur reverentiæ Sacramenti. Triplicem autem accidere poteſt, aliquando apponendam eſſe conditionem, nempe* ſi es capax Baptiſmi; ſi non obſtent ſecundinæ; *dum ſecundinis eſt involutus*: ſi es vivus; *dum dubitatur, an Fœtus ſit vivus, vel mortuus*; Ego te, baptizo &c. Ne autem toties conditionalis forma repetatur, animadvertendum quod ſuperiùs indicavi: ſcilicet conditionem, *ſi es capax*, plura ſimul poſſe, reſpicere; nimirum animationis, & vitæ incertitudinem; & circumſtantiam quandoque adjunctam ſecundinarum: ideoque hunc ſenſum habere, *Si actu es animatus, & ſecundinæ non obſtent*.

16. Cæterùm videntur Theologi Religioſiſſimæ Congregationis a Matre Dei, ad quorum numerum pertinet non minus Roncaglia, quàm Florentinius, ac Dezza, ſemper cauſæ Abortivorum ſtudiosè, ac impensè faviſſe: favet etiam, doctiſſimus Benedictus Plazza e clariſſima Societate Jeſu, in ſuo verè inſigni Opere de Immaculata Virginis Conceptione, Panormi anno 1747. edito, ubi Florentinii ſententiam ſequitur, & ſtrenuiſſimè tuetur.

PRIMI LIBRI FINIS.

(a) Bianch. *de vitioſa Generat. fol.* 118. *ad* 132.
(b) *Lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 12.
(c) Roncaglia *t.* 2. *tract.* 17. *de Bapt. cap.* 4. *quæſt.* 4. *reſp.* 3. *& tom.* 1. *tract.* 11. *de v. Decal. Præcep. c.* 2. *q.* 3. *reſp.* 1.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

De auxilio Infanti nonnato præſtando Matre defuncta.

CAPUT PRIMUM.

Prægnante mortua ſuccurrendum Fœtui Partu Cæſareo. Præcautiones ut proſperè ſuccedat.

1. QUEMADMODUM fructus quouſque ab Arbore pendet, Arboris ipſius pars non immerito appellaretur: ita & nonnatus Infans dum utero clauſus, & mater nis viſceribus manet annexus, Matris quodammodo portio dicendus eſt: imo in jure cum illa pro una eademque perſona reputatur. Quamvis enim vitâ Matris reipſa non vivat, communem tamen cum ea aleam frequentiſſimè ſubit. Profectò Prægnantis mors, ubi chriſtiana charitas ad opitulandum non accurrat; erit etiam Fœtui ſine ulla dubitatione exitialis. Poſtquam igitur ſatis de Abortibus arcendis, Abortiviſque juvandis diſſeruimus; exponendum eſt etiam quid pro Filiolo agendum ſit, ubi Mater ante Partum occumbat: qua ratione ſcilicet naturalis Pueri nativitas per artificialem; quæ Partus Cæſareus dicitur, feliciſſimè ſuppleatur.

2. Itaque ante omnia neceſſe eſt Sacerdotes, Parochos præſertim, ſedulo in Concionibus, & Cathecheſibus Populos edocere, quod ubi Mulier certò, vel probabiliter Prægnans, vitâ periclitatur; ejus Domeſtici, Parentes, Conſanguinei, Affines ipſius morte non expectata rem Parocho citiùs denunciare teneantur, quo ipſa decedente ſtatim, & commodè Partus Cæſareus ventris inciſione peragatur: ad Infantem ſcilicet ab utero extrahendum, & baptizandum; imo ubi ſit ille maturus, vel nativitati jam proximus, qualis interdum erit ſeptimeſtris; ad ipſius corporalem vitam conſervandam: cum in hiſce caſibus non ſecus ac alii, & vivere, & adoleſcere poſſit; expedit autem Parochum accerſere, quamvis fortè non deſint alii Sacerdotes, qui moribundæ diligenter aſſiſtant.

3. Inciſionem illam expreſsè præcipit Rituale Romanum: (a) *Si Mater prægnans mortua fuerit; Fœtus quamprimùm cautè extrahatur: ac ſi vivus fuerit, baptizetur.* Idem ſtatuit D. Carolus Borromæus in Inſtructione pro Baptiſmo. Idem Synodus Colonienſis A. 1580. cap. 4. & Lingonienſis A. 1404. quibus con-

(a) Rit. Rom. *tit. de Bapt. Parvul.*

conſonant vetuſta Decreta Cameracenſia, in Synodo A. 1550. renovata, ac Synodus Pariſienſis A. 1557. Senonenſis quoque A. 1524. Idipſum denique docet Divus Thomas, (*a*) ac Cæteri ſummo conſenſu Theologi.

4. At Prægnantis mortuæ ſectio non a jure tantùm Canonico, ſed etiam Civili decernitur in Libris Digeſtorum: imo & a Lege ipſa Regia, ab antiquis nimirum Romanorum Regibus lata, & veriſimiliter a Numa. *Negat Lex Regia Mulierem, quæ prægnans mortua ſit, humari, antequam Partus ei excidatur: qui contra fecerit, ſpem Animantis cum Gravida perimiſſe videtur.* (*b*) Cæterùm Numa fortè non hujuſce ſectionis inventor fuit, ſed pœnam tantummodo ſanxit in eos, qui illam negligerent: nam Tertullianus (*c*) Baccum Cæſonem fuiſſe perhibuit: certè natura ipſa hunc Partum inſinuaſſe videtur, cum, ſola ejus operante virtute, plures, Matre mortua, Fœtus aliquando ſpontè, ac ſine alterius adjumento egreſſi ſint. Frequenter autem in Romanorum Legibus ejus mentio recolitur. (*d*) Innumeri etiam traduntur ab Hiſtoricis hoc remedio a morte vindicati adoleviſſe, ac magno demùm tum Eccleſiæ, tum Reipublicæ bono illuſtres evaſiſſe. Nam Sancti Lambertus Vinciennenſis Epiſcopus, (*e*) Drogo, atque Raimundus Nonnatus: item Gregorius XIV., aliique inſignes Viri, quorum meminit Rainaudus, (*f*) hoc modo nati ad lucis uſuram prodiere. Id ipſum alii de Scipione Africano dixerunt, qui propterea Cæſar appellatus, Cæſarum cognomen Poſteris ſuis tranſmiſerit, a quo Nonnulli Partus Cæſarei nomenclaturam emanaſſe opinantur. (*g*) Profectò Deus Cæſones iſtos adeo protegere ſolitus eſt, ut inde Veterum celebris perſuaſio ortum habuerit, illos nimirùm fore fortunatos. (*h*)

5. Hæc reputans Synodus Lingonienſis, de qua ſupra, quadraginta dierum Indulgentiam omnibus Partum Cæſareum ſuadentibus, vel ad illum quoquomodo cooperantibus eſt elargita: quod etiam plerique e Siculis Epiſcopis præſtiterunt.

6. At ſi Propinqui, & Domeſtici Parochum de prægnatione Moribundæ monere prætermitterent; ad illam ſub gravi peccato denunciandam Vicini, & Extranei quicumque, de re fortè conſcii, tenebuntur: cum, ut optimè adnotavere Doctores; (*i*) Cæteri non minùs, quàm Parochus ipſe, ad Infantem in extrema illa neceſſitate adjuvandum, præſertim ut illi Baptiſmus conferatur, charitatis jure adſtringantur. Si autem huic officio deſint Propinqui, ac Domeſtici, vel Extranei, eorumque ignaviâ Fœtus abſque regenerationis Sacramento periret; ii non levi pœna eſſent certiſſimè puniendi.

7. Sed Parochi ipſi numquam in Propinquorum Prægnantis fide conquieſcent, ab illis graviditatis notitiam expectantes: verùm præveniendo, ſolerter, atque ſollicitè ſciſcitabuntur, utrum conjugatæ Mulieres, quæ Sacro Viatico, aut Pœnitentiæ Sacramento in periculoſis morbis muniendæ ſint; fortè utero gerant: monente Muſſartio. (*k*) *Tibi Parocho ex ſingulari cauſa incumbit.* Atque hæc inquiſitio multò magis adhibenda, ubi prudens metus, vel ſuſpicio ſuboriatur occultæ, ac præſertim illegitimæ prægnationis. Ubi verò Mulier quamquam ſoluta, & maximè Juvencula, ſeſe in

(a) D. Thom. *3. p. q. 68. art. 3.*
(b) *L. Negat. DD. de mort. inferend.*
(c) Tertullian. *de Anim. c. 25.*
(d) *L. Poſthumus DD. de inoffic. teſtam. L. Si Ego DD. de Publician. L. Anniculus, & L. Etiam ea DD. de verb. ſignif. L. Quod dicitur DD. de Lib. & Poſth.*
(e) *Acta S. Lamberti An.* 1154.
(f) Theoph. Rainaud. *t.* 14. *tract. de ort. Infant. per ſect. Cæſar. c.* 1.
(g) Plin. *Hiſt. nat. l. 7. c. 9. Solin. l. 4.*
(h) Plin. *ibid.* Cornel. a Lapid. *in Geneſ. c. 35. n. 18.*
(i) Poſſevin. *de offic. Cur. c. 6. q.* 10. Muſſart. *in Manual. Paroch. p. 2. c. 2. n. 2.*
(k) Muſſart. *in Manual. loc. cit.* Gobat. *tract. 2. de Bapt. c. 8. n. 260. in Append. ad caſum* 8. 5. *Lucæ.*

Digitized by Google

in ſacra Confeſſione de carnalibus lapſibus accuſaret; dexterè tali caſu, & cautè interrogari oportebit: atque ſi graviditatem faſſa fuerit, inducenda erit ad rem extra Confeſſionem detegendam, ut in mortis eventu æterna Pueri perditio impediatur; hæc enim infinitè, & extra omnem dubitationem cuicumque Matris infamiæ præponderat; itaut ſi ſpirituali Filioli ſaluti ſufficienter providere illa recuſaret, in ſtatum damnationis ſeſe conjiceret, nulloque modo eſſet abſolvenda; uti diſertè Sylvius, Pontas, (a) aliique Theologi docuerunt. *Si contumaciter filia perſiſtat*, ait Sylvius, (b) *nolitque ulli extra Confeſſionem aperire; deneget ipſi* [Confeſſarius] *abſolutionem, tamquam eſt indignæ prorſus, & indiſpoſitæ: cum nolit hoc facere, ad quod ſub reatu peccati mortalis obligatur*.

8. Dixi extra Confeſſionem · non expedit enim, quod Parochus, ſeu Confeſſarius, facultatem tantummodo obtineat a Muliere, hujus rei notitiam in confeſſione habitam illius Propinquis, Obſtetrici, & Chirurgo communicandi. Nam in decurſu negotii, & ubi ad incisionem veniendum eſſet, facilè ob ſuper venientes, improviſaſque circumſtantias, & obſtacula inextricabiliter implicatum ſe ſentiet, cum reſpectu Aliorum Sacramentali ſilentio irretiatur. Curandum igitur ut Infirma factum Confeſſario ſub ſolo naturali ſigillo, & prorſus extra confeſſionem revelet: ſic enim cuicumque dubitationi, quæ occurrere poterit, via opportunè præcludetur. Pollicebitur tamen ille ſeſe extra indeclinabilem neceſſitatem, non niſi Pœnitentis morte jam ſequuta, Propinquis, vel Domeſticis ejus graviditatem indicaturum.

9. Parochus ergo ubi alicujus Infirmæ certam, vel probabilem prægnationem reſciverit; illam ante obitum ipſum inviſat, ejuſque Conſanguineos, & Familiares hortetur, ut eà mortuà Partum Cæſareum adhiberi ſatagant: omnia interim docens ad felicem exitum aſſequendum neceſſaria. Jam verò ad ea, quæ pro Partu Cæſareo paranda erunt, veniamus.

In primis diligenter curabit Parochus Chirurgum opportunè acceſſiri, ut ſecam uſque ad Prægnantis mortem aſſiſtat: ſi autem Chirurgus haberi non poterit; ejus vicem ſuppleat Barbitonſor, vel Obſtetrix: qui ſi non ſint inciſionis Cæſareæ periti; ſignabit eis Phyſicus, cum tempus advenerit, partem corporis incidendam, vel ipſe per ſe præſtabit inciſionem. In Diœceſi Catanenſi ex Edicto Petri Galletti Epiſcopi, (c) Parochis ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ pœna onus incumbit curandi, ut omnino Peritus advocetur, vel in ejus defectu quivis alius, qui quoquomodo inciſionem inſtituat. Equidem ex Obſtetricibus vidi peritiſſimas, novaculà utentes, & Chirurgis ipſis dexteriores: quare optima erit cautio, ut experientia me docuit, ſi novaculam illæ apud ſe domi retineant, quam neceſſitate urgente illicò habere præ manibus poſſint. Oportet autem ut Barbitonſores, & eo fortiùs Obſtetrices aliquam de Partu Cæſareo faciendo ſcientiam a Medicis, vel Chirurgis addiſcant, experimenta præſertim in Quadrupedibus, puta mortuis Canibus, Porciſque captantes, Nam in Civitatibus populoſis difficilè quandoque eſt promptum reperire Chirurgum cum volueris. In Oppidulis vero, ac Pagis perſæpe ſtationarius Chirurgus deſideratur: Obſtetrices autem frequenter cum Gravidis amicitia, interdum etiam ſanguinis neceſſitudine ſunt conjunctæ: atque ita in prægnationibus occultis illis aſſiſtere, ac tempore debito eas incidere ſine arcanæ graviditatis revelatione valebunt. Adde quod commodius eſſet inciſionem Obſtetrici committere: etenim Prægnans non ſolùm Chirurgi aſpectum ſui veluti futuri Carnificis, ſed ipſum nomen exhorret; quapropter cavendum eſt ſemper, ac præſertim dum illa ſenſibus utitur, ne in ejus conſpectum veniat, vel cubiculum introeat: ſed ut in alio vicino commoretur. Obſtetricis autem præ-

(a) Pontàs *dict. caſ. conſc. t. 2. Confeſſ. 2. caſu* 10.
(b) Sylvius *reſolut. variar. v. ſigillum* 1. *Decembris* 1641.
(c) *Edict. Catanenſe* 1. *Junii* 1743. *n.* 3.

præſentia Morienti non erit æquè moleſta, cum ob alios etiam fines ad Gravidarum, præſertim infirmarum, domum ventitare conſueverit: quod ſi Prægnans de futura cogitet ſectione, minùs tamen dolebit, ſciens ſe a Muliere, cui ſe ipſam fidere ſolita ſit, non ab extraneo Viro incidendam: minùs quoque Maritus, & Conſanguinei repugnarent. Uno verbo ex omni parte res & in ſe ipſa decentior, & Prægnanti, ejuſque Neceſſariis acceptior eſſet, & Chirurgis ipſis propter honeſtatem optabilior.

10. Nihilominus ubi circumſtantiæ aliud non expoſcant; operatio, ut plurimùm Chirurgo tamquam tutiori Miniſtro reſervabitur. Quicumque verò ſit ille, qui ſecet; Infantis Conſanguinei, Hæredeſque Defunctæ ad Mercedem retribuendam tenebuntur: nec niſi perutile eſſet, ſi, quemadmodum in Sicilia per Protomedici conſtitutiones factum eſt; ii, ad quos ea juriſdictio pertinet, ſtipendium dilucidiſſimè taxarent: ut in morte Gravidarum, omnis altercationis occaſio, vel inciſionis retardandæ, aut etiam omittendæ periculum amoveatur. Cæterùm Peritus nequit rem tantam deſerere, vel differre propter mercedis defectum, ſive prædicti Hæredes, atque Propinqui egeni ſint, ſive divites. In primo enim caſu patet ex innato charitatis onere ad officium ſuum ſub læthaliſſima culpa obeundum teneri: & multò magis ubi jusjurandum præſtiterit de adjuvandis Pauperibus. In ſecundo verò adſtringeret eum graviſſima ejuſdem charitatis obligatio erga Puerum in extrema tam ſpirituali, quàm temporali neceſſitate conſtitutum, & nullo modo Conſanguineorum avaritiæ participem: qui cæteroqui poterunt ad mercedem exolvendam congruo tempore compelli. Imo verò cum Infantes hi omnium pauperrimi ſint; Chirurgus interea ad eos extrahendos cogetur ex ipſa indeclinabili obligatione ſuccurrendi Pauperibus, etiam præciſo juramento: eoque fortiùs ubi juramentum præceſſerit. Quod autem magis notandum eſt, peccaret inſuper, ubi operam ſuam ſponte non offerret, quamvis non requiſitus, tum Divitibus, tum Egenis, etiam in ſolo dubio, an Fœtus adhuc vivat, uti apertè docet cum Rainaudo Gobatus: (a) imo impium, & deteſtabile ſcelus committeret; ſi decoris ſui nimius amator, & gravitatis affectator; ultro ſe promptum non exhiberet ad ſervandam Infantuli Animam; quamvis hic filius eſſet acerrimi cujuslibet, infeſtiſſimique Inimici, qui ipſius operam implorare dedignaretur, vel quia repulſam timeret, vel quia obſtinatâ ſuperbiâ refugeret auxilium petere ab Adverſario. Hic enim cum de æterna ſalute miſerrimi Infantis agatur, chriſtiana charitas, & Divinæ Gloriæ zelus debent de omni prorſus obſtaculo triumphare. Cæterùm etſi Partus Cæſareus Viventium peritiam requirat, qui tamen fit in Defunctis, cuique facillimus eſt ad peragendum, & penitus ridiculum eſſet credere ad ipſum omnino neceſſarium eſſe Chirurgiæ Profeſſorem, vel ſaltem Barbitonſorem, ſive Obſtetricem: maxima enim ratio, propter quam illis regulariter utimur, ea eſt, quia ſcilicet alii chirurgicam hanc operationem abhorrent: ſed in eorum abſentia omnes commodè poſſent adhiberi, ſi vellent: aliquantulum enim prudentiæ, atque ſolertiæ tum theoreticæ ſcientiæ, tum praxis etiam vices facillimè ſupplerent. Si autem Chirurgus, vel alius Gravidam incidere abſque ſtipendio, vel ii ad quos ſpectat illud ſolvere, obſtinatè recuſent; certiſſimum eſt teneri Parochos ad erogandum de proprio: cum nulla prorſus eleemoſyna ſit unquam magis præcepta. Si enim hæc Pueri neceſſitas eſt præ quibuſcumque aliis extrema: & in extremis neceſſitatibus omnes ad ſubveniendum adiguntur; quanto magis Animarum Curator? *Et quidem*, ait Roncaglia, (b) *ſi in ulla re, in hac maximè diligentiſſimi eſſe deberent Parochi, cum agatur de ſuccurrendo Proximo in extrema ſpirituali neceſſitate laboranti; adeoque nullis etiam parcere debent impenſis, maximè ſi Parentes inopia laborent*. Profectò Sanctus Paulus ad Corin-

(a) Theoph. Rainaud. *de Ortu Infant. &c. c.6. n. 22. & 23.*
Gobat. *Append. ad tract. 2. de Bapt. caſu 8. §. Ita quidem, & §. Sed & alius.*
(b) Roncaglia *in Theol. mor. t. 2. tract. 17. de Bapt. c. 4. in reg. pro praxi.*

rinthios dicit. (a) *Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro Animabus veſtris, licet plùs vos diligens, minùs diligar*. Si tanta erat Apoſtoli charitas erga Ingratos; quanta eſſe debebit in Paſtoribus erga hujuſmodi Infantes? Id ſanè præclarè intelligebat Sebaſtianus Valſrè Taurinenſis Oratorii Presbyter, cujus Apotheoſis cauſa diſcutitur: mira enim ſollicitudine ad Prægnantes poſt fatum ſecandas præmaturè Chirurgos acciri ſatagebat. Nec ſolùm Parochos ut eorum expenſis tantum miſericordiæ opus urgerent, eique cum Adminiſtris maximè inſuaderent, hortabatur; ſed & proprias ad hoc pecunias liberaliſſimè, & libentiſſimè ſuppeditabat: itaut Deus plurimorum Inſantulorum ſalutem, ejus zelo conceſſiſſe viſus ſit. (b)

11. Ægiptiæ Leges Prægnantes morti dari non expectato partu vetabant. Ab Ægiptiis hanc humanitatem Areopagitæ cum reliquis Græcis didicerunt, ab iiſque Romani: (c) quamobrem ex jure communi Prægnans capitalium facinorum rea, neque tormentis ſubjici, ut fateatur illa, neq; ſi convicta fuerit, & ad mortem damnata, ſupplicio affici poterit ante Partum: ne ſcilicet innocens Fœtus manifeſto mortis periculo exponatur. (d) *Et ſanctè quidem*, inquit Chryſoſtomus, (e) *neque enim juſtè Legislatores tolli cum Peccatrice ſimul Fœtum judicaſſent*. Hæc ſcire oportet Parochum, qui vigilabit proinde, ut ſalutaris hujus Legis providentia adamuſſim ſervetur. Excepto tamen ex Suario (f) dumtaxat caſu, ubi periculum eſſet, ne expectato naturali partu, Infans interea moreretur: tunc enim propter epichejam, ut Matre inciſa Fœtus extrahatur, & baptizetur, ſupplicium erit anticipandum.

Ethnici ipſi Chriſtianorum perſequutores, quamvis in ſolam temporalem Parvuli vitam intenti, cavebant ut plurimum, quod Acta Sanctæ Fælicitatis oſtendunt, ne mortis ſententia ante partum exequutioni mandaretur: *Cum jam octo menſes ſuum ventrem haberet, inſtante ſpectaculi die, in magno erat luctu Fælicitas, ne propter ventrem differretur; quia non licet Prægnantes pœnæ repræſentare. Sed & Commartyres graviter contriſtabantur, ne tam bonam Sociam, quaſi comitem ſolam in via ejuſdem ſpei relinquerent. Conjuncto itaque unito gemitu ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris: ſtatim poſt orationem dolores invaſerunt*. Itaque Puellam enixa eſt, quam ſibi Chriſtiana Mulier veluti filiam educandam ſuſcepit.

Idem habemus ex Actis SS. Agapis, & Sociarum. Ait autem Holſtenius apud Ruinart: (g) *Moyſem quoque æquiſſimam hanc Legem a ſua Republica adeò non excluſiſſe teſtatur Philo*: (h) *ut eam ad Bruta etiam Animalia extenderit, inquiens*: (Lex Fœta Animantia Templo arcet, neque mactari permittit, priuſquam pepererint.) *Fœtum utero concluſum eodem loco habens quo editum*. Attamen quod olim religiosè tot Populi tuebantur, hodie quandoque negligunt Chriſtiani. Narrat Eber in ſuo Calendario cum Horſtio, & aliis; die 14. Junii 1567. inter Deventriam, & Zeufraniam addictam ſuſpendio Mulierem cum Viro ſuo, quamquam prægnantem, ex qua poſt quatuor a morte horas duo Gemelli vivi egreſſi ſint. Illicitum eſt etiam Gravidas fuſtigare, ad oſtentum circumducere, aliiſve pœnis vexare, quæ Abortum inducere queant.

12. Quid autem ſi agatur de extrahendo, ac baptizando Filio Infidelium puta Mahumedanorum, vel Hebræorum? Debet ne incidi Mater etiam Patre recuſante? Debebit ſanè in Regnis Fidelium.

H

(a) 2. *Cor.* 12. 14.
(b) *Vita Venerab Sebaſt. Valfrè l.* 2. *c.* 4.
(c) Plutarch. *de ſer. Num. vind.* Ælian. *lib. var. hiſt.* 5. *c.* 18.
(d) *L. Prægnantem: DD. de pœnis*.
(e) S. Joann. Chryſoſt. *t.* 1. *homil.* 55. *de Pœnit. v. fol.* 594.
(f) Suarez *in* 3. *p. q.* 68. *art.* 1.
(g) *Acta Ss. Perpetuæ, & Felicit. & Acta Ss. Agap. Chion. & Iren. apud* Ruinart.
(h) Philo *lib. Philantrop.*

lium. Debebit quoque in Regnis Infidelium, ſaltem ſi occultè fieri poterit. In extrema enim æternæ ſalutis neceſſitate licitum eſt ex communiſſimo Doctorum ſenſu baptizare ubique Filios Infidelium, Parentibus quantumvis invitis. (a)

13. In univerſum ergo in quocumque mortis genere, ſive naturalis, ſive violentæ: ſive infirmitas longa, ſive brevis præceſſerit; ſive Mater ſuffocata fuerit manibus, vel aquis, aut veneno, vel etiam fulmine ſublata, nunquam omittatur inciſio. Vivebat adhuc, dum hæc ſcriberem, a Matre veneno perempta Puer extractus. Supponere videtur Viva, (b) Matre fulmine occiſa, ſtatim interire Fœtum: at contrarium ab experientia edocemur. Anna enim Ribaudo Monteregalenſis, Famulæ meæ Neptis, utero gerens tertio nonas Septembris 1743. fulmine perempta eſt, & illicò extincta. Puer autem poſt binas horas vivus eductus.

Demum quid agendum eſt Parocho ſi prægnatio ipſi poſt Gravidæ ſepulturam innoteſcat? Eam e ſepulchro educi præcipiet. Ita ſe geſſit celebris Franciſci Civille Pater, qui cum e longinquo, altera die ab Uxoris humatione, domum rediiſſet; Franciſcum Partu Cæſareo liberavit. (c) Ita etiam nuper Monteregali ſe geſſit Albertus Carolinus Parochus Animarum zelo clariſſimus.

CAPUT SECUNDUM.

De præparandis ad Partum Cæſareum, deque comprobatione mortis Gravidarum.

1. ADVENIENTE mortis tempore in Moribundæ conclavi Obſtetrix cum duabus tantùm, vel ad ſummum tribus Fœminis Prægnanti Familiaribus conſiſtent. Alias arcebit Parochus, ne multitudo confuſionem pariat. Ipſe indefeſſus ad fatale æternitatis vadum aſſidebit Hortator, atque Solator. Cæteri, præſertim Chirurgus cum Propinquis, in vicino cubiculo, Roſarium, aliaſve preces pro moriente, ejuſque Fœtu recitantes, commorabuntur. Mulieres præparabunt vitream ampullam aquâ plenam pro Baptiſmo, quam convenit eſſe tepidam, ne Infantis teneritudini noceat. Item ubi commodè haberi poſſint ſpiritum vini, vel aquam Reginæ Hungaricæ, vel vinum calefactum: ac tantillum lauæ, vel lini, & candelam ceream accenſam. Dixi, ubi commodè haberi poſſint: ſola enim aqua erit omninò, & abſolutè neceſſaria. Si Chirurgus, aut alius operationem peracturus, abeſt; expedit etiam ignem accendere: eo enim caſu curandum eſt maximè, ut Prægnante mortua lineis pannis ad ignem calefactis uteri calor foveatur, uſquedum Chirurgus accurrat: Alii monent etiam parandam fiſtulam, ſeu tubulum arundineum, utroque nodo reſecto, ad finem de quo infra.

2. Verùm hic oportet ſcire, quod ſæpè Gravidæ, dum extremum agunt Spiritum, pariunt propter Naturæ convulſiones: Infante autem exorto, illico expirant. Cum Sambucæ in Diœceſi Agrigentina 13. Novembris 1746. quinto geſtationis menſe diſſecta poſt mortem fuiſſet Alberta Cacioppa; uterus repertus eſt vacuus: quæ res ob prægnationis certitudinem magnæ admirationi Adſtantibus fuit. Verùm deinde Fœtus iuventus eſt ſub lecti ſtragulis de ſe quidem natus, at ex indiciis paulò ante defunctus. Idem accidit Montevagi ejuſdem Diœceſis Oppido ſub Parocho Periconio. Veriſimillimum eſt Infantes hoſce propriæ nativitati fuiſſe cooperatos, ideoque vita comite ortos, dein-

[a] Clericat. *de Bapt. deciſ.* 42.
[b] Viva *in propoſ. 4. & 5. damn. ab Alex. VIII. n.* 16.
[c] Bruhier. *de Incert. ſign. mort. t. 1. c. 1. §. 10. fol.* 277.

deinde tamen operimentis oppreſſos. Quapropter antequam ad Matrem incidendam procedat Chirurgus, inquirat ſemper, utrum forte Puerulus in ultimo illius vitæ anhelitu foras eruperit. Imo cura erit Obſtetricis, vel alterius Fœminæ, interdum poſtremi agonis tempore dexterè per lectum inveſtigare, utrum prodierit Infans: quem ſi negligimus poterit facillimè ſuffocari. Nec muneri ſuo deerit Obſtetrix, ſi fortè ille in ipſo exitu aliquo indigeat adjutorio, quod ipſa opportunè conferre poſſe videatur.

3. Synodus Colonienſis An. 1528., & Cameracenſis An. 1550., & Mercatus (a) jubent mortuæ Prægnantis ori ſtatim, & ante ſectionem immitti fiſtulam arundineam, de qua ſupra: at negant eam eſſe neceſſariam, & quidem rectiſſimè Paræus, & Heiſterus [b] Infans enim in utero vel non reſpirat, vel ſolummodo aerem ſecundinis clauſum reſpirat: vel ad ſummum, ſi laceratæ ſint illæ, aerem qui utero continetur. Uterus autem, & ſecondinæ, nullam habent communicationem cum Matris ore, atque trachea. In Edicto Agrigentino [c] probatur fiſtula, ſed tantùm ut aer nitidior in maternum corpus admittatur, & viſcera effluvia cadaverica exhalent, quæ tenuem in Puero vitæ flammulam, Chirurgo ſcilicet moram faciente, reſtinguere poſſent. Guillelmeaus tamen, Carolus Stephanus, & Schenchius Mercati doctrinam ſequuntur, imo præcipiunt non ſolùm ut os Gravidæ, ſed etiam ut ſimili modo patula uteri vagina ſervetur. Hæc ſanè ultima de vagina monitio valdè ſalutaris erit, ubi abſente Chirurgo, & naturali partu jam inſtante, uterus eſſet apertus.

4. Quo verò ad tempus Partus Cæſarei adoriendi. *Si Mulier prægnans*, inquit Rituale Romanum, *mortua fuerit, Fœtus quamprimùm cautè extrahatur.* Ex quo liquet ad hujuſmodi ſectionem expectandum eſſe ut Gravida ex ſe ipſa priùs occumbat. Sed heu plures inveni Parochos falsò putantes inciſionem faciendam antequam illa ultimum vitæ ſpiritum reddat; prout olim falsò docuit Rodericus a Caſtro. (d) Nonnemo etiam faſſus eſt mihi id ipſum in praxim deduxiſſe. Oportet ergo me alta voce hìc exclamare, ne tantum flagitium perpetrare audeant: eâ enim barbarâ carnificinâ, & graviter peccarent, & irregularitatem incurrerent. Diſſimilis eſt caſus, ut infra oſtendemus, ubi, deſperato naturali partu, inciſio ad Matris non minùs, quàm Fœtus liberationem dirigeretur.

5. Mortua verò Prægnante quantociùs Partus Cæſareus faciendus eſt: nam ubi illa e vivis excedit, Infantulus non rarò cum morte confligit, ſaltem in gravi periculo verſatur citò moriendi. Primò quia ob teneritudinem facilè Genitricis morbum contrahere potuit. Secundò quia ſolitæ carceris moleſtiæ adduntur fœtor, & noxii vapores materni cadaveris. Tertiò quia in eo ſtatu ipſi jam incommodo arctus jactitat, & omni vi ſeſe extricare, & egredi conatur, quod illum fatigat. Quartò quia etſi Matris reſpiratione non vivat, attamen hac deficiente aeris ſubfrigidi, ac nitidi in maternum corpus ingreſſio prohibetur, & conſequens inde refrigeratio Filiolo adimitur. Quintò quia minuitur ipſi alimentum. Inde eſt, quod Poſſevinus, & Rainaudus dixerunt, Fœtus non ſupervivere Matris fato, niſi unius horæ ſpatio, aliquando tamen horæ dimidio, quandoque etiam breviori tempore: quamquàm, ut infra demonſtrabimus, interdum longè diutiùs vivant.

6. At hìc vitandus erit ſcopulus: poterit enim Gravida videri mortua, quamvis vivat adhuc. Palmæ decimo anno ante Parochi officium a me ſuſceptum, pia Muller Vizzinia dicta, ſpontè inſtitit, ut ſibi, ſtatim ac moreretur, Partus Cæſareus fieret. Verùm cum ante comprobationem ejus mortis Chirurgus eam incidere ſit aggreſſus, ex illius oris contorſione, dentiumque ſtridore cognovit eam nondum expiraſſe. Idemque contigit Pauco, & Meryo in arte Chirurgica inſignibus.

7. Ut ergo ſimilia damna vitentur, H 2 diſ-

(a) Lodovic. Mercat. *de Mulier. affect. c. 3. in fine*.
(b) Paræus *lib. 23. c. 31.* Heiſter. *p. 2. ſect. 5. cap. 113. in not. lit. c.*
(c) *Infra in Append.*
(d) Caſtro *de morb. Mulier. l. 4. c. 3.*

diſquirendum ſemper erit, utrum Gravida revera deceſſerit. Quapropter ante omnia ſciendum eſt Hominis vitam tamquam animati Horologii ſine motu, ſeu circulatione ſanguinis, aut aliquo ſaltem juxta Pleroſque inteſtino ejuſdem leviori motu, non poſſe conſiſtere; ubi enim quieverit omnino ſanguis, ac in eam diſpoſitionem devenerit, ut ampliùs ad priſtinam circulationem reſurgere nequeat; ecce naturæ lege ſubita, & inevitabilis in inſtanti mors.

8. His poſitis, tribus cauſarum generibus ea tribui valet, morbis ſcilicet chronicis, acutis, ac repentinis. Quæ ſub ultima claſſe comprehenduntur caſus, vulnera, fulminis ictus, apoplexiæ, ſtrangulationes tum ex laqueo, tum ex fumo carbonum, ac ſimilium, ſubmerſiones, hiſteriæ &c.

In morbis chronicis obſervanda ſunt ſigna mortis antecedentia, comitantia, ac ſubſequentia. Si igitur Ægrotus per ſolitos morbi gradus ad extremum agonem, ſimilemve ſtatum pervenerit, ac deinde prorſus quieſcere viſus eſt cum ſignis regularibus, quæ mortem comitari ſolent, ac deinde ſine pulſu, ſine reſpiratione, aliove motu, ac ſine ſenſu remanſit; credendus eſt mortuus, priſtina enim circulatio ſanguinis ceſſavit, & amplius redintegrari nequibit. Mobile namque, ſcilicet ſanguis paulatim in his morbis corrumpitur: viæ, per quas moveri ſolet, notabiliter alterantur: movens denique ipſum, nimirùm ſpiritus animales, omninò tandem extinguuntur. Quocirca poſt prædicta ſigna motum omnem in ſanguine tum circulatorium, tum etiam inteſtinum omnino quieſcere neceſſe eſt, & inde mortem indeclinabiliter induci, cujus quidem quietis non obſcura cenſentur indicia frigiditas, rigiditaſque membrorum. Neque ſuſpicari licet ea fatalia ſigna, in ultimo agone ab aliqua ſyncope, vel apoplexia non tamen a morte provenire; clarum eſt enim perniciosiſſimos hujuſmodi affectus Infirmis adeo labefactatis vitam labentem conſervare, ac retinere nequaquam poſſe; imo potiùs illam ad celeriorem ruinam impulſuros.

9. Idem dicendum de morientibus ex morbis acutis, & gradatim procedentibus, quamquam propter varia mali ſymptomata, Naturæque motus in iis majori ſit opus cautela, quàm in chronicis. Indicia verò mortem antecedentia, & comitantia in utriſque habemus ex Verulamio. (a) *Duo ſunt*, ait, *magni præcurſores mortis, alter a capite, alter a corde miſſus. Nam etiam ſingultus ille lethalis eſt genus quoddam convulſionis. Labor autem pulſus læthalis habet velocitatem inſignem, quandoquidem cor ſub ipſa morte ita trepidat, ut Syſtole, & Diaſtole ferè confundantur. Habet etiam conjunctam debilitatem, & humilitatem, & ſæpiùs intermiſſionem magnam, labeſcente motu cordis, nec fortiter, aut conſtanter inſurgere valente. Præcedunt etiam mortem in propinquo ſumma inquietitudo, & jactatio, motus manuum tamquam floccos colligendo, niſus fortiter prehendendi, ac detinendi, dentes etiam fortiter comprimere, glutire vocem, tremor labii inferioris, pallor oris, memoria confuſa, ſermonis privatio, ſudores frigidi, corporis elongatio, ſublatio albuginis oculorum, faciei totius alteratio, naſu acuto, oculis concavis, genis labantibus, linguæ contractio, & convolutio, frigus extremitatum, in aliquibus emiſſio ſanguinis, clamor acutus, inferioris maxillæ lapſus.*

10. His addi poſſunt viſus, auditus, aliorumque ſenſuum amiſſio, ſpiritibus animalibus ecclipſim patientibus, & fuligo in naribus. Ubi ergo poſt hæc ſigna, aut ſaltem pleraque, ut evenire ſolet, videbimus ultimum ſpiritum exhalare Ægrotos, una, vel altera lacryma ex oculis, vel ſpuma ex ore profluente; quæ ſigna ſunt comitantia, ſtatimque ſine pulſu, ſine reſpiratione, ac ſine omni motu, & ſenſu illos conquieſcere; quæ maxima ſunt ſigna ſequentia; pro morte pronunciandum eſt. Verùm cum de ſectione agitur, ſive cæſarea, ſive anatomica, ſive ad cadavera balſamis condienda, ut tutiùs procedamus, obſervandum diligentiùs utrum verè pulſus omnis, reſpiratio, ſenſuſque ceſſaverit. Igitur quod ad primum in utroque carpo ex-pio-

(a) Franc. Bacon. a Verulam. *Hiſtor. vit. & mor. in atriol. mort. n.* 29. 30. 31.

ploretur: fortaſſe tamen vibratio, quæ in recto, vel declinato carpo deliteſcit, ſeſe prodet in eodem leniter incurvato. Quandoque illam ſentiemus inter pollicem, & os metacarpii, dummodo non validè arteria prematur: cavendum interim ne arteriolarum in noſtris digitis motum arteriis Defunctorum attribuamus. Inveſtigandæ etiam arteriæ axillares, temporales, atque carotides, utpotè ampliores, ac recto impetu motæ: preſſione tamen profundiore.

Tentandum eſt etiam cor ipſum tum a latere ſiniſtro, tum dextero, nam a dextero in quibuſdam pulſare deprehenſum eſt. Corpus tamen in alterutrum latus declinare oportet: ubi enim ſupinum ſtatuitur, languidus ejus motus percipi non poteſt.

Inveſtiganda eſt etiam reſpiratio. Plerique filum, ſeu flocculum lini, goſſypii, aut lanæ tenuiſſimè carminatæ naribus, orique ſuſpenſum adhibent, vel flammulam cereæ candelæ; ut videant an ad aliquam reſpirationis auram deflectant, ac tremula fiant: vel ſpeculum limpidiſſimum antea benè abſterſum, vel conſpicillum naribus, & ori admovent: maculantur enim *in Viventibus*. Alii ciathum aquà plenum cartilagini enſiformi inter pectus, & umbilicum collocant: diafragmatis namque motus, ſiquis fortè reliquus erit, coſtis ſpuriis communicatus, aquam quoquomodo verſabit. (a)

Winslovius ait, conſultiùs fore ſi corpus in alterutrum latus convertatur, itaut extrema coſtæ antipenultimæ cartilago ſupremum ſitum obtineat, eique ciathus imponatur.

11. At hæc experimenta non ſemper fidelia in mortis certitudine detegendà inveniuntur: quandoque enim reſpiratio ita lenis eſt, ut nullà certè ratione innoteſcat: quandoque etiam vapores ex veris cadaveribus emanantes ſpecula commaculant. Humores etiam in Mortuorum Abdomen deſcendentes fallaci motu decipiunt.

Ut igitur firmiùs evadat judicium, alia hic indicia prædictis addenda, & explicanda ſunt, quorum pleraque tutiora exiſtimantur. Præcipuum, ac tutiſſimum eſſet putrefactio, ſaltem partialis, vel ipſius initium: nimirum fœtor cadavericus, qui ſaltem aperto ore ſentiatur, e viſceribus corrumpi incipientibus aſcendens. Livor item, vel lividæ maculæ, aut nigredo in corpore, ac ejuſdem extumeſcentia. Cæterùm cum putrefactio aliquando moram faciat, Partus autem Cæſareus celeritatem poſtulet, cætera ſigna tum ab Aliis, tum a Loviſio in opere de certitudine ſignorum mortis allata, inveſtiganda ſunt.

Primum eſt faciei immutatio. In morte apparente faciei forma conſiſtit, in vera labefactatur, & colorem pallidum, plumbeum, vel croceum induit. Si diuturnæ ægritudini ſyncope ſuperveniat, ſqualor erit cadavericus, at membra non erunt inflexibilia. Quod ſi talia evaderent, neceſſe erit juxta mox tradendam regulam diſquirere, utrum inflexibilitas cadaverica ſit, an convulſiva.

Secundum eſt corporis pondus nimium, evaneſcentibus ſpiritibus, qui prius illud mobilius, leviuſque reddebant.

Tertium, licet non omnino neceſſarium eſt frigiditas cadaveris, quæ tanta ex Feiſoo ſit, ut illam rami ab arboris trunco recenter exciſi, & in eodem aere, quo Mortuus jacet, collocati, exactiſſimè indagatam coæquet. (b)

12. Quartum, profectò validiſſimum eſt, membrorum rigiditas, & inflexibilitas etiam ante calorem deperditum; itaut niſi Defunctus quamprimum induſio, cæteriſque mortuariis veſtibus de more induatur, ejuſque oculi ab Adſtantibus claudantur; hæc omnia deinde non facilè peragi queant. Quoniam verò datur ſyncope convulſiva, quæ membrorum etiam inflexibilitatem præfefert; ſciendum eſt ipſam tunc pro ſigno mortis haberi, cùm mortem ſubſequitur: ſi enim cum putata morte pari paſſu venerit, ſymptoma erit convulſivum. Convulſio autem eſt involuntaria, ac permanens contra naturam contractio: unde in ſtatu convulſivo, ſi e.g. anteriora brachii ſunt

(a) Lanciſ. *de mort. ſubit. l.* 2. *c.* 13. *&* 16. *aliique paſſim*.
(b) Feiſ. *Theatr. Crit. t.* 5. *diſc.* 6. §. 8. *n.* 27.

Digitized by Google

ſunt laxa; muſculi bicipites duritie laborant, quæ non obſervabitur in antagoniſtis. At in caſu veræ mortis muſculi, qui ad contrarias actiones a Natura deſtinantur, in ſtatu conſimili perſeverant, nullumque argumentum elucet eorum alterutrum in ſtatu violento reperiri.

Planiùs, & clariùs: ubi rigiditas, & inflexibilitas ex convulſione orta ſit, impoſſibile, vel penè impoſſibile erit membrum cogere ad motum contrarium illi, ad quem fuit ab actione muſculorum convulſiva determinatum: quod ſi fortè compelleretur, nihilominus deinde ſibi relictum ad locum priſtinum magna vi ſubitòque rediret. Contrarium accidit in cadaveribus: coacta, enim articulatione membrum ad hunc, vel illum motum, quamquam inter ſe contrarios, more corporum inanimatorum, oſtendet indifferentiam. Hoc præſertim in maxilla inferiori obſervabitur: ſi enim hæc in Mortuis a ſuperiore dividatur, ſejuncta, & in eodem loci puncto, in quo poſita fuerit, remanebit; quod ſi deinde ad naturalem ſitum appropinquet; id paulatim faciet, aliqua ſemper intercapedine inter ſe, ac ſuperiorem maxillam relicta. Si verò, quæ mortua creditur, paſſione tantùm hiſterica, vel aliquo convulſivo morbo detinetur; inferior maxilla a ſuperiori nonniſi illata vi disjungetur: attamen ſi poſtea dimittatur, ſui juris facta iterum celerrimè ad ſuperiorem accedet. (a) Porro ubi corporis pondus adeſt, maximè cum frigiditate conjunctum, & membrorum rigiditas; patet non ſolùm ſanguinis circulationem omnino ceſſaſſe, ſed motum ipſum inteſtinum: ac proinde circulationem prædictam ampliùs redintegrari non poſſe. Verùm rigiditas, ac frigiditas non ſufficit, ubi malum ex frigore proceſſit. Oportet eo caſu Hominem in fimo deponere, aliiſque præſidiis adjuvare: mox enim clareſcet utrum de eo ſperandum, an deſperandum ſit.

13. Quintum, & præ cæteris vehementiſſimum ſignum eſt pannus vitro ſimilis, qui in ipſo mortis agone incipit efformari, & in Mortuo ſuper oculorum corneam brevi coaleſcit, itant frequenter pupillam ipſam occultet. Is tenuiſſimus eſt, & in plures partes diſcinditur, ſi cornea, de qua exſudat, abſtergatur, & ob illum Defunctorum oculi nativum colorem, ac ſplendorem amittunt: quo fit, ut imaginem eorum, qui in illos adſpiciunt, amplius non repræſentent, ut in Vivis, quorum oculi pro ſpeculo ſunt. Signum tamen hoc fallere tantùm poſſet in certis palpebrarum morbis: verùm in iſtis, ut & in aliis, ubi mors interceſſerit; oculi paſſi, ac flaccidi evadunt, quod nunquam in aliqua ægritudinum circumſtantiâ, ſed tantùm in vera morte obſervatur; unde id ſemper juxta Loviſium (b) extinctæ jam vitæ ſignum reputandum eſt, caracteriſticum, & infallibile.

Cæterùm ubi ſolita perſpicimus mortis indicia, non neceſſe erit pannum vitreum eſſe perfectum, ſed ſufficiet formari jam cæptum. Itaque dum membra flexibilia ſunt, ac oculus in ſtatu naturali perſiſtens propriam ſervat firmitatem, atque fulgorem; mors certa eſſe nequibit. Et contra ſi membra ſunt inflexibilia, & ſimul oculus jam deformatus, ac mollis effectus eſt, aut ſaltem panno vitreo decolorari cepit; corruptione cadaveris non indigebimus, ut audacter pro morte pronunciemus. At nihilominus ad uberiorem cautelam flammam ſupradictæ candelæ naribus Defunctæ ſemper admovebimus, ut in aduſtione dignoſcamus, an aliquem ſenſum oſtendat: inciſionem verò adoriemur leniter, & non in modum Cruels, ut in ſectionibus anatomicis, & condiendis balſamo cadaveribus, ſed per lineam longitudinalem, ut ſi fortè, quod cavit Senatus Venetus, Prægnans reſiliat, ac ſe viventem ſubindicet, & Chirurgus deſiſtere, & illa ſanari faciliùs queat. (c)

14. Major eſt difficultas comproban-dæ

(a) Verdier. & Caumant. ap. Bruhier. *in præf. oper. de incert. ſign. mort.* Loviſ. *de cert. ſign. mort. epiſt.* 4.

(b) Loviſ. *loc. cit.*

(c) Melli *de art. Obſtetric. cap. de Part. Caſ.* Heiſter. *Chirurg. t. 2. ſect. 5. c. 113. n. 2. in addit.*

Digitized by Google

dæ mortis ex cauſa repentina ; in ea enim ſæpè deſunt ſigna antecedentia, & non rarò etiam comitantia ; quapropter ſola inſerviunt, quæ mortem ſequi ſolent. In his ergo caſibus, ſi Capitis abſciſſionem, truncique diſſectionem, ac ſimiles mortis cauſas omnino invincibiles excipias ; maximâ cautelâ incedere oportebit. Et ante omnia ſemper, & ſine limitatione mora aliqua Prudentum arbitrio, & pro variatione circumſtantiarum ex Lanciſio erit neceſſaria. (a)

In Hiſtericis, aliiſque ſimilibus plerique tradunt expectandum eſſe, ut 72. horæ præterlabantur, ſi certa mortis ſigna non appareant, ac multò magis ubi ſigna extent æquivoca vitæ. Idemque alii docent de Submerſis, ut alibi diligentiùs expendemus. Reliquas repentinæ mortis origines jam ſupra indicavimus. Mors autem præſumitur ex repentino malo proveniſſe, ubi chronicus ipſe morbus, vel acutus non uſque ad agonem, ſimilemve ſtatum morti proximum proceſſerat : unde Infirmi extinctio non adeo imminens timeri poterat. (b) Nihilominus in cauſis ipſis ſubitaneis, ubi naturalia ſigna jam exiſtentis mortis, videlicet corporis pondus, membrorumque rigiditas, & inflexibilitas adeſt cum panno ſuper corneam extenſo, de morte non dubitandum.

Igitur ſi oculi non ſunt deformati, & membra ſunt flexibilia, hæc vel ideo accidunt, quia qui mortuus creditur, vivit adhuc, vel quia mors nondum mala illa peperit, quæ gignere conſuevit. Cum autem neſciamus, quænam ex his vera ſit cauſa ; omnino ſuperſedendum eſt : & interim omnia tentanda ſunt remedia, quibus Homo, ſi fortè vivus, ad vitæ munia revocetur. Profectò in aliquo e tribus ſtatibus, qui repentino fato mortuus videtur, conſtitutus credi poteſt : vel enim reverà mortuus eſt ; vel vivit cum aliqua futuræ incolumitatis ſpe ; vel vivit quidem, ſed, deſperata ſalute, mortem habet præ foribus. In primo caſu mortis ſigna ſolita, & caracteriſtica moram non facient, ſed mox neceſſariò prodibunt. In ſecundo adhibita auxilia vel ſalutem Infirmo reſtituent, vel ſaltem latentem ejus vitam in apertum proferent, ipſum ad ſenſuum officia reducendo. In tertio remedia carebunt effectu ; & mors apparens in veram citò commutabitur : quo facto ſolita, & caracteriſtica ſigna mortis brevi conſurgent.

15. Intentio autem eurationis in ſimilibus erit Spiritus oppreſſos, & conſopitos exſuſcitare, motum liquidis reſtituere, ſolida ad priſtinam functionem liquida propellendi redintegrare. Ad primum conducunt vel maximè ſpirituoſa ; ad ſecundum diſcoagulantia, & ſanguinis emiſſio : ad tertium cujuſcumque generis motiones.

Porrò ut Spiritus languentes exſuſcitentur, ſenſus omnes percellendi ſunt, oculi lumine, aures vocibus, mortuum putatum proprio nomine nunc voce leniori, nunc elatiori compellando, cantu etiam, & ſono pertentandæ. Nares acutioribus ſternutatoriis, ac Spiritu Salis Ammoniaci, vel Sale Ammoniaco volatili, aliiſq; ſimilibus, maximè verò penicillo ipſis illito irritandæ : os etiam, ac præſertim gingivæ, ſæpius eiſdem ſalibus perfricandæ : organa tactus, nimirum plantæ pedum, volæ manuum, & digitorum extremitates, ſtimulanda, atque pungenda. Demum ſummo capiti, vel plantis pedum ferrum candens, vel per inſtrumentum ignitæ laminæ applicandæ; aliquo interim Perito pulſus, & cordis motum indagante : in Vivis enim aliquem ſubſultum ille percipiet. Ad motum liquidorum in primis (ubi competit flebotomia, præſertim in apopleticis, ſtrangulatis laqueo, carbone, ac ſimilibus, itemque ſubmerſis) vena jugularis, vel reſpectivè manus aperienda eſt, ut ſanguis majori acquiſito ſpatio, faciliùs circulare valeat per oppletum caput, ſive pulmones. Vexicantia applicanda, vel potiùs lapis ad cauteria ; nam ultra virtutem ſanguinem diſſolvendi, ſunt Prevotio maximum experimentum ad vitæ dubium extricandum : in Vivis enim tantùm, non autem in Mortuis puſtulam excitabunt.

Demùm ad ſolidorum motum ſuccuſ-

(a) Lanciſ. *de mort. ſub. lib.* 1. *c.* 13. *&* 16.
(b) Feiſ. *loc. cit.* §. 6. *n.* 22. *&* §. 11. Bruhier. *dict. tract.*

cuſſiones, frictiones, verberationes plantarum, totiuſque corporis, temperatæ tamen, dimotiones. Et hæc ſanè quaſi externa remedia.

16. Calor autem, & principia elaſtica in corpus ipſum introducenda; proinde hoc aeri frigido illicò ſubductum pannis calefactis, & copioſo aromatico Spiritu gravidatis foveatur; vel contra nive corpus ipſum obruemus, ut internus calor torpeſcens ad adverſarii frigoris præſentiam irritetur, & convaleſcat. Verùm ſi ſubmerſum fuerat, vel frigore afflictum; ad ignem, moderatum tamen, admovebitur: ſi verò Hypocauſtum neceſſarium judicemus: hoc aromaticis effluviis complebimus.

Ingerendus quoque maxima doſi, paulatim tamen, atque guttatim, per os in ventrem, ſi fieri poteſt, Spiritus Ammoniaci Salis, aut ſimiles. Inferiora etiam non deſerenda. Competunt propterea Clyſteres acerrimi, Enemata, fumus Nicotianæ, ſeu Tabacci per inſtrumentum a Bartholino, ac Loviſio (a) delineatum: mirabilis enim eſt uſus in Submerſis, & aliis ad motum periſtalticum in inteſtinis, & conſequenter ſanguinis circulationem, & vitam inſtaurandam.

Nec ſi prędicta optatum exitum non citò ſortiantur, propterea deſperandum eſt Medico: curam ergo nihilominus ſtrenuè proſequatur: multoties enim nonniſi poſt remedia per duas, tres, imo quatuor horas exercita ſeſe vita manifeſtavit. (b)

17. Cæterùm ſi poſt omnia tentamina per longum temporis ſpatium continuata, nihil omnino profectum eſt, qui jacet, vel verè jam e Vivis exceſſit, vel ſaltem breviſſimè indubitanter excedet: quamobrem citò etiam ſigna mortem conſequentia apparebunt. Quamvis enim concedamus dari poſſe caſum, quo reſpiratio omnis, omniſque circulus in ſanguine, cæteriſque liquidis conquieſcat, & nihilominus Infirmus vitam retineat, dum Natura ſpem aliquam, ut ita dicamus, habeat, fore ut per inteſtinum ſaltem ſanguinis motum reſpiratio, ac ſanguinis circulatio redintegretur: hoc ipſum tamen doctrinæ traditæ nequaquam obſtat: nam Homo in tali ſtatu ſuſpenſionis nonniſi brevi tempore manere poterit: ceſſante enim circulatorio ſanguinis motu, non diù durabit inteſtinus; ceſſabunt etiam, uti optimè notavit Offinannus, liquidorum ſecretiones, ac tranſpiratio: itaque non ſolùm ſanguis, ac alia liquida coagulum facillimè contrahent, ſed etiam brevi coinquinabuntur, & ad motum, aliaſque vitales functiones inepta reddentur. Unde propter hoc ipſum feſtina mors & indeclinabilis irruet. Quamquam enim denturNaufragi per plurimos dies ab aquis erepti, & ſubſidiis antedictis ad vitæ officia reducti, id vel ex eo factum eſt, quod conſervabant adhuc ex particulari corporis œconomia, licet ſine reſpiratione, aliquam ſaltem tenuem ſanguinis circulationem; vel quia ſi hæc omnino intermiſſa ceſſaverat, non ſubjacebant tamen aeris actioni. Sed ex aquis educti diutiùs in ſuſpenſionis illo ſtatu conſiſtere non poſſunt: humores enim, aere jam in ipſos vim ſuam exercente, ob allatas rationes corrumpi neceſſe eſt.

Interim verò ſi defunctæ Prægnantis membra ſunt adhuc flexibilia, & oculi antedicto panno vitreo non cooperti, nec flaccidi, paſſi, aut diſſoluti, nunquam ad ſectionem deveniendum erit, quamvis plures dies ab apparente morte defluxerint.

CA-

(a) Loviſ. *loc. cit. in exam. rat. de Subm.*

(b) *Idem loc. cit. Ep. 6. in Animad.* Bruhier. *de Incert. ſign. mort.*

CAPUT TERTIUM.

Solvitur objectio, ex Bruhierii Opere de Incertitudine ſignorum mortis deſumpta,

1. ILLUD reſtat; ut cuidam hic objectioni occurramus. Clariſſimus porrò Winslowius Theſim Aprili menſe A. 1740. in Scholis facultatis Pariſienſis defendit, & edidit, in qua mortia ſigna non minùs incerta a Chirurgicis, quàm ab aliis experimentia perdocuit. Hanc Theſim ingenti apparatu Bruhierius commentatus eſt in ſuo percelebri Opere *de Incertitudine ſignorum mortir*: ibique pluſquam biſcenta ſexaginta refert exempla de vivis reputatis mortuis: imo etiam de ſepultia, qui vitæ munia reſumpſerunt. Exiſtimat propterea Bruhierius non dari certum, & indubitabile mortia ſignum, niſi ſolam putrefactionem: ideoque ante ipſam cadavera nec ſepelienda, neque exenteranda, ut Balſamis condiantur. Ex Bruhierii ergo doctrina tot exemplis confirmata, cui etism ſavere videtur Feiſòus, poſſent nonnulli deducère, Gravidas non eſſe incidendas, maximè propter hyſterici mali ſuſpicionem, niſi poſt corruptionem, quæ cum per plures etiam dies tardare ſoleat; Fœtus interim neceſſariò periret, tum propter moram, tum propter ipſam Matris putredinem, quæ priùs Puerulum inficeret Intus, quàm foris erumperet.

2. Verùm ad Bruhierii librum varia Nonnulli reſpondent. Ac primò plurima ejuſdem exempla eſſe a primis Narratoribus, præſertim Gentilibus ad ſuos Heroes celebrandos conficta; nonnulla ut ipſe Feiſòus obſervavit (*a*) eſſe ſuſpecta, aut ſaltem non authentica: quædam etiam non obſcurè comicam ſabulam ſapere, ab iis tamen vulgata, qui narrandorum portentorum pruritu laborabant, qui morbus & viguit ſemper, ſemperque vigebit. Sanè quæ de Joanne Duns Scoto non Pauci ſcripſerunt, Wadingus commentitia oſtendit. (*b*) Quid, quod alia ſunt fortè duplicata, ut fit in ſimilibus? Nimirùm unoquoque ex Narratoribus ſeſe vidiſſe teſtante, quæ aliia locis, atque temporibus ab aliis viſa ſunt.

Quam facilè autem hujuſmodi narratiunculæ originem ſuam ducere poſſunt a Vulgi rumore, Mulierculis præſertim diſſeminantibus, ex aliquo dubio ſigno in cadaveribus animadverſo, puta ex ſudore a fronte, vel toto corpore dimanante, ex calore diù conſervato, ex facie vivida, & rubicunda, ex capillis, unguibus, aut barbæ pilis creſcentibus, ex fortuito motu cadaveris, vel ſaltem ejus capitis non benè collocati, & firmati, muribus præſertim dimoventibus, vel denique ex nimis incenſa, & verſatili Adſtantium phantaſia?

His verò non obſtantibus non negabo magnam Bruhierii exemplorum partem me veram reputare: nam & in Sicilia interdum ſimilia contigiſſe non dubia fama vulgavit.

3. Cæterum hæc, aliaquæ hujus generis facta ut plurimùm ad caſus repentinos, ac mala ſubitanea pertinent, puta ſyncopen, apoplexiam, ſubmerſionem, &c. Nos verò ſupra monuimus in his diligentiſſimo examine inveſtigandum, utrum reverà Prægnans mortua ſit, nec eam incidendam, niſi poſtquam ſigna mortis caracteriſtica illuxerint. Quod ſi apparentes aliquæ mortes, a Bruhierio narratæ, ex morbis periodicis proceſſerant; regulariter, ut ex ipſa patet hiſtoria, in Noſocomiis, vel peſtis, aut graviſſimæ epidemiæ tempore, ſefellerunt. Nemo tamen eſt, qui neſciat in hujuſmodi circumſtantiis omnia tumultuariò geri, ac propter feſtinationem in ſepeliendis mortuis facillimè errari. Idemque de iis dicendum, qui in prælio ceciderant. Si qui verò in proprio lecto, & extra prædictas anguſtias viſi ſunt obiiſſe, ac poſtea ſurrexerunt; id ſanè

(a) Feiſòus *loc. cit.* §. 1. *n.* 11. & 14.
(b) Wading. *in vita Scoti, quem Feiſòus, & alii ſequuntur.*

tribuendum imprudentiæ, atque ignaviæ Domeſticorum. Cum enim iſti Ægrorum nonniſi mortem expectarent, ex aliquo ipſorum actu, motuque ac ſubſequente corporis totius externa quiete, primò illos extremum Spiritum exhalare, deinde Animâ jam deſtitutos eſſe firma perſuaſione judicarunt: nihil aliud exinde curantes. Quapropter neque ipſorum arterias, neque cor exploravere, nec ſedulò indagavere, utrum tenui ſaltem reſpiratione uterentur. Uno verbo nullam induſtriam, quam potuiſſent, ad mortis veritatem per ſolita ſigna, & experimenta inquirendam contulere, atque ea fuit perículoſiſſimi erroris occaſio.

4. Contra verò apertiſſimè obſervari poterit in pluribus exemplis ab ipſo Bruhierio relatis, Ægrotos, qui deinde reſtituti ſunt, quamquam primo intuitu Spiritum emiſiſſe viderentur, habuiſſe tamen quædam ſive certa, ſive dubia ſaltem vitæ ſigna: ob quæ non ſolùm eorum ſepultura ad plures dies dilata fuerat; ſed omni ope, & Medici, & Domeſtici, eos ad vitam revocare nixi erant: quod tandem feliciſſimè obtinuere. Alii profectò naturalem calorem conſervabant: aliqui membrorum flexibilitatem, vel tenuem reſpirationem, aut pulſum; Nonnulli etiam medicamenta deglutiebant: alii denique dormientibus ſimiles potiùs, quàm mortuis cernebantur.

5. Inſuper aliud eſt dicere Homines multoties erraſſe, illos reputando mortuos, qui vitam retinebant: aliud eſt dicere vivos a mortuis internoſci per ſigna non poſſe: ſicuti etiam aliud eſt dicere ſæpè adulterinam expendi pecuniam pro incorrupta: aliud tamen adſtruere non dari modum ad diſcernendum in pecuniis aurum probum a vitioſo: primum enim verum, ſecundum omnino falſum exiſtimatur.

Id etiam addendum, in errores iſtos Imperitos propter ſcientiæ, & experientiæ defectum, non verò Medicos impingere; quamquam etſi Medici ipſi ob incuriam, imprudentiam, præcipitationem, vel ſi mavis inſcitiam, propter quam generales regulas particularibus circumſtantiis aptare quandoque neſciant, fallerentur; id artis regulis, quæ certa ſunt, ac ſtabilia fraudi eſſe non debet, ut apertè monuit Celſus Latinorum Hippocrates. (*a*) *Adverſus quos*, ait, *ne illud quidem dicam, quod notæ poſitæ non bonos, ſed imperitos Medicos decipiunt; quod Aſclepiades funeri obvius intellexit eum vivere, qui efferebatur: ne protinus crimen artis eſſet, quod Profeſſoris ſit*. Idem ſentit Magnus Lanciſius, (*b*) idemque fatetur ipſe Vvinslovvius: *Sæpè numerò incerta fallunt incertæ mortis ſigna non tam artis crimine, quàm aut imperitiâ, aut negligentiâ artem Profitentium, atque Exercentium, ut & Adſtantium vel incuriâ, vel inopiâ, imo quandoque malitiâ*. Nam quale probrum eſſet medicinæ, ſi mortem, quam adventantem a longe ſubodorari gloriatur, præſentem jam, & ob oculos poſitam diſcernere non valeret?

6. Inde factum eſt, ut Bruhierii Librum, quamquam cæteroqui ob publici boni ſtudium, ac eruditionem, valdè laudandum, impugnaverint Viri egregii Abbas de la Fontaine, atque Loviſius, oſtendentes non opus eſſe corruptione, ut mortem indubitanter agnoſcamus. Loviſius quidem docet decolorationem, ac flacciditatem oculorum panno vitreo adnaſcente maximè rigiditati, & inflexibilitati membrorum, modo ſuprà explicato conjunctam, eſſe mortis caracteriſticum, ac tutiſſimum ſignum. Profectò nullum a Bruhierio exhibetur factum, in quo hæc oculorum deformatio aliquando deceperit. Verùm præſcindendo etiam a quæſtione inter Bruhierium, & Loviſium agitata, utrum præter putrefactionem dentur ſigna mortis indubitata; imo dato etiam, & non conceſſo antedictam oculorum deformationem eſſe notam per ſe fallibilem; adhuc fidenter dicam omnes eos, qui cuncta mortis ſigna præſeferunt, nullum verò quamvis æquivocum vitæ, ſi omnia facta ſunt a Peritis tentamina per competentem temporis moram, ut ad vitæ officia redeant, & nihilominus in eodem ſtatu permanent, certiſſimè de-

(a) Celſus *de re medic. l. 2. c. 6.*

(b) Lanciſ. *de mort. ſubit. l. 1. c. 16.* Vvinslovv. *in Theſi An mort. incert. Apr.* 1740.

Digitized by Google

defunctos eſſe; quamvis enim aliquandò, etſi rarò, hoc, vel illud ſignum ſingulariter conſideratum fefellerit; ac ſimiliter hoc, vel illud remedium ad ſuſcitandum, qui mortuus videbatur, non ſuffecerit, quod tantummodo ex allatis a ſe exemplis ad ſummum contendere poſſet Bruhierius; attamen neque apud ipſum, neque apud alios reperiri queunt caſus, ubi tota ſignorum mortis collectione ſuffragante ſine ullo vitæ ſaltem dubiæ indicio: omnibus item remediis ad excitandum Decumbentem ſeriò per congruum temporis ſpatium adhibitis, Medico præſertim obſervante, & pro morte decidente, ſit unquam erratum. Nam quo pacto falſa poterit eſſe mors tot naturalibus notis conteſtata? Quomodo autem vera vita, quæ nullo prorſus nequidem æquivoco ſigno ſeſe indicaret? Quibus tandem abdita, & retruſa penetralibus illa deliteſceret? Cæterùm quamquam his non obſtantibus arbitraretur aliquis mortem ſine putrefactione non eſſe phyſicè indubitatam, nemo tamen negare poterit eam ſaltem ſummum in hypotheſi certitudinis moralis gradum attingere, tantoque clariorem ex ipſis Feifôi principiis futuram, quantò plura erunt indicia comprobantia. (a) Profectò mentiuntur quandoque & Mulieres, & Viri non ſolùm ignobiles, ſed & ſublimi loco nati, Philoſophi quoque, vel pietatem profitentes. Quis autem pernegare auderet factum, quod omnes illi uno ore conteſtarentur? Quod enim ſinguli certum non facerent, certiſſimum redderent univerſi.

7. Si autem cum hac morali ſaltem certitudine Mortuos incidere, vel ſepelire non liceret, atque ad putrefactionem expectandam cogeremur; ut alia omittam, quomodo unquam ad anatomicas ſectiones medicinæ, atque ideo ſaluti Hominum tam neceſſarias devenire fas eſſet? Cadavere enim corrupto neque Chirurgus intolerabili fœtore prohibitus poſſet incidere, neque inciſio intentum obtineret: corporis nimirùm vaſis a putredine ipſa jam deſtructis, liquoribuſque confuſis: quodque deteriùs eſt, (ut ipſe Feifôus (b) ingenuè fatetur) humationis retardatio periculoſa eſſet Viventibus: nam ex ea, & morbi, & lethales epidemiæ, & peſtilentiæ in humani generis perniciem orirentur.

8. Quod ſi generaliter ex prædictis ad judicium de morte ferendum non expectanda putrefactio eſt; in negotio, de quo agitur, eamdem prevenire prorſus oportet; cum Infantulo de vita non minùs æterna, quàm temporali periclitanti ſuccurrendum ſit, cui tanta mora ſine ullo dubio fatalis eſſet futura. Quapropter etſi ſupponeremus, non obſtantibus quibuſcumque mortis indiciis, evenire poſſe, ut aliqua Prægnans viva diſſecaretur; nihilominus eo periculo neglecto, ſub graviſſimi criminis reatu ad Partum Cæſareum efficiendum omnino teneremur. Cum enim periculum illud eſſet remotiſſimum; non deberet Chirurgos a ſectione abſterrere, vel eos tardiores reddere, quàm par eſt: ac multominùs Sacerdotes quaſi irregularitate irretiendos, ubi Gravida fortè vivens cederetur. Nam ſi putabat Heiſterus, (c) vix e centum millibus, quos prudens, vel etiam mediocre Vulgus mortuos credidit, unum inventum eſſe, qui verè vivus extiterit: quid ille diceret, ſi in uſum ſuperiùs expoſitæ cautelæ, ac experimenta venirent?

Cæterùm etſi aliquis aliquando ſubreperet error; dummodo illi prudentèr ſe geſſerint, non eis a Deo imputabitur Matris infortunium, quod averſantur, ſed Pueri liberatio, quam intendunt. Prudenter autem ſeſe gerunt, ſi prius ea ſigna in Prægnante perſpexerint, quæ communiter in mortuis obſervari ſolent, ſique omnis ſimul præſtiterint, quæ ab arte medica in his circumſtantiis præſcribuntur. Neque enim tandem in agibilibus exigere ſemper poſſumus certitudinem methaphyſicam, vel mathematicam: imo interdum, nec phyſicam, ſed ea

I 2 ex

(a) Feifôus *loc. cit.* §. 8. *n.* 31.
(b) *Idem loc. cit.* §. 7. *n.* 26.
(c) Heiſter. *Chirurg. t.* 2. *ſect.* 5. *c.* 113.

Digitized by Google

ex Ariſtotelis monito (a) contenti erimus, quam materia ipſa permittit. Corruerunt quandoque terræmotu furente firmiſſimi pontes cum morte Viatorum, parietes etiam dormientes in cubiculis oppreſſerunt. At quis ab Hoſte impetitus per pontem fugere non feſtinaret? vel ſub dio cubare vellet brumali tempore? Nimirum proxima pericula declinanda ſunt; valdè autem remota, & merè poſſibilia contemnenda: maximè ſi neceſſitas ad operandum urgeat, ſecùs irrationabiliter ageremus. Cum igitur cavenda ſit ſpiritualis Parvuli ruina, Partum Cæſareum imprudenter differre non licet: aliter enim innumeri Infantes, priuſquam ſerum illis, & inutile adveniret auxilium, vitâ ſpoliarentur, & in æternum perirent. Porro ſi teſtimonium Hominum, qui tam ſæpè falli, & fallere poſſunt ad pœnam capitis infligendam ſatis eſt: quare conſueta, & benè diſcuſſa finitæ jam vitæ ſigna, quorum teſtimonium, utpotè a Natura ipſa profectum, multò tutius eſt, ad liberandum per ſectionem Pueros non ſufficere judicabimus?

9. Majorem eſſe oportet mortis certitudinem ad approbandum reſurrectionis miraculum in Beatificatione, ſive Canonizatione Sanctorum; tum quia hujuſmodi cauſæ ſunt ex majoribus, & arduis: tum quia ſi miraculum non approbetur, nulli damnum infertur, tum quia cum miraculum natura ſuâ ſit rarum, non præſumitur. Quare niſi clariſſimè, & evidenter probetur mors antecedens; credendum eſt potiùs hujuſmodi mortem fuiſſe apparentem, quàm reſurrectionem fuiſſe veram. Et nihilominus adſtrui poterit mors; imo & phyſicè quoque certa vel ante corruptionem exiſtimari per ſigna propria in ipſis Apopleticis, Hiſtericis, ac ſimilibus, in quibus qui expectandam eſſe quartam diem tradunt, intelligendi veniunt, uti Ss. Pater Benedictus XIV. docet, ubi a ſignis, & experimentis præſcindatur, & in ſolo temporis lapſu probatio conſiſtat: quantò magis ergo probatio per ſigna, & experimenta in cauſa noſtra erit admittenda, quæ revera e vulgaribus eſt, & moralem tantùm expoſcit certitudinem? Profectò damnum Infantis in dilatione Cæſarei Partus eſt ſummum, neque hìc agitur de miraculo, ſed tantùm de morte adfirmanda, quæ cum non ſolùm naturaliter ſit poſſibilis; verùm etiam tandem aliquando neceſſaria; ſi cautelæ omnes adhibitæ fuerint, & ejus characteriſtica ſigna interceſſerint; non ſolùm prudentiſſimè præſumi, ſed omnino pro certa haberi debet.

10. Illud tandem ſummoperè animadvertendum eſt Bruhierii Librum, nihil aliud intendere, quàm ſepelitiones, & balſamationes, in quarum dilatione, ut ipſe putat, nihil eſſet incommodi, vel ad ſummum alias non neceſſarias cæſuras ante putrefactionem eſſe vetandas: & nihilominus id ipſum Gallis Popularibus ſuis nequaquam perſuadere potuiſſe; non tamen docuit Partum Cæſareum ad ſalvandos Pueros prorſus neceſſarium, tanto tempore differendum. Hoc enim idem eſſet, ac illum abſolutè damnare. Contra verò eumdem valdè commendat, efficaciter probans nonnatum Filiolum extinctæ jam Matri poſſe in utero ſupervivere, pluribuſque rationibus, & exemplis firmat, nefas eſſe Pueri extractionem omittere, conqueriturque maximè Romanorum de Partu Cæſareo ſanctionem in Galliis parvipendi. (b) Imo quod magis notandum eſt, porrecto libello in delineatione condendæ conſtitutionis apud Regem inſtat apertè, ut Legem ille ferat, qua hujuſmodi ſectio in mores omninò inducatur: *Statutum*, ait, (c) *etiam obviare deberet crimini illi, quod Romanorum Leges inter homicidia computabant, quodque magis quotidianum experimur: nimirum ante cæſaream inciſionem, ſaltem poſt mortem faciendam, ſepelire Prægnantes. Hæc prava conſuetudo non minùs naturali, quàm poſitivo juri adverſatur; & ipſe in mea diſſertatione plu-*

(a) Ariſtot. 1. *Etich. c.5.*
(b) Bruhier. *de Incert. ſign. mort. t.2. cap. 4.*
(c) *Tom. 1. in fine fol.581.*

plura Parvulorum attuli exempla, qui poſt plures a morte Matrum dies adhuc vivi exorti ſunt.

Exoptat denique, ut in Partubus deſperatis fiat inciſio vivente Matre: quo ſcilicet & ipſa, & Fœtus unà liberentur: neque illius mortem expectemus, ne dilatio utriuſque ruinam afferre valeat.

11. Ad hæc Bruhierius tres non exigui certè momenti errores meritò reprehendit. (*a*)

Primus eorum eſt, qui charitate frigeſcente Domeſticos ſuos ægros extrema unctione jam expiatos non ampliùs medicaminibus juvant: imo quod ipſe olim interdum obſervavi, nec alimento reficiunt, ſed prorſus derelinquunt veluti victimas indeclinabili morti devotas. Etenim ſi ex illis ipſis, qui falsò mortui crediti ſunt, non pauci ad ſe redierunt; quænam erit amabo te vecordia, atque ſtultitia indubiè adhuc viventes ita deſerere?

Secundus aliorum eſt, qui Hominem ſimul ac expiraſſe putatur, arcæ mortuariæ includunt: ita enim ſi fortè ille ſyncope opprimitur, aeris recentioris ingreſſu prohibito, neceſſario ſuffocabitur; aut ſaltem ſi deinde vitæ aliqua indicia præbeat; ab Adſtantibus ea percipi nequibunt.

Sed irriſione certè non minùs, quàm execratione dignus eſt tertius. Noſocomiorum Leges vetant ne Defuncti, dum calorem adhuc retinent, ſepulturę mandentur, propter ſuſpicionem ſcilicet vitæ latentis. At quid excogitarunt egregii quidam Noſocomiorum Præfecti? Cum calor ille diligentiſſimè foveri potiùs deberet, quàm data opera extingui; utpote qui aliquoties vitam denuo accendiſſe perhibeatur; marmoream tabulam ſtatuere, ubi mortui deponantur, quouſque omnino frigeſcant: atque præclara iſta legis interpretatione certiſſimè occidendo (ſi qui fortè ſunt) vivos, revera cavent clientulis ſuis ne calidi, imo etiam ne vivi unquam ſepeliantur. (*b*)

Alia etiam utiliſſima in hoc genere admonet Bruhierius; quorum ſanè plurima pro majori cautela in praxim deduci expediret; ac præſertim in mortibus repentinis nequaquam omitti. Ea quidem ab inſtituto noſtro aliena prætermus: at Parochus in laudato Auctore legere non dedignabitur, & quo ad ejus fieri poterit in Paræcia ſervari curabit. (*c*)

CAPUT QUARTUM.

Praxis Partus Cæſarei Defunctarum.

1. JAM verò Gravidæ morte ſatis exploratâ, ſectio ſequenti modo iſtituenda eſt. Duæ ex aſtantibus Fœminis illico eam convenientiori ſitu ſupinam ſuprà menſam, vel ipſum utique lectum collocabunt, eamque manibus firmiter, ne commoveatur, detinentes, commoditatem Chirurgo præbebunt, ut munus ſuum exequatur. Inciſionem is ergo præſtabit non ad modum crucis, at linea longitudinali, ut ſi fortè Prægnans mortua non ſit, ac ſenſum, ideoque vitam oſtendat; faciliùs ſanari valeat. Antequam ſectionem aggrediatur Chirurgus, manu tentans diligenter inquirit, ubi ſit Fœtus, & utrum proximus peripheriæ, ſeu parti extimæ ventris inferioris, tum ut ſciat prudenter ſe gerere circa majorem, vel minorem vulneris profunditatem, tum propter alia prope hujus Capitis finem exponenda. Utitur autem Scalpro Chirurgico recurvo, dicto Gambaut, vel Cultro, vel Novacula, incipiens a parte, quæ ſubſtat cartilagini enſiformi, ideſt paulò ſu-

(a) Bruhier. *de Incert. ſign. mortis t. 1. c. 1. §. 6. obſerv. 2. fol.* 146., *&* §. 13. *fol.* 313., *& tom.* 2. *c.* 1. *fol.* 77., *& ſeq.*

(b) *Idem t.* 1. *c.* 1. §. 12. *fol.* 292., *&* §. 13. *fol.* 312. *&* 322., *& cap.* 2 §. 3. *tom.* 2. *cap.* 2. *fol.* 26. *& ſeq. & cap.* 5. §. 3. *fol.* 526. *&* 544. *& in memoria fol.* 513. *& in idea conſtit. faciendæ fol.* 577.

(c) *Idem t.* 1. *in memor. fol.* 547. *& in Idea conſtit. faciendæ fol.* 576.

ſuprà umbilicum, ſed parumper a latere, ut umbilicus ipſe quia ſecatu difficilis, evitetur: deſcendetque inferiùs uſque ad ſuperiorem partem Pubis, cæſurà ſufficienti ad diſcindendum non ſolùm pellem, verùm etiam muſculos rectos, qui ſubtus latent, videlicet carnem. Pellis nomine intelligantur tegumenta a Medicis appellata communia, nimirum cuticula, corpus reticulare, cutis, & membrana adipoſa, ſeu celluloſa, ſub quibus exiſtunt muſculi recti, ſeu caro prædicta. Hæc omnia ſimul juncta profunditatem conſtituunt unius digiti cum dimidio: tegumenta namque ſimul unita ut plurimùm paria ſunt lato dorſo cultri, muſculi verò uni digito circiter: quamvis non ſemper eamdem ſervent menſuram, ſed pro diverſa magnitudine, ac pinguedine corporis uni, vel pluribus digitis interdum adæquentur. Exigit verò prudentia, ut Chirurgus craſſitiem ſemper ſupponens eſſe minorem, in incidendo cautiſſimè ſeſe contineat.

2. Diſciſſis ergo tegumentis, ac muſculis in conſpectum ſeſe dabit, magna Abdominis membrana, dicta Peritonæum, quæ ex duabus aliis membranulis coaleſcit, ut plurimùm craſſitiem habens veli firmioris, quo paſſim utimur ad cribrandum. Chirurgus illam leniter incidit, nam tenuis eſt: & digitum aliquem ſiniſtræ manus introducit, ut eodem inſtrumento, vel etiam forbicibus, Peritonæi cæſuram dilatare commodiùs poſſit. His peractis, & inteſtinis manu a parte diſſecanda tantiſper amotis, apparet uterus: ejus verò ſitus eſt medius inter veſicam urinariam, & rectum inteſtinum, ſed in Gravidis magnitudine auctus diſtenditur, comprimitque veſicam; quare ad illum inveniendum non opus eſt eam diſcindere: quod ſi prægnatio non multum proceſſerit, cura erit Periti veſicam pro utero non accipere, ſed hunc in ante dicto ſitu invenire, & ad ipſius inciſionem deinde pergere. Si autem ſectioni matricia veſica urinâ tumens obſtaret: aperienda primùm hæc eſſet; ut urina diffluente ſubſidat, & impedimentum evaneſcat. Uterus nunc majori, nunc minori eſt longitudine, ac latitudine, pro graviditate magis, aut minus antiquâ ipſum diſtendente, & pro numero, & magnitudine Fœtuum, in eo contentorum. Mauriceaus advertit (a) ipſum eſſe tenuem, ac in fine prægnationis nunquam excedere craſſitiem dorſi, quod eſt in cultro, ſive monetæ argenteæ, quam *Piaſtra* vulgariter appellamus. Contrarium alii ſcribunt: ut ut autem ſit leviter, nec totus unico inſtrumenti ictu eſt incidendus, ne fortè vulneretur Infantulus. Itaque hic ſeſe offert ſecundinis circumveſtitum, quæ facilè dignoſcuntur: videntur enim ex confuſa venarum ſuarum multitudine ſanguinem veluti emittere, & manu ipsà lacerantur, vel ſi duriuſculæ ſcalpro, vel forbicibus, aut alia ratione ſcinduntur. Non deſunt verò Chirurgi, qui, poſtquam manu tractantes ubi ſit, Fœtus invenerint; longitudinali lineæ in Cæſareo Partu faciendo latitudinalem præferant. Mauriceaus verò primam ſuadet, utpotè commodiorem: in ea enim nonniſi muſculi recti, ſeu tendinoſæ illorum extremitates inciduntur, in altera verò, ſeu laterali, perſecari debet intima caro obliquorum, & tranſverſalium muſculorum, quorum cum unus alio ſit ſuperſtratus; craſſitiem habent valdè notabilem: atque inde cruor, qui majori copia exundat, impedimento erit quominus Chirurgus diſtinctè, ut oportet, quid agat, inſpiciat.

3. Nihil hic dicendum de Omento, ideſt reticula, ea enim quamquam ſub Peritonæo, ut plurimùm tamen in ſuperiori parte Abdominis latet, nec ad inferiorem uſque niſi raro caſu protenditur. (*b*) Quocirca opponere ſeſe non ſolet, cum uterus eſt ſecandus: incidenda tamen & ipſa, ubi fortaſſis occurreret.

4. Infante igitur ſecundinis jam dilaceratis detecto; ſi Chirurgus morti proximum reperit, non illum extrahit, ſed in ipſo ventre adhuc exiſtentem curat illico baptizari: at ſi vivacem agnoſcit, reſecto funiculo umbilicali ab utero tollit, & Parocho præſentat. Puerum baptizandum una ex Mulieribus in eo ſitu detinet, quo ab aqua Baptiſmatis ejus reſpiratio turbari nequeat, ſcilicet pro-

num,

(a) Mauriceaus *de morb. Gravid. lib. 2. c. 33.*
(b) Heiſter. *in Compend. Anatom.*

rum, alterâ interim aquæ ampullam porrigente. Sacramento ſtatim collato, Chirurgus funiculum ligat umbilicalem in diſtantia duorum digitorum ab umbilico: eumdemque funiculum ad dimidium digiti ſuprà ligaturam ipſam denuo recidit, ac diligentiſſimè os Parvuli aperit, naſumque detergit, ut reſpiratione utatur faciliori: eo interea propè ignem ſubſtentato. Inde ipſum refovet, ori ejus, & naribus vinum, vel aquam vitæ, ſimilemve liquorem admovendo; tum calefacit halitu ſuo, vel ſimplici, vel etiam vino, aut ſpiritu vini ore detentis roborato, illiuſque faciem vino calido lavat; demum Obſtetrici, vel alteri expertæ Mulieri tradit, mandans eum pannis calefactis involvi, & antedictis auxiliis confortari.

5. Si verò de Infantulo jam extracto dubitetur, utrum vivat, an mortuus fuerit; manus capiti imponatur, ubi fontanella, ſeu fons pulſatilis reperitur, & arteriæ valdè micant, vel ſiniſtræ parti pectoris circa cor, vel temporibus, vel umbilico: ac ſi pulſatio percipitur, ſubitò, & abſolutè baptizetur, utpotè certè vivus: at ſi non ſentiatur pulſatio, & nec reſpirationem, nec motum, neque ſenſum oſtendat; attamen deſit putrefactio, aliaque indubitabilia mortis ſigna; ejus exanimatio certa non erit, ſed ambigua. Itaque ne temporis momentum amittatur, quo mors Infantis apparens in veram commutari poſſit; illico ſub conditione, uti mos eſt in dubiis, baptizetur; Fœtus enim ex nimia debilitate ſæpè mortuus omnino videtur, qui nonniſi æger eſt, vel ad ſummum moribundus. Et verò ſi hoc in ipſis Adultis multoties accidit; a fortiori in Infantibus Abortivis, vel Partu Cæſareo, aut difficili editis, imo quocumque modo naſcentibus, ut alibi clariſſimè probabo, [a] remedia quoque proponens, quibus ad vitæ officia revocentur.

Cavendum tamen erit ne Matris ejuſque ſanguinis, aliorumque liquorum in utero putreſcentium Fœtorem cum cadaverico Filioli fœtore, ac ne gangrænam viventis Fœtus cum ejus putrefactione confundamus. Diſtinctionis verò ſigna dablmus alibi. [b]

Porrò ſi Fœtus certò vivus eſſet, monſtroſus tamen, ſervanda erunt, quæ Romanum Rituale præſcribit. Cum autem Monſtra faciliùs in Partubus Cæſareis Viventium occurrant; dubia de illis baptizandis, vel non, ad caput nonum Libri tertii rejicimus.

6. Diximus Parochum debere ſtatim baptizare Infantulum: non enim expedit eum ad Eccleſiam deferre. Nam cum Partus non fuerit naturalis, periculum ſubeſt, ne interea inopinatò decedat.

7. Sed ut ad Chirurgum redeamus, adnimadvertat is, Infantes non ſemper in utero inveniri: conceptio enim quandoque non naturalis eſt, ſed vitioſa. Celebre quidem eſt factum Toloſanum. Prægnante nonimeſtri mortua, & a Chirurgo diſſectâ, viſus eſt uterus Gravidarum more grandis, verùm ſcirrhoſus, & craſſitudine quatuor digitorum tranſverſorum: ejus tamen cavum exiguum, & ſine ullo Fœtus veſtigio, ſed ſanguine plenum grumoſo, & nigricante. Chirurgus itaque jam in animum induxerat, graviditatem fuiſſe imaginariam: at cum Defunctæ neceſſarii aſſeverarent, eam verè gravidam; totum Abdomen aperuit, & in ſiniſtro latere ſub omento, ſeu reticula Infantem adinvenit, atque Courtiali egregio Medico, rem teſtanti, conſpiciendum oſtendit. Ubi ergo nota prægnatio eſt; ſi Chirurgus in utero Infantem non reperit, ulterius inquirat, ventrem ampliori vulnere diſſecando, ut illum deprehendat, vel in Abdomine, in quem fortè prolapſus fuerat, & creverat; vel in Tubis Fallopianis, vel in Ovario ipſo, ubi fœcundata ova quandoque ſubſiſtunt: etſi enim caſus iſti rariores dicendi ſint, attamen accidunt aliquando, uti Recentiores omnes admittunt. Mangetus fusè plures enarrat vitioſas conceptiones a celebrioribus anteacti ſæculi Scriptoribus oculatis Teſtibus, cum earum circumſtantiis relatas: (c) ni-

(a) *Lib. 3. a cap. 10.*
(b) *Loc. cit. cap. 15. n. 10. & ſeq.*
(c) Manget. *Theatr. Anatom. p. 2. lib. 2, c. 3.*

nimirùm tres in Abdomine, quatuor in Tubis, ac tres etiam in Ovario. Imo Ephimerides Germanæ, cum Heiſtero, (*a*) Puerulum afferunt in veſica urinaria detectum.

8. Si verò pro Fœtu Mola inveniatur, non ideo deſperanda Chirurgo res eſt, & deferenda. Molam ipſam diſſecet: fortaſſis enim in ea exiſtit Fœtus. Id olim in Nobilis Venetæ ſectione perſpectum Auctor eſt Alexander Benedictus. (*b*) Simile quoque vidit exemplum Amſtelodami v. Idus Februarii 1669. Kerkringius: (*c*) quod cum aliis etiam obſervationibus confirmari poſſet; omnes pariter Molas exiſtimo ſemper diſcindendas.

9. Item Chirurgos moneo, ut ſedulo inveſtigent, utrum alius fortè ſuperſit in Matre Puer, ſive Gemellus, ſive ex ſuperfœtatione extrahendus, vel etiam plures. Cæterùm de hoc argumento poſtremo Capite hujuſce Libri copioſiùs diſſeremus.

10. Denique ſi quando Gravida in partu obierit, Fœtus autem baptizatus fuit in utero per ſyphunculum, aut ſine illo; vel ſi baptizatus fuit in pede, manu, vel alio membro foras emiſſo, quod non ſit caput; nihilominus Partus Cæſareus in Defuncta peragendus erit: Primò, quia Baptiſmi valor niſi miniſtratus ille ſit in capite jam ex utero egreſſo, apud Nonnullos Theologos eſt dubius: quapropter nato deinde Infanti a Rituali Romano ſub conditione iterandum eſſe præcipitur.

Secundò, quia Parvulus quamvis Baptiſmum acceperit, educendus eſt, ut a corporis morte liberetur.

Tertiò, quia fortè alii ſunt Fœtus in utero ex ſuperfœtatione geniti, ſimiliter etiam extrahendi, ac baptizandi.

CAPUT QUINTUM.

Vitandas quidem eſſe moras in Cæſareo Partu: eum verò, etſi notabile tempus a morte Matris effluxerit, non eſſe omittendum, cum Fœtus etiam per dies integros ſupervivere poſſint.

1. DICTUM eſt ſupra Partum Cæſareum eſſe Matre mortua quàm citiùs adhibendum, ne fortè Infantis vita tot obnoxia periculis interim evaneſcat. Cæterùm omnino falſum eſt, & ab univerſali experientia improbatum, quod ſcripſit Sanchez ab aliquo fortè ſui temporis Medico deceptus: maternos ſcilicet morbos adeo Fœtui in utero participari, ut priùs ipſum præ teneritudine, quàm Matrem occidant: itaut penè miraculum ſit, Fœtum Matre mortua vivum reperiri.

2. Falſum eſt etiam, quod docuit Rodericus a Caſtro: (*d*) Matre nimirùm expirante, nullo temporis intervallo etiam Puerum interire. Tribuit is vitalem Infantis motum contractioni, & expanſioni arteriarum umbilicalium, quem motum tranſpirationis appellat, a Syſtole, & Diaſtole materni cordis dependentem, & conſequenter neceſſariò reſtiturum, quandocumque illæ reſtiterint: ac proinde autumat, Matre deficiente, Fœtum illico, & inevitabiliter extinguendum. *Qui motus*, ait, *ubi ceſſet in Matre, e veſtigio ceſſat in Infante: qui non ante umbilici ſciſſionem ſpiritum per os trahit, nec in utero per os reſpirare poteſt.* Idem ſentit Varandèus (*e*) aper-

(a) Ephimer. Germ. *Nat. cur. A.* 3. *obſerv.* 318. Heiſter. *in Append. ad Comp. Anat. in Orat. de increment. anatom. fol.* 104.

(b) Alex. Benedict. *lib.* 25. *de morb. cur. c.* 29.

(c) Kerkring. *Anatom. obſerv.* 25. Bonet. *Medic. Septentr. t.* 2. *in Miſcell. c.* 7. *in Schol. ad Bartholin.*

(d) Roderic. de Caſtro *l.* 4 *de morb. Mulier. c.* 4.

(e) Varand. *de affect. Mulier. c.* 7.

apertè ſubſtinens Infantulum, dum eſt in utero non ſuâ, ſed Matris vitâ vivere. Zacchias (a) verò, Caſtri, & Varandæi ſententiam valdè emollivit: innumeros, enim fatetur Fœtus longè poſt Matris obitum vivos repertos: & Partum Cæſareum docet eſſe faciendum: at cum quædam phyſicæ veritates ejus ætate non ſatis eſſent elucidatæ; Caſtri, & Varandæi principium admittit, Infantem ſcilicet vivere vitâ Matris: quocirca putat Fœtus ad naſcendum non adhuc maturos, quales ut plurimùm ſunt ante nonum menſem; ſi ad inciſionem veniretur; mortuos fore ſemper inveniendos: quod omnino falsò pronunciatum eſſe inferiùs demonſtrabo. Additque Cæſareo Partu Extractos omnes fuiſſe novimeſtres, vel decimeſtres: quod ſolùm eorum robur cum morte confligere valeat, quouſque ad eos eruendos Chirurgus accurrat. Verùm quis crederet? Caſtri, & Varandæi opinio Fœtibus adeo pernicioſa, & communiter etiam Zacchiæ temporibus a Medicis, Theologiſque rejecta, periculum eſt, ne hoc ipſo præſenti ſæculo, a quibuſdam Parochis in praxim deducatur. Porro duos ex his novi. Primus quamvis medicinam profiteretur, illâ tamen opinione deluſus nullam, ut mihi faſſus eſt, de hujuſmodi Fœtu liberando ſollicitudinem gerebat. Alter cæteroqui zelo ſine dubio inſignis, nec indoctus novimeſtrem Gravidam cum Fœtu probabiliſſimè adhuc vivente *ſepeliri* permiſit: certò enim putabat Fœtus eodem temporis momento Matribus morientibus commori: ac proinde inciſionem faciendam eſſe antequam Gravidæ ultimum ſpiritum emittant, quaſi licitum ſit Matrem ad ſervandum Filiolum immolare: omittendam verò exiſtimabat inciſionem, ubi caſu aliquo ante Gravidæ mortem nequiſſet adhiberi. Cum autem illi ejus errorem detexerim, impoſſibile dictu eſt, quem exinde animi angorem, amaritudinemque de Pueri perditione conceperit.

3. Ut ergo ſimilia damna evitentur, opere pretium duxi, rem in propatulo conſtituere, ac propterea Sanchezii, Caſtri, atque Zacchiæ opiniones, Romani Ritualis auctoritate ſatis de falſitate convictas, primò experientiâ, deinde etiam ratione profligare.

Et quod ad experientiam attinet; innumerabiles Pueri a Romanorum ſaltem Regum ævo uſque ad præſens e Matribus defunctis vivi extracti ſunt. Dicere autem omnes iſtas ad unam lethargo, vel hiſterico morbo detentas, & oppreſſas, non verò mortuas contra fidem omnium Chirurgorum, & Medicorum, qui uti benè adnotavit Rainaudus, ad cæſuram devenire non ſolent, niſi de Prægnantis morte ſeſe reddiderint certiores; ſtulta eſſet cavillatio, ac temeritas manifeſta: ita enim ſub paſſionis hiſtericæ, vel lethargicæ prætextu poſſemus cunctas Mortuorum reſurrectiones ab Eccleſiaſtica hiſtoria narratas perfricta fronte pernegare.

4. At illud contra Caſtrum, & Varandæum certè mirabilius: Fœtus nimirùm multo poſt tempore Genitricibus mortuis quandoque ſupervivere.

5. Profecto Sanctus Gildas Junior Tremorus etiam appellatus, virtute, & miraculorum gloria celebris; ut ex hiſtoria conjicere licet, poſt diem circiter a matris nece vivebat: (b) Alium ſimiliter Puerum poſtera die a Matris morte ſe moventem in utero, ac propterea vivum ſeſe vidiſſe refert Dolæus. (c) Infinita his accenſere poſſem exempla, paſſim a Scriptoribus narrata, quorum multa Scurigius adunavit. (d) Dabo tamen recentiora, & a me examinata, quorum priora quatuor hic Panormi contigerunt.

6. Cum xv. Kalendas Julii A. 1732. honeſta Matrona mihi nota obiiſſet; accurrère confeſtim duo Medici, totidemque Obſtetrices, omneſque aſſeverarunt, omittendam eſſe inciſionem, quod neque calor in uteri regione, neque motus in Fœtu, neque aliud vitæ ſignum in ipſo cerneretur. Nihilominus cùm fortè deindè ſuperveniſſet Chirurgus, & re-

K ela-

(a) Zacch. *t.* 2. *l.* 9. *tit.* 2. *q. unic. n.* 14. *& ſeq.*
(b) Bolland. 29. *Januar. in S. Gildæ vita c.* 4. *& in not. ad lit.* d;
(c) Dolæus *in Encyclop. Chirurg. l.* 4. *cap.* 5. *in fin. fol.* 370;
(d) Scurig. *in Embryolog. a pag.* 118. *ad* 147.

clamaſſet; poſt quindecim fermè horas inciſio facta eſt: Puer tamen vivus extrahitur, & baptizatur: qui demum poſt quatuor horas defunctus, unà cum Matre Eccleſiaſticæ ſepulturæ contraditur. Hæc autem a pluribus fide dignis tum voce, tum ſcriptis habeo comprobata.

7. Celeberrimus Panormitanus Archiater Auguſtinus Gervaſius de Sicilia a Meſſanenſi peſte ſervata optimè meritus, cum audiiſſet Gravidam, quæ Sanctæ Claræ Gynecæo famulabatur, ante vigintiquatuor horas defunctam, Chirurgum ad illam adduxit, & obfirmato animo ſecari præcepit. Infantulus, ut ille mihi narravit, vivus repertus eſt; deindeque Baptiſmate donatus.

8. Emmanuel Caruſus nobilis ex Ordine Miniſtrantium Infirmis Concionator in domo erat Mulieris ante viginti-tres horas defunctæ, cum, ſicuti ex ore ipſius accepi, caſu vidit illius ventrem commoveri: eam ergo eſſe prægnantem inclamans; incidi curavit. Puer vivebat, & ſacram lotionem adeptus eſt.

9. Xaverius Henricus in Sancti Bartholomæi Noſocomio Chirurgus, mortuam Prægnantem, ut ipſo teſtante didici; poſt vigintiquatuor horas diſſecuit, & Infantulam vivam extraxit, deinde Baptiſmi gratia expiatam. Hæc exempla in prima editione retuleram: cæterùm alia duo mirabiliora ſubnectam.

10. Neapoli Juvencula quatuordecim annos nata ſuſpicionem graviditatis ingeſſit, quæ, ut ipſa interrogata reſpondit, quadrageſimoquarto die non erat antiquior: mortua deinde, neſcio quo caſu, non niſi poſt trigintanovem horas inciſa eſt. Fœtus tamen vivus inventus, ejuſque moles, figura, & conformatio quadrageſimum quartum diem non excedere confirmabant. (a)

11. Mulier Calatahieronenſis circa A. 1737. Caltaniſſectam cum Viro ſuo profecta erat; is eam in itinere pluribus ſicæ ictibus in mammis, & utero crudeliſſimè interfecit. Poſt quadragintaocto horas Filiolus adhuc vivus, quamvis in pede per uterum confoſſum vulneratus, inventus eſt; & horæ quadrantem extractioni ſupervixit. (b) Nam translatio cadaveris a Territorio in Civitatem, illius recognitio a Magiſtratibus facta, aliaque impedimenta ſepulturam retardaverant; quod Fœtui ſaluti fuit, Matris interim graviditate animadverſa. Nulla fuit circa Mulieres iſtas de vera morte dubitatio: neque caldamenta ipſis ad uterum applicata.

CAPUT SEXTUM.

Fœtus remanere Matre mortua quandoque tam vegetos, ut etiam ſponte oriri poſſint.

1. QUAMQUAM quę diximus ad intentionem graviſſima ſint, majora tamen legimus hic recenſenda: Infantulos nimirùm non ſolùm vivos poſt notabile tempus per inciſionem erutos, ſed etiam ſuis ipſorum conatibus ortos. Monet enim cum Bartholino celeberrimus Bonetus (c) hujuſmodi ſpontaneas nativitates etiam ſepulta Matre non raro accidiſſe; atque ex eis originem ducere popularem illum morem Gravidas divaricatis cruribus quaſi ad faciliorem Prolis exitum ſepeliendi, cum forbicibus tamen, filo, & acubus: veluti Matris Anima iſtis indigeat ad recidendum, ligandumque Puerulis umbilicum, ſi quando naſcantur. Quorum rituum primus parum utilis, ſecundus verò ſuperſtitioſus, & ſtultus; in diligentiſſimam Partus Cæſarei ante Matris humationem faciendi curam commutari deberent.

Profectò Gorgiam Epirotam, Auctore

(a) *Ex Relat.* Gerlandi Faſuli *Medici ad me miſſa nono Kal. Sept.* 1746.
(b) *Ex Relat.* Petri Cummarani *Presbyteri, ac teſtis oculati* XIII. *Kal. Sept.* 1748.
(c) Bonet. *Medic. Septentr. t.* 2. *lib.* 4. *ſect.* 7. *obſerv.* 30. *quæ eſt Bartholini.*

ctore Valerio Maximo, (a) novimus Natum dum defuncta Mater in feretro ad ſepulchrum deferretur: atque ad illius vagitus ſtetiſſe Veſpillones.

Item ex Florilegio Epigrammatum, interprete Lublino (b) tres habemus Gemellos a Matris cadavere egreſſos.

Emortua Matre vivus partus; unus ſanè Deus.

Ab hac vitam ſuſtulit: bis verò dedit.

2. Sed ut ad noſtra tempora deſcendamus. In Saxonia, Salmutho narrante, duo Gemelli e Matre abſciſſo penitus capite in campis derelicta, ſimiliter vivi prodierunt. (c) Cum in Anglia gravida Mulier occubuiſſet; Puer vivus ex Harvei teſtimonio poſtridiè venit in lucem. (d)

Vitam etiam retinebat in Olavia ix. kal. April. A. 1665. ſecunda die a Matris fato Infans: itemque alius tertia die: uti Bonetus, & Germanæ Ephimerides meminerunt. (e)

Alium dat Infantem Riolanus [f] A. 1633. ortum Bruxellis altero die a morte Matris. Eum quidem Adſtantes exanimem deprehenderunt: at certò vivus creditur fuiſſe, cum oriretur: qua enim vi Mortuus ex Mortua prorumpere potuiſſet? Delaſſatus ergo a naſcendi conatibus, poſt egreſſum vivendi finem feciſſe dicendus eſt.

Tertia verò die natus erat Pridie Kalen. Novemb. 1609. ac vivus ex allata ratione Parvulus, de quo Salmuthus, [g] quamquam deinde mortuum invenerint. Idemq; omnino accidit alteri menſe quoque Novemb. A. 1673. in Pago Tronningen, cui proxima erat Bartholini narrantis habitatio. [h] Villica prægnans ex partu difficillimo, nil ſuffragante trium Obſtetricum auxilio, deceſſerat. Domeſtici nullam exinde de Fœtu ſeptimeſtri, curam ſuſceperunt; qui totus in utero latens biduum ſupervixit, Matris interea humatione dilata. Demùm tertia die facto impetu exivit certò vivus, quamquam paulò poſt ingentibus naſcendi laboribus fractus Animam efflaverit: adhuc enim calorem conſervabat. Quod quidem admiratione dignum exiſtimo: quamvis enim ſecundinis laceratis, ac liquore, qui in eis continebatur, quique nutrimentum Fœtui præbebat, jam effuſo; attamen ipſe, ut Auctor ait, *vitam propriam ut ante vixit, alimento antea per os in ventriculum congeſto, ſicuti chocleæ ſuo ſucco victitant.* Puerum etiam die tertia ſimiliter natum ex Domina Annebergica, Vinclerus enarrat. [i]

3. Feliciori tamen forte uſus eſt hiſpanus Infans, de quo Rejes, aliique. [k] Segobiæ Franciſci Arevallii longè abſentis Uxor diem ſupremum obierat: cum autem ſpecialis Tabellarius Marito rem detuliſſet; ille Segobiam rediit, nimis tamen ſerò, Conjuge nimirùm ſepulturæ jam tradita! ſed amoris æſtu impellente, rogat reſerari ſibi ſepulchrum, quo Mortuæ ſaltem aſpectu, dolorem aliquatenus temperaret. Dum igitur petitione impetrata, Defunctam deploraret; ecce Deus novi, & inſperati gaudii cauſam ſuppeditat: ex motu enim circa ventrem animadverſo, atque vagitu, intelligit Defunctam parere: factaque inquiſitione Filiolum planè vivum caput e materno ſinu emiſiſſe deprehendit: qui propterea extractus, tandem procedente tempore Seriſſam gubernavit.

4. Duos alios e Matre mortua vivos ortos Bruhierius pariter ſubminiſtrat. [l]

Sed innumeri quidem his addi poſ-

K 2 ſent

(a) Valer. Maxim. *lib.* 1. *in Gorgia.*
(b) Florileg. *Varior. Epigram. lib.* 3. *c.* 12. *n.* 42.
[c] Salmuth. *cent.* 2. *obſerv.* 1.
[d] Harv. *de Generat. Anim. exercit.* 71. *de Partu.*
[e] Bonet. *Medic. Septentr. t.* 2. *l.* 4. *ſect.* 7. *obſerv.* 29. *in Schol.* Ephim. German. *locis infra citandis.*
[f] Riolan. *in Anthropol. ult. lib.* 6. *c.* 8.
[g] Salmuth. *cent.* 2. *n.* 36.
[h] *Apud* Bonet. *Medic. Septentr. t.* 2. *l.* 4. *ſect.* 7. *obſerv.* 30.
[i] Vincler. *apud Bonet. Medic. Septentr. t.* 2. *l.* 4. *ſect.* 7. *obſerv.* 29.
[k] Rejes *Elyſ. jucund. quæſt.* 79. *n.* 12.
[l] Bruhier. *de Incert. ſign. mort. tom.* 1. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 5. *&* *§.* 10.

ſent aſſeveranter, ac ſummo planè conſenſu relati ab Auctoribus graviſſimis, ac noſtri ævi celeberrimis Medicis, & Anatomicis, quorum hic nomina ſaltem recenſebo: (a) ut & res plurium auctoritate, ac teſtimonio firmata ad ſocordium pudorem indubitabilis oſtendatur; & qui Cæſaream Inciſionem prætextu longioris temporis elapſi turpiſſimè negligunt, omnino reddantur inexcuſabiles.

CAPUT SEPTIMUM.

Fœtus quamquam decimo, vel nono menſe minores vivos reperiri.

1. EXPERIENTIA ergo, contra quam ſibi Vulgus perſuadet, clarè demonſtrat, non ſolùm Fœtus Matri morienti non commori, ſed etiam ipſi diu supervivere poſſe. Porro eadem experientia contra Zacchiam idem accidere docet, (b) ſive Fœtus jam Partui ſit maturus, decimo nimirùm, vel nono menſe, ſive etiam immaturus: ut ipſe in Puero trimeſtri olim vidi, quem a Matre ex pleuritide mortua extractum baptizavi Marci nomine impoſito. Nec valet objectio illa Zacchiæ: ſcilicet Auctores de Partu Cæſareo agentes, ut Rouſſetum, ac ſimiles; ſemper de Pueris nonimeſtribus non autem de minoribus mentionem facere. Oporteret enim, ut illi narrarent ſe, vel alios ante nonum menſem Gravidas incidiſſe: atque adderent Infantes exanimes repertos; aut ſaltem rei exitum præterirent: nunc verò cum tantùm referant Bertâ, vel Paulà nono menſe diſſectam vivum Filiolum extractum; non inde legitimè inferei poterit, eum neceſſariò mortuum fuiſſe inveniendum, ubi ante nonum menſem diſſectio contigiſſet. Deinde Auctores iſti ferè de Partu Cæſareo Viventium loquuntur; qui nequaquam fit, niſi poſt ſeptimum ſaltem menſem completum, naturali ſcilicet Partu jam deſperato. Fruſtra ergo in eorum Libris Fœtus immaturi a Matribus viventibus eruti exquiruntur. Poſtremo non facilè quidem perſpexerit Zacchias in Heroum Hiſtoriis Virum illuſtrem ante nonum menſem Partui Cæſareo exortum. Fœtus enim immaturi, licet Baptiſmi capaces, vitales nequaquam ſunt, ut exinde adoleſcere, poſſint & evadere inſignes. Cæterum neque ipſe ullibi præterquam in Zacchia legi, Cæſones ante tempus partui deſtinatum extractos, neceſſariò mortuos inveniri. Profectò Romanum Rituale ſine diſtinctione maturæ, vel immaturæ graviditatis, in univerſum Prægnantes præcipit incidendas.

2. Quod autem rariores accidant Cæſareæ Sectiones in graviditatibus a partu remotis; non valdè mirandum eſt.

Nam primò, hujuſmodi graviditates Parochis, etiam diligentioribus, non facilè innoteſcunt.

Secundò, quia ſi Defunctæ neceſſarii

(a) Marcell. Donat. *l. 7. ubi* Gregor. Horſt. Panlua Eber *in Kalend. Hiſt.* Cornar. *Hiſtor. admirab.* 14. Hildan. *In lit. ad During.* Cornel. *Prog. de Generat. Hom. prope finem fol.*72. Nimann. *de vita Fœtus in utero q.*29. Rolſinc. *diſput. Anatom. l.* 6. *c.* 33. *p.*1195. Matth. *in quæſt. medic.* Zuvinger. *in Theatr.* Ronſcæus *ep.*1. *fol.* 9. *& ſeq.* Bohnius *exercit. Phyſiol.* 26. §. 1. *Acta Haphn. vol.*2. *obſerv.*35. *p.* 92. Vesling. *latè obſerv.* 7. 48., *& ſeq.* Helmont. *tract. de concept.* §. 16. Ephim. Germ. Curioſ. *dec.* 1. *ubi duo exempla referuntur, & dec.* 2. *A.* 3. *cum Schol. Lucæ Schrecchii.* Deuſing. *in Geneſ. Microcoſm. p.* 3. *ſect.* 2. §. 83. *fol.* 267. Riolan. Antrop. *l.* 6. *c.* 6. *p.* 398. Lucas Tozzi *p.* 1. *medic. tit.*1. *de Partu n.* 40. Georg. Franch. de Franchenau *Satyr. Medic.*3. *n.*5. Stephanus, Sennertus, Le Bruyn, Vincelius, Poliſius, Hartmann. *& Alii.*
(b) Zacchias *t.* 2. *l.* 9. *tit.* 2. *q. unic. n.* 14. *& ſeq.*

Digitized by Google

ſarii tantâ ſunt ſocordiâ in providendo Fœtibus majoribus, ac nativitati jam proximis: quantâ credendum eſt eos laborare ſtultitia in eruendis minoribus?

Tertiò, quia quarto menſe nondum incepto Abortus frequentiſſimi ſunt, itant lethali ægritudine afflicta Mater ante obitum ſæpè Abortum faciat, atque adeo Partus Cæſarei neceſſitas evaneſcat. Nam fructus adhuc tenerrimi, atque floricomi ab Arbore nullo negotio decidunt; robuſtiores tenaciùs, ac firmiùs pediculo adhærent, uſquequò ſpontè ſuâ tandem exhibiant maturitatem adepti.

Quartò, quia ſæpè etiam vice verſa Divina Providentia Gravidas primis menſibus a morte præſervat in gratiam tenelli Fœtus: quem ſecùs Domeſtici perire ſinerent, ſectione prætermiſſa. Poſtremò: quia faciliùs revera Prægnantes a ſexto menſe ad finem graviditatis quam poſt hujus initia moriuntur: quamvis enim prægnatio effectus naturalis dicenda ſit, non verò morboſus; attamen Mulieres præſertim in principio, & fine divexat. Et quidem ſicut in principio mutato naturæ ſtatu, & œconomia Prægnantes variis incommodis afficiuntur; ita quò magis ad finem illa properat, eò magis earum valetudo, ac robur debilitatur, ac frangitur; eoque minùs illæ ſupervenienti morbo reſiſtunt: maximè cum non omnia remedia, ſcilicet ne Fœtui noceant, poſſint Gravidis exhiberi.

3. Hæc omnia in cauſa ſunt, cur numeroſiores videantur Cæſarei Defunctarum Partus ultimis graviditatis menſibus, quàm primis: at non ideo Parochi teneriores Fœtus negligere debent; imo erga eos peculiarem adhibere tenentur induſtriam propter hoc ipſum, quia nemo eſt, qui eorum extractionem ſollicitet. Cum cæteroqui ſi qui per ſectionem Cæſaream quæſiti ſunt; vivi non minùs ac robuſtiores inventi ſint.

4. Illud verò Zacchiæ non ſatis percipio, quomodo ſcilicet afferat, Auctores non loqui de Fœtibus, qui vivi ante nonum menſem extrahantur? cum contrarium pateat ex quæſtione per illos inſtituta de ſucceſſione Cæſonum. In qua quidem Juriſtæ ſequuti Medicos ita diſtinguunt: Si enim Cæſones naturali jam partui ſunt idonei (ſcilicet ſaltem ſeptimeſtres) & ita validi, ut vitæ diù retinendæ ſpem præſeferant; admittentur ad legata, & hæreditates tamquam verè nati, etſi tales grammaticè non ſint: ſecus nullo modo pro Natis habebuntur. In Hiſpaniis verò, Carranza, & Rainaudo teſtibus, (a) neceſſe eſt etiam eos, & Baptiſmum ſuſcepiſſe, & per viginti horas extractioni ſupervixiſſe.

5. Certè Obſtetrices omnes uno ore teſtantur, plurimos Abortivos circa 40. diem, imo & multò ante, uti ſuperiùs dictum eſt; ſeſe viventes oſtendere. Medici autem Scriptores non ſolùm ſupponunt poſſe Puerum etſi quinquemeſtrem, aut etiam quatrimeſtrem oriri vivum; ſed & quandoque adoleſcere, & ad maturam ætatem pervenire; idque Rejes, & Schenchius pluribus exemplis fusè comprobarunt: (b) imo quod magis omnino miraberis, hoc ipſum, quinto ſaltem elapſo menſe, quamquam velutì rarum, ipſemet Zacchias admittit: (c) auctoritate preſſus Rotæ Romanæ, Avicennæ, Cardani, Valleſii, Augenii, & Torreblanca: *Quibus*, inquit, *fidem derogare, cum magni alioquin, & veridici Viri extiterint, piaculum forſaſſe eſſet*. Cæterùm non deſunt recentiores hiſtoriæ Fœtuum minimorum, qui vivi Partu Cæſareo in lucem venerint: nam præter Monteregalenſes non paucos, (d) unus Neapoli quadrageſimoquarto a concepta die uti ſupra, (e) & alius Caltaniſſectę quadrageſimo, ut infra (f), educti ſunt.

6. At relatu digniſſimum cenſeo, quod mihi Marcellus Muſcella Vir clariſſimus, & Civitatis Sanctę Lucię nullius Dic-

(a) Carranza *lib. de Part. Natur. c.* 1. 5. 6. *n.* 14. Rainaud. *loc. cit. n.* 2.
(b) Rejes *Elyſ. Jucund. c.* 93. Schench. *t.* 2. *lib.* 4. *obſerv.* 181.
(c) Zacch. *t.* 1. *tit.* 2. *q.* 2. *a n.* 6.
(d) *Hoc lib.* 2. *c.*9. *in fine Relat.*
(e) *Hoc, lib.* 2. *c.* 5. *n.* 10.
(f) *C.* 9. *n.* 3.

Diœceſis Abbas, & Præſul ordinarius enarravit. Hoc opere perlecto præceperat ipſe Parochis, ut Partum Cęſareum Gravidarum pro re nata curarent. Cum ergo VIII. kal. Sept. 1745. Cęſarea Schepiſi Dominici Uxor occumberet; hæc ſe prægnantem eſſe patefecit: currere autem vigeſimum, vel vigeſimum primum graviditatis diem, ut ex nauſea carnium, ſolito ipſi geſtationis indicio, aliiſque adminiculis conjiciebat: ea igitur poſt mortem diſſecta, inventus eſt Fœtus pro temporis ratione formatus; caput nimirum habens, oculoſque bene diſtinctos, attamen in figuram conicam, pro ut hujuſmodi ętatis Embryones, deſinebat. (a) Illum ex motu jam animatum, & vivum Medici, & Presbyteri pręſentes judicarunt. Baptizatus eſt ergo; deindeque extinctus, cum Matre in Capuccinorum Eccleſia tumulatus. Rei novitas maximâ lętitiâ Civitatem affecit, & admiratione defixit; Populus verò optare ſe, ut in poſterum Partus Cęſareus Defunctarum pręgnantium in morem abiret prompto, & alacri animo proteſtatus eſt: quod & ſedulo factum: ipſis exinde Gravidis moribundis ultro expetentibus.

Complures hac de re ejuſdem Abbatis Epiſtolas habeo, inſuper teſtimonia juramento firmata Franciſci Mariæ Rizzo Parochi, & Protomedici egregii, qui Infantem baptizavit, Michaelis Angeli Sterrantini Chirurgi; qui Gravidam ſecuit; & Franciſci Merulla ejus adminiſtri. Hęc autem omnia vera eſſe, & in ſui pręſentia contigiſſe Rainerius de Raineriis Archidiaconus, & Vicarius Generalis ſubſcriptione ſua comprobavit, & authentica reddidit Kalendis Octobris 1745. Teſtatus eſt etiam mihi pluries Rainerius Protomedicum ex notatis conjecturis arbitratum reverâ Fœtum ad vigeſimum circiter diem pertinuiſſe, ut in Præſulis Epiſtolis affirmatur: quamvis in documento infra trigeſimum diem conſtitutum dicere ſatis ſibi duxerit: ne rem admirabilem oſtentare, & Legentibus velle obtrudere videretur.

7. Duo hìc objici poſſent: nimirùm vel Fœtum illum fortè rationali ſpiritu nondum animatum fuiſſe, vel majori ętate potitum, quàm tradatur.

At verò ſive ſpiritu rationali animatus fuerit, ſive non; certum tamen eſt, eum, etſi tenerrimum, a materno morbo non fuiſſe corruptum. Ubi enim quis diceret illum Anima ſentiente ſolùm, vel etiam ſimplici vegetante, juxta Ariſtotelicorum placita, informatum; ſi Matris infirmitas, & ſubinde mors, vitam ipſi non abſtulit, multò minùs eidem ad quadrageſimum diem perducto, magiſque roborato abſtuliſſet. Quamvis autem ex figura, & circumſtantiis longè veroſimilius ſit, Fœtum iſtum vigeſimum diem non prætergreſſum; ſupponamus nihilominus fuiſſe quadragenarium, & ſolùm ex errore in tempore graviditatis computando reputatum vicenarium; longè tamen diſtabat a nono menſe, quem Zacchias ad Matris inciſionem requirit. Inſuper admiſſo computationis errore, apertè conſequitur non multùm in diminuenda Embryonum ætate fidendum eſſe relationibus Gravidarum: nàm juxta objectionem Fœtus hic multò major fuiſſet, quàm Parentes crediderant: ſæpè ergo & vivi, & certò Animâ rationali jam præditi erunt Fœtus illi, qui per errorem perquam minuſculi reputantur.

8. Zacchiæ igitur opinio falſa eſt, attamen cum rationi aliquatenus innititur, quod ſcilicet Fœtus nono menſe minores adeo ſunt debiles, ut vix poſſint eſſe vitales: valebit quidem ad Partum Cæſareum quantocitiùs accelerandum, non tamen ad ipſum propter felicis eventus deſperationem omittendum. Fœtus enim quantumvis minimus, poterit ſaltem vitam retinere, quouſque eruatur, & baptizetur. Porro quoties ipſi miramur in Moribundis vitam in longum protrahi, licet mente aſſequi non valeamus, quomodo in tot anguſtiis, tantaque lucta perſiſtat? Videmus quoque in exanimi corpore viva diutiùs conſervari pleraque Inſecta, quorum vita exigui ſanè momenti eſt, & interim negabimus, Divinam Providentiam res humanas ita diſpoſuiſſe, ut multi ex minimis his Infantulis vivi remaneant, quantum ad eos extrahendos, baptizandoſque ſufficiat?

(a) Bianch. *figura 9. relata ſupra*, *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 12.

Digitized by Google

ciat? Cura profectò a Deo Creaturis ſuis ratione utentibus præ Irrationabilibus impenſa adeo præcellens eſt, ut comparatione facta, dicere non dubitarit Apoſtolus: (a) *Numquid de Bobus cura eſt Deo?*

CAPUT OCTAVUM.

Utrum incidendæ Prægnantes graviditate incipiente, vel ubi ea ſolitum tempus exceſſerit.

1. VERùm ſi probabile quidem eſt Embryonem primis diebus eſſe animatum, peccati mortalis damnabimuſne Parochum, qui negligeret Matrem principio graviditatis mortuam diſſecari? Et ex ratione, ac verbis Florentinii alibi allatis (b) videretur affirmandum: ſi enim Parocho ſatagendum eſt, ut innumeræ Prægnantes, quarum graviditas in longum proceſſerat, incidantur; quare illas exeipiemus, quæ ſub initium graviditatis intereunt? Præterquam quod cum caſus iſte ſit rarus, parum oneris Parocho videtur accedere, ſi tot Gravidis abſque dubio ſecandis unam, vel alteram prægnationis initio deficientem ſuperaddamus. At nihilominus reſpondeo me in praxi neminem ad Partum Cæſareum ſub graviditatis exordiis obligare.

2. Et primò, quia conceptio uſque ad quadrageſimum diem dubia eſſe conſuevit, adeout in innumeros errores Medici, & Obſtetrices, ipſis ultro fatentibus, prolabantur. Non enim certum ſignum, uti Zacchias docuit, (c) haberi ſolet: imo ipſæ Mulieres ante menſem rarò aliquid circa propriam graviditatem indubitanter affirmant, exceptis, quæ pluries illam expertæ ſint, & hæ quoque fallibiliter: non enim prægnationis indicia, cognitu cæteroqui difficillima, ſemper exactè adnotarunt.

Secundò admiſſa etiam tamquam certa prægnatione; remanet adhuc dubium utrum Fœtus animatus fuerit, an non: & utrum ad animationem neceſſe ſit eſſe completum, atque perfectum, quod circa quadrageſimum ſanè contingit.

Tertiò etiam ſi ſupponeremus primis temporibus animationem fieri: dubium tamen eſſet, utrum Genitrice mortua vivus remanſerit adhuc Fœtus: cum enim ſit adeo tener, ac delicatus facillimè potuit maternum morbum contrahere, illoque etiam ante Matris obitum corrumpi: & hæc eſt cauſa, propter quam Gravidæ lethaliter infirmæ, præſertim ſub his initiis, antequam vitâ decedant ſæpiſſimè abortant.

Quartò primis diebus incertus eſt etiam locus, ubi Fœtus exiſtit: ſcilicet utrum jam in uterum deſcenderit, an adhuc ſit in tuba, vel in ovario; ac propterea minùs faeiliter invenitur.

Quintò dubitandum eſt utrum in graviditatibus infamibus, & occultis Mulieres inciſioni, licet poſt mortem faciendæ, aſſentirentur: prudentia autem prohibet, ne Morientium conſcientiæ laqueos liberiùs injiciamus: timendum eſt enim ne dum Fœtus Animam liberare cupimus, Matris Animam incautè perdamus: imo & ejus etiam Propinquorum, qui tot, tantiſque dubiis perturbati, Parochum odio haberent, atque deteſtarentur: periculum quoque ſubeſſet, ne hac occaſione ingentia alia mala ſubinde provenirent.

3. Porro ſi Prægnans ipſa Partum Cæſareum ſpontè mandaſſet, vel Conſanguinei poſtularent; poterit in praxim ſine aliqua dubitatione deduci, maximè a vigeſimo die graviditatis, & ultra: optarem verò, ut inciſiones primis diebus graviditatis in Noſocomiis fierent, ut

(a) 1. *Cor.* 9. 10.
(b) *Supra lib.* 1. *c.* 10. *n.* 5.
(c) Zacch. *t.* 1. *l.* 1. *tit.* 2. *q.* 1. & 2.

ut ita variis obſervationibus hujuſmodi res pleniùs illuſtrarentur. Cæterùm ſicuti in Abortibus conditionato Baptiſmo liberè utimur favore Fœtuum, quantulumcumque minimorum: quia nihil inde metuendum eſſet abſurdum: ita ubi de Partu Cæſareo ſermo ſit; uſquequo Deus rem clariori luce non affundat, ac aliud Eccleſia non præcipiat, curandæ inciſionis obligatio ante quadrageſimum diem imponenda non erit: rationes enim huc uſque allatæ ſpernendæ non ſunt: itant ad ſummum quis opinari poſſet illam a vigeſimo geſtationis urgendam.

4. At ſi contra graviditas nonimeſtre ſpatium magno intervallo ſit prætergreſſa, non propterea, mortua Prægnante, Partus Cæſareus omittendus eſt. Tardè enim quandoque ſtructuram Fœtus natura molitur: ipſe etiam interdum in utero ſatis capaci commorans, alimento abundans, & ab excrementorum propriorum copia non moleſtatus egreſſum ſuum non ſollicitat. Medici Montepeſſulani referunt graviditatem aliquando uſque ad menſem duodecimum, vel decimumſextum, aut vigeſimumquartum protractum. Schenchius multa recitat prægnationum exempla, quæ ad menſes 13. 15. 23. & 24. imo & ad quatuor annos perdurarunt: (a) quamquam hoc ultimum non admittat Mercurialis: (b) ſaltem Prægnantes facili negotio in temporum ſupputatione decipiuntur. Hippocrates, & Ariſtoteles adnotarunt flatus Mulieribus ſæpè illudere, graviditatem ſimulantes, multò antequam illæ reverà concipiant: quocirca poſtea veram, recentemque prægnationem antiquiorem arbitrantur. Itaque ſi ea conſuetos terminos præterlabitur; non ideo morbus exiſtimanda eſt. Bouchardus, & ex eo Bonetus narrat (c) repertum præterito ſæculo in ventre Fœtum mortuum, ac penitùs incorruptum poſt ſexdecim geſtationis annos: alium dant memoriæ Academiæ Chirurgicæ Pariſienſis poſt quadraginta ſex annos incorruptum, & integrum: (d) & quamvis indubitatum ſit, nequaquam eos tanto ſpatio vivos permanſiſſe; attamen quo tempore verè mortui fuerint, qui tamdiù ſervari abſque corruptione potuerunt; quis unquam divinabit? Quis Naturæ arcana comprehendere ſe poſſe gloriabitur?

CAPUT NONUM.

Raró Fœtus mortuos inveniri.

1. SATIS uſque adhuc oſtendimus vivos poſſe reperiri Fœtus multò etiam prolapſo tempore ab interitu Gravidarum. Addendum hìc experientià teſte, eos, contra quam ſibi perſuaſerat Riolanus, (e) ut plurimùm vivos, raró tamen mortuos educi, nimirum ſi tempus inutiliter non teratur. Ad hoc evincendum, ante omnia Ignatii Amati Chirurgi Monteregalenſis relationem ad me tranſmiſſam de Partubus Cæſareis a ſe factis excribam: ea igitur, in qua plerumque ſub maſculino genere utriuſque ſexus Infantes indicantur; ita ſe habet:

Francisco Emmanueli Cangiamila
Ignatius Amatus Chirurgus S. P. D.
Mitto tibi Reverende Pater diſtinctam Prægnantium a me diſſectarum adnotationem, quibus nonnullas a Collegis meis inciſas adjunxi. Ex hac porro intelligi poteſt, quàm falſum ſit, Fœtus nonniſi ultimo graviditatis menſe vivos inveniri. Equidem fateor, me ad paucas numero Prægnantes ante quintum menſem mortuas accitum: ſed ubi opera mea requiſita eſt, Fa-

(a) Schench. *t. 2. l. 4. de Fœtib. ab obſerv.* 155. *ad* 160.
(b) Mercurial. *conſult.* 85.
(c) Bonet. *Medic. Septentr. t. 2. lib. 4. de Mulier. affect. ſect. 6. obſerv.* 10.
(d) Memor. *Acad. Reg. Chirurg. t. 2. in Hiſt. Acad. fol.* 2.
(e) Riolan. Antrophol. *l.* 6. *c.* 8.

Fœtum ſemper deprehendi viventem: quocirca in ea ſum ſententia, me vivos etiam alios ſuiſſe inventurum. At in iſto negotio Propinqui non adeo ſunt diligentes, ac perſpicaces. Parochi verò facilè primorum menſium graviditatem ignorant. Perquam igitur neceſſarium eſſet, ut ipſi occaſione miniſtrationis extremorum Sacramentorum, Mulieres, quæ prægnantes eſſe poſſint, de graviditate ſciſcitarentur. Illud autem notatu digniſſimum reputo: me nempe in tot inciſionibus, tametſi non omnibus illico poſt Matris fatum peractis; nullum uſque modo Infantem vidiſſe præmortuum: atque idipſum ſimiliter Chirurgo Corleonenſi in tredecim circiter inciſionibus ab eo factis contigiſſe. Verùm ſi in alio tibi me obſequi neceſſarium duxeris liberrimè præcipias, velim: nam præter voluptatem, qua in mandatis tuis exequendis afficior: ut etiam ipſe ad Animarum ſalutem aliquid conferre valeam, ardenter exopto. Itaque ſacras tibi manus oſculatus, me tuum perpetuò, ſtudioſiſſimèque profiteor.

Monteregali Idibus Maii 1744.

2. Gravidarum ſeries quas ego Ignatius Amatus, vel Collegæ mei Monteregali, eique adjacentibus campis diſſecuimus: cum duratione prægnationis, nomine Baptizantis, ac tempore, quo Fœtus extractioni ſupervixerunt.

I. Tertio Nonas Novembris 1719. Margarita Bruno Uxor Franciſci, ſeptimeſtris. Canonicus Parochus D. Franciſcus Turdo baptizavit Infantem, qui vixit per horam circiter.

II. Decimo nono Kalendas Septembris 1724. Antonia Monte, ſeu Vignuzza Uxor Joſephi, ſemeſtris. Canonicus D. Joſeph Falcus baptizavit Puellam, quæ vixit per horæ quadrantem.

III. Octavo Kal. Octob. 1724. Anna Maria Calcagno Uxor Joſephi, ſeptimeſtris. Idem Canonicus Falcus baptizavit Fœtum, qui poſt quadrantem extinctus eſt.

IV. Tertio Nonas Martii 1725. Auguſtina Smiriglio Uxor Damiani, quinquemeſtris. Idem Canonicus Falcus Infantem baptizavit, qui per quadrantem in vita permanſit.

V. Octavo Idus Octobris 1725. Sancta Agnelli Uxor Jacobi, octimeſtris. Antedictus Canonicus Turdus baptizavit Fœtum, qui vixit horas quinque cum quadrante.

VI. Decimooctavo Kalendas Februarii 1728. Antonina Minì Uxor Antonini, octimeſtris. Idem Canonicus Turdus baptizavit Puerum, qui vixit parumper.

VII. Quinto Idus Novembris 1728. Roſalia Mariſcalca Uxor Joannis, quinquemeſtris, vel ſemeſtris. Canonicus D. Dominicus Pupella baptizavit Fœtum, qui paululùm vixit.

VIII. Sexto Kalendas Maji 1730. Julia Demetrii Uxor Joſephi, trimeſtris, quaſi poſt horæ ſpatium a morte inciſa. D. Franciſcus Emmanuel Cangiamila, inde Archipresbyter Palmenſis baptizavit Infantulum, cujus vita non ultra quadrantem duravit.

IX. Octavo Kalendas Decembris 1733. Laurea Auguſtini Uxor Iſidori, ſemeſtris circiter. Canonicus D. Xaverius Colelli baptizavit Puerulum, qui vixit horæ dimidium.

X. Octavo Idus Auguſti 1734. Heleonora Li Manni Uxor Antonii, nonimeſtris. Prædictus Canonicus Turdus baptizavit Fœtum, qui aliquantulùm vixit.

XI. Quarto Nonas Octobris 1734. In Pago Parci propè Montemregalem Vincentia Græco Uxor Nuntii, tertio menſe cum paucis diebus tranſacto. Magiſter Antonius Paruta Prior Ciſtercienſis baptizavit Infantem, qui vixit duabus horis.

XII. Eodem die quarto Nonas Octobris 1734. Vincentia Vetrano Uxor Franciſci, ſeptimeſtris. Canonicus D. Laurentius Carolinus baptizavit Infantem, qui vixit paululum.

XIII. Eodem die quarto Nonas Octobris 1734. Illuſtris D. Joſepha Graſſeo Uxor Marchionis de Mira il Rio, ſemeſtris, inciſa fuit a D. Joſepho Calafato, me præſente. Canonicus D. Xaverius Colelli baptizavit Fœtum, qui vixit non nihil.

XIV. Eodem die quarto Nonas Octobris 1734. Roſaria a Judice Uxor Bartholomæi, nonimeſtris, inciſa a Doctore D. Hippolyto Pagnotta. Sacerdos D. Philippus Seggio baptizavit Infantem, qui vixit paululum.

XV. Septimo Kalendas Martii 1736.

L Ro-

Roſaria Biondo Uxor Georgii, nonimeſtris. Canonicus D. Dominicus Pupella baptizavit Puerulum, qui paulò poſt obiit.

XVI. *Quarto Idus Januarii 1739. Joanna Daidone Uxor Petri, ſeptimeſtris. Canonicus D. Antoninus Coſtarellus baptizavit Infantem, qui vixit horis quaſi duabus.*

XVII. *Decimo octavo Kalendas Octobris 1741. Agata Lonrelli Uxor Pauli, quinquemeſtris, a prædicto Doctore Pagnotto, me præſente, quaſi poſt quinque dies, quibus egerat Animam, inciſa. Sacerdos D. Franciſcus Maraunt baptizavit Puerculum, hujus vitâ per horæ quadrantem prorogatâ.*

XVIII. ....1722. *N. N. ſeptimeſtris. Canonicus Parochus D. Albertus Carolinus baptizavit Puerum, per quadrantem deinde ſuperſtitem.*

XIX. *Decimo nono Kalendas Septembris 1743. Roſaria Bracco Uxor Dominici, octimeſtris. Prædictus Canonicus Tardus baptizavit Fœtum, cujus vita quadrantis terminum non exceſſit.*

XX. *Tertio Nonas Septembris 1743. Anna Ribaudo Uxor Petri, Octimeſtris, fulmine in campis propè Montemregalem percuſſa, & poſt tres horas cum dimidia inciſa. Sacerdos D. Emmonuel ...... Panormitanus baptizavit Infantem, qui dimidia circiter hora ſupervixit.*

XXI. .... *N. N. trimeſtris circiter. Canonicus D. Dominicus Pupella Infantulum baptizavit, qui paulò poſt migravit e vita. Cæterùm etſi de hujuſmodi minimis Infantulis plures invenerim vivos, non tamen adnotavi. Hi baptizati, & in Matris utero a me repoſiti, & inſuti, unà cum ea ſepulti ſunt.*

Monsregalis etſi Civitas Archiepiſcopalis, Ruſticis computatis, numerum circiter novem millium Animarum non ſuperat: nihilominus paucis annis tot ibi factæ inciſiones, præter eas, quæ hìc non deſcribuntur: imo uti ex numero undecimo, duodecimo, decimo tertio, & decimo quarto videre licet, quatuor uno die contigerunt, ea nimirùm computata, quæ Parci vicino in Pago peracta eſt. Quid ergo de illorum Parochorum diligentiâ judicandum, qui dicunt in ſuis Civitatibus, vel Oppidis nunquam ſibi occurriſſe? rondi Cæſarei Partus neceſſitatem occurriſſe? O Parochos verè fortunatiſſimos, quos Cœleſte Numen a tanta ſollicitudine exemit. Huc uſque Amatus. Qui poſt evulgatum hunc Librum mihi enarravit, ſe non multò poſt aliam ſecuiſſe Gravidam quinquemeſtrem, Antoniam nempe Venturellam Uxorem Petri, Sacerdotem verò D. Caſtrenſem Coſta Puerculum baptizaſſe.

Monendum hìc tamen cenſeo Fœtum a me baptizatum, de quo numero octavo fit mentio, multò minorem fuiſſe Fœtu illo trium menſium, totidemque hebdommadarum, quem dedit Bianchius numero ſuo decimo ſexto. Itemque me olim Parcum, & Montemregalem adiiſſe, ut præſens inciſiones numero undecimo, & vigeſimo-primo locatas diſcuterem. Putaſſe tamen earum Fœtus bimeſtribus minores, quod poſſet ex Bianchi decima quinta figura, & ex aliis Fœtibus a Bidlòo, atque Gaſſendo relatis confirmari.

2. Chirurgus autem Corleonenſis, de quo in Epiſtola, Doctor eſt Joſeph Ciminus, qui humaniſſimis ad me decimo octavo Kalendas Decembris 1744. datis litteris teſtatus eſt, ſe tredecim inciſiones uſque ad eum diem perfeciſſe; eaſque omnes viventibus adhuc Fœtibus feliciſſimas. Nihilominus quinque dumtaxat cum circumſtantiis expoſuit: in quibus tamen & octimeſtres, & ſeptimeſtres, & quinquemeſtres inveniuntur.

3. At poſt primam hujus Libri editionem Petrus Cummaranus Presbyter Caltaniſſectenſis, cujus ſupra meminimus, quique zelo Puerorum nonnatorum ab ipſa juventute fervebat; hæc mihi die tertio decimo kalendas Septembris 1748. ſignificavit.

I. Caltaniſſectæ Partum Cæſareum ab antiquo in moribus eſſe: ac propterea Mulieres ipſum nullo modo abhorrere.

II. Se ab A. 1704. ſcilicet ante quadraginta quatuor annos, Partus Cæſareos Caltaniſſectæ ſolerter procuraſſe, & calumnias ab Æmulo ſibi ea occaſione intentatas, Anſelmo la Pegna Epiſcopo Agrigentino protegente, & hortante, ſuperaſſe, imo ſprevisse.

III. Sexaginta Partus Cæſareos a ſe promotos: ex his quinque tantùm, vel

ad

ad ſummum ſex, Fœtibus ante demortuis, feſelliſſe.

IV. Ex omni ætate vivos reperiſſe Fœtus, in his verò unum, qui quadrageſimum diem non excedebat.

V. Demùm inventionem narrat viventis Pueruli, de quo ſupra (*a*) poſt horam octavam ſupra quadrageſimam a Prægnantis occiſione.

4. Conſonat hæc relatio alteri ab Henrico Ricca Victoriæ Archipresbytero, & Siculorum Parochorum ornamento, mihi communicatæ. Victoria Civitas eſt Syracuſanæ Diœceſis, ſeptem millibus Habitatoribus frequens: ibi a ſexto kalendas Octobris 1734. ad ſeptimum Idus Septembris 1752. viginti Partus Cæſarei viſi ſunt: in his ſexdecim Parvuli quos inter duo Gemelli vivi omnes extracti, ac baptizati. Alius vivebat adhuc poſt Matris mortem, at propter Tonſoris incidentis, & rem extricare non valentis imperitiam interea defunctus baptizari non potuit. Quatuor verò dumtaxat mortui, ex maligna epidemia Matribus ſuis pernicioſâ.

5. Item Sambucæ Diœceſis Agrigentinæ Oppido ferè decem millium Animarum, novem annorum ſpatio, Marianus Panepinto egregio loci Parocho teſtante, viginti duo Gravidæ occubuerunt; ex totidem Infantibus inciſione erutis decem & octo vivi reperti, & baptizati: tres multò antea, quàm Mater, obierant: & reverà jam corrupti cernebantur, & peſſimè olebant. Alius utero diſciſſo non comparuit, poſtea tamen exanimis ſub lecti operimentis inventus eſt: itaque vivum veriſimiliter in poſtremo Genitricis agone ortum ſtragulæ ſuffocarunt.

C A P U T D E C I M U M.

Philoſophicè oſtenditur Fœtum Gravidæ morienti non præmori.

1. FŒTUM Genitrici præmoriturum ex eo Nonnulli cum Sanchez (*b*) putaverunt, quòd eidem maternus morbus neceſſariò communicetur. At hanc morbi communicationem fieri ſemper, morbumque in æquali gradu Filium, ac Matrem inficere, a veritate eſt alienum. Etenim ſi Prægnans aneuriſmate, vel apoplexia ex vaſorum ruptura perimitur: quid hæc ad Fœtum? Item ſi pleuritide, peripneumonià, aut veſicæ, aliorumque viſcerum inflammatione: aut internis ulceribus, abſceſſibus, ac ſimilibus affligatur; non propterea iiſdem malis vexabitur Infans. Quod ſi vitium exiſtat in liquidis; fateor in Puerum facillimè traduci, maximè ſi mutua detur ſanguinis inter Fœtum, & Matrem derivatio, & permixtio, ac alterna per utriuſque vaſa circulatio, quam tamen plerique negant. At circumeat, ut placet; ex hoc non ſequitur humores neceſſariò Fœtui tantùm damni allaturos, quantùm Genitrici intulerunt: nam, ut videmus in Natis, ſanguis quantumvis vitiatus, qui pravâ ſuâ qualitate in aliqua noſtri corporis parte ſolidi morbum induxit: etſi totum circumeat corpus; non ideo ſimilem ubique morbum ingenerat: non enim loci ſunt æquè diſpoſiti. Imo, quod magis notandum eſt, ſæpiſſimè liquida firmiores, atque robuſtiores lædunt ipſius corporis partes, debilioribus, ac delicatioribus interea prorſus intactis.

2. Decumbunt nec rarò duo eodem die, eadem febri, quamquam peſtilentiali, iiſdemque urgentur ſymptomatibus. Sorbent alii idem venenum, æquali doſi, ac iiſdem remediis uterque munitur: & tamen alter ex his, vel illis ſaluti reſtituitur, dum alter occumbit: quod ſi ambo deficiant, ob circumſtantias tamen perſonales planè diverſas non eodem temporis momento extinguuntur. Porro circumſtantiæ Matris, & Fœtus interdum toto Cœlo diſtabunt: eſt quidem Fœtus tenerior, at non propterea magis a peccante humore contami-

(a) *L. 2. c. 5. n. 7.*
(b) Sanchez *de Matr. l. 9. diſp. 20. n. 17. & 18.*

Digitized by Google

nari neceſſe eſt: maximè cum multis ille naturæ privilegiis gaudeat, quæ Matri denegantur.

3. Porrò Fœtus aeris, tempeſtatiſque moleſtiæ non eodem modo, quo Mater ſubjicitur: uſus alimentorum in eo exactiſſimus, & caſtigatiſſimus: nullos ipſe admittit errores, in quos Nati, vel ob arbitrii libertatem, vel ob morbi impatientiam prolabuntur. Liber ab animi paſſionibus, vitâ ſolùm vivit animali, & in omnibus a natura, quæ deviare non poteſt, perpetuâ directione movetur. Cibus, quo alitur, ad eum valdè ſubactus, præparatus, & propemodum digeſtus deducitur: quare, ut Anatomici adnotarunt, cum vix egerat excrementa; præcipua illius excretoria, præterquam in extrema neceſſitate, otiantur. Sanguis inſuper, qui fortè a Matre in ipſum derivatur, antequam ad vitalia ejus organa perveniat, per placentam primò, deinde per vaſa umbilicalia permeando depuratur. Præterea membranas habet, in quas morbificum venenum, amandare, ac deponere conſuevit.

Addatur his, flammulam, ut ita dicam, ejus vitæ eſſe vivaciorem, ejuſque ſpiritus alacriores. Nihil ipſe perfecti, ac nobilis, quod a principio cum ſemine ſibi transmiſſum fuit, quodque jam Natis in dies ad ſenectam, & mortem uſque minuitur, hactenus amiſit: & nihilominus liquidorum motus in ipſo tardior, ac lenior eſt: cum ob defectum præſertim aeris exterioris minor in eo ſit fermentatio, & minor agitatio.

4. Licet igitur poſſit Infans e vivis cum Matre ſimul proficiſci, vel eamdem præcedere; attamen regulariter illi ſuperſtitem obſervamus. Quod ex innumeris exemplis clariſſimè demonſtravi, in quibus quamplurimi Fœtus per notabile temporis ſpatium poſt Baptiſmum vivi perſtitere: quamquam plerique nimis immaturi, & exteriori aeri expoſiti aliquid inde nocumenti neceſſariò ſubierint: etſi etiam nemo eos foverit, aut quoquomodo recreaverit. Eadem ipſe in pluribus, me præcipiente, extractis Infantibus perſpexi, quamvis diverſo lethi genere Matres obiiſſent, uno ſcilicet dempto, cujus Genitricis occiſio nonniſi poſt duodecim horas innotuerat: quo caſu objectio Sanchez, quæ in Gravidis interno morbo, non autem externa vi pereuntibus dumtaxat locum habet, aptari non poſſet. Imo Sanchezii opinio neque in ipſis Fœtibus tertio menſe minoribus, etſi tam exilibus, vera credenda eſt: præſertim ſi jam completi ſint, nimirùm circa quadrageſimum diem: innumeræ namque Fœminæ tertio, ſecundo, vel etiam primo geſtationis menſe ad extremum vitæ a febribus malignis, mortalibus, venenatis adactæ, ac deinde ſanitati redditæ, gravidæ nihilominus remanſerunt, ac tempore debito Fœtum optimè valentem ediderunt. Cum igitur poſſit ad extremum uſque Genitricis cum morte luctamen vitam retinere Puerulus: quare non poterit aliquanto diutiùs vivere, quoad, illâ jam Defunctâ, protinus extrahatur, & baptizetur? Nec mihi reſpondeas Matris, & Fœtus liberationem in caſibus antedictis, nonniſi medicamentis Matri datis adſcribendam: nam quod iſta efficere valent, plerumque ſola Natura, & ſi majori cum difficultate, præſtare potis eſt. Porrò quot Prægnantes ob egeſtatem congruis præſidiis caruerunt? Quot ea cum haberent, obſtinatiſſimè reſpuerunt? Quot etiam accipere nequiverunt lethargo, vel phrenitide miſerabiliter impeditæ? Quot aliis errore Medicorum remedia ſalutaria denegata, & propinata nociva? Et nihilominus tum ipſæ, tum Fœtus, etiam tenerrimi, prorſus incolumes evaſerunt.

5. Cæterùm, & ſi ſupponeremus metum, & ſpem de mortuo, vel vivo Fœtu inveniendo, invicem collatas videri pares, & exitum ancipitem; bonum æternæ ſalutis Filioli eſt ordinis tantò ſuperioris præ vita Matris corporali; ut cum ea æquis lancibus libratum, mirum quàm longè præponderet. Profectò in alio dubio, an Fœtus videlicet ſit animatus, præcipiunt Doctores, Matrem ab omni eo, quod Fœtui nocere valeat, eodem modo abſtinere, ac ſi certò illum animatum eſſe ſciretur. Quanto magis ergo ubi dubitatio animationem non reſpicit, ſed illâ ſuppoſitâ, ſolummodo incerti ſumus, utrum Fœtus poſt animationem

Digitized by Google

nem obierit, vel etiam antequam poſſit baptizari, ſit obiturus? Hic enim apertè poſſeſſio ſtat pro Infantuli vita, quæ propter hucuſque dicta in ipſius favorem omnino erit præſumenda.

CAPUT UNDECIMUM.

Ex ſtatu Fœtus in utero oſtenditur, eum unà cum Matre ob defectum reſpirationis non extingui.

1. INventus quidem ſuprà Caſtrum, & Varandæum ſcripſiſſe, nonnatos Infantes, Matre mortua, unà ſimul interire; quod ab ea motum, alimentum, inſpirationem, & omnia mutuentur. Oportet ergo ad eos refellendos, quæ ſit vita Fœtus in utero ex anatomicis obſervationibus magis, quàm ex ratiocinio, deſumere, atque deſcribere.

2. Sciendum igitur, Embryonem duas inter membranas gradatim efformari, quarum prima exterior, & craſſior Chorion, ſecunda interior, & delicatior, in qua ille ſedem habet, Amnios appellatur. Nihil hic differendum de membrana Allentoyde, quæ in Animalibus Ruminantibus & Cornigeris inſpicitur. Habent iſta Vracum, ſeu Caniculum in ipſo umbilicali funiculo, qui tamen inter Amnium, & Chorion in quemdam expanditur, veluti ſaccum, Allentoydes dictum, & ab Heiſtero illuſtratum: qui ſaccus ad recipiendam urinæ fœtus portionem, toti enim veſica non ſatis eſſet, inſervit. Equidem ſcio aliquos etiam accuratiſſimos noſtri temporis Anatomicos: puta Joannem Munnicks, Van Horne, Graàs, Littre, & Bidlòo, quos Taurri ſequitur clari nominis vir, in humano Fœtu Allentoydem ſeſe obſervaſſe narrantes. Mangetus (a) quoque eam pluries Genevæ comperiſſe teſtatur, liquore plenam, ab eo, qui in Amnio reſidet, diſſimili, quem Allentoydis liquorem ipſe urinam putavit. Alii verò cum Drelincurtio, & Aldeſio membranam illam nequaquam dari in Homine docuerunt, quibus concinit Chriſtophorus JacobusTrovv in erudito, quem Norimbergæ A. 1736. edidit, Libro de differentiis inter Hominem natum, & naſcendum. Hic ex propriis experimentis concedit quidem vracum, eumque deſcribit veluti corpus rotundum, conicum, craſſitie calami palearis, & in acum tenuiſſimum deſinens: at addit ſe neſcire utrum per illud humor aliquis meare valeat: ejuſque uſum a natura intentum, neque ratiocinio, neque experimentis conjici uſque modo potuiſſe. Ne igitur falſitatis tam inſignes Anatomicos, Allentoydem adſtruentes, vel negantes, arguamus; dicendum: Naturam quandoque ludere, & ab ordinario curſu deflectere: itaut duo peritiſſimi Obſervatores contraria interdum ſine alterutrius mendacio aſſeverent. Quidquid igitur ſit de Allentoyde; Chorioni adnaſcitur Placenta, ſubſtantia glandulosa, vel potiùs ut Ruyſchio, aliiſque Recentioribus placet, vaſculoſa, & chyloſo liquore abundans, a Veteribus Hepar uterinum appellata, quæ poſtquam Embryo penè formationem adeptus eſt; utero adnectitur. Hæc ab ipſo initio eum ovo congenita, in hujus cortice reperitur, creſcit autem ſanguine per vaſa umbilicalia Fœtus ad extremitatem Chorii propagato, ibidemque coagulato. In ea implantatæ conſpiciuntur vena, & arteriæ umbilicales, e quibus arteriis copioſi per Chorion, & Amnion rami derivantur, qui tandem verſus cavum ab eiſdem membranis efformatum, & humore limpido, & lactiginoſo plenum, cujus eſt veluti receptaculum, aperiuntur.

3. His præjactis, ratio, qua Vulgo creditum eſt, Prægnante mortua, Infantem ſubitò interiturum; ea ſanè profertur, quia, Matre non reſpirante, videtur etiam Filiolo ſpiritus intercipi: itaut ne-

(a) Manget. *Theatr. Anatom. l. 2. p. 2. c. 3. in Obſervat. ad Drelincurt. n.* 49.

Digitized by Google

neceſſariò ſit ille extinguendus: quare Nonnulli fiſtulam arnndineam, reciſis nodis, parare feſtinant: eamque ſtatim ori defunctæ Matris immittere, ut ipſo patulo manente, aer liberè introire, Fœtuſque reſpirationem proſequi poſſit.

Utut ſit, certum eſt defectum hujuſmodi reſpirationis Fœtui mortem non inferre. Etenim ille dum adhuc in utero vivit, ad ſanguinis circuitum, contra quam in Natis accidat, reſpiratione non indiget: neqne inter Fœtnm, & organa, quæ reſpirationi Matris inſerviunt, vera intercedit communicatio. Profectò Placenta duplici munere fungitur, primum eſt antedictæ ſubſtantiæ lactiginoſæ partem ſorbere, eamque cum ſanguine ab arteriis Fœtus umbilicalibus allato miſcere, ut ipſam eum eodem ſanguine ad cor demum redeunte tranſmittat. Aliud, ab Antiquis ignoratum, at ex Majovv, & Ettmullero maximè ſpectandum, eſt vicea implere Pulmonum: idem enim præſtat in Nonnatis miniſterium, ac Pulmones in Natis: quare dicitur etiam Pulmo uterinus. Et quidem cum plena ſit albicante ſucco, particulis nitroaeris referto; iſtæ illius nitri abſentiam ſupplent, qui cum aere media reſpiratione ingredi deberet in corpus: ac ſanguinem probè attenuant, & incidunt: ac multo magis quia Placenta ipſa organum abſque dubio eſt circulationi ſanguinis deſtinatum, quo Fœtus inſtructus reſpiratione non eget, ſine qua vitam Nati vix ad breviſſimnm tempus retinerent. Quod ut clariùs intelligatur, oportet ſyſtema circulationis ſanguinis, primò in Natis, deinde etiam in Nonnatis brevi delibare.

4. Priſci reſpirationem Homini neceſſariam ad Cordis refrigerationem, Pulmoneſque veluti flabella, putarunt. Deprehenſum verò tandem eos appellandos eſſe potiùs ſolles: præcipuum enim ipſorum munus in Natis eſt, motum ſanguinis perpetuum, & conſequenter naturalem calorem promovere. (a) Admittebant ſine dubio Veteres motum in hoc liquorum nobiliſſimo, at ſimplicis fluctuationis ad maris utique ſimilitudinem: ſed errorem iſtum nupera experimenta undeqnaque exploſerunt: pateſactum eſt enim, ſanguinem per totum corpus fluminum inſtar perenni fluxu circuire. Harvèus, qni cum Coringio novum hoc ſyſtema evulgavit, principio ipſius Auctor eſt habitus: poſtmodum verò detectum eſt, Paulum Sarpi Venetum Servitam, manuſcriptum in Biblioteca Sancti Marci librum reliquiſſe, ubi circulationem ſanguinis, olim quidem a Columbo, & Arantio ſubodoratam, & a Ceſalpino confirmatam, demonſtrabat: ejuſque operis exemplum Harveo Hieronymum Fabritium ab Aqnapendente (b) miſiſſe.

5. Profectò Recentiores experimentis, & rationibus edocti ſentiunt communiſſimè, Plantas ipſas ſucci nutritii circulatione vigere, qui eis pro ſanguine eſt: gaudere etiam juxta Malpighium propria inſpiratione, & reſpiratione tum trachæarum, & fiſtularum lignearum miniſterio, tnm etiam vaſorum ſpiralium, & pororum in frondibus. Idipſum a fortiori de cunctis Animalibus venit aſſerendum: etſi enim Piſcibus Ariſtoteles reſpirationem negaverit; attamen Plinius, (c) quem multi ſequuntur ætatis noſtræ Philoſophi, etiam ipſos tradidit per branchiarum organa reſpirare, quibns ad ſe, aquam ſimul, & aerem attrahunt, (d) deinde rejecturi.

6. Sanguis ergo non ſolùm agitatur, ut aqua in lacnbus, aut mari, ſed motu progreſſionis, & æquabili per totum corpus excurrit, venis illud, arteriiſque irrigans, & inundans fluminum inſtar, quæ deinde ad locum unde exeunt, revertuntur, ut iterum fluant. (e) Quo magis etiam clareſcit inter Mundnm parvum, & magnum admirabilis analogia: Et qnidem ſanguis a peripheria ad centrum,

(a) Pitcarn. *de cauſ. diu. mol.*
(b) Theodor. Zuinger. *Comp. Medic. univ. in Phyſiolog. c.* 11. *n.* 13.
Purchot. *p.* 3. *Phyſic. ſect.* 4. *c.* 1. Corſin. *t.* 4. *tract.* 2. *diſp.* 3. *c.* 5. *n.* 4.
(c) Plin. *Hiſt. natur. l.* 9. *c.* 7.
(d) Purchot. *p.* 3. *Phyſic. ſect.* 2. *c.* 3.
(e) Eccl. 1. 7.

trum, & a centro movetur ad peripheriam: imo potiùs ab omnibus humani corporis partibus ad unum Cor magis, magiſque perficiendus regulari greſſu contendit; & viciſſim ab uno Corde ad omnes ejuſdem corporis partes auctus perfectione revertitur. Sicuti autem ex rivis dilabentibus, & ſubinde inter ſe unitis minora flumina, ex his verò collatis aquis majora coaleſcunt: ita ſanguinis venulæ ab unaquaque corporis parte profectæ, aliiſque conſimilibus in decurſu conjunctæ in venas poſtremò convertuntur. Totus igitur ſanguis ex toto corpore ad venam cavam, quæ maxima eſt, tandem aliquando pertingit. Porro qui a ſuperioribus regionibus, tamquam a ſcaturigine profluit; in venæ cavæ ſuperiorem truncum, ſeu deſcendentem ingreditur: & e contra qui ab inferioribus regionibus venit, per ejuſdem venæ truncum inferiorem, ſive aſcendentem infertur. Ex vena igitur cava in dexteram Cordis auriculam irruit, & inde in ventriculum ſimiliter dexterum: ex eo media Pulmonari arteria ad Pulmones uſque commigrat, atque per illos diſpergitur, novam ibi perfectionem acquiſiturus. Verumtamen propter ingentem ſui copiam, & canalium anguſtias ad Cor iterum remeare nequiret, ſed cum irreparabili, & ſubitâ Hominis morte ſubſiſteret; niſi Pulmones per aeris, media reſpiratione, preſſionem, cito eum tamquam duo torcularia exprimendó, ſeſe illo exhonerarent; cumque quamplurimis canaliculis in venam pulmonariam deponerent. Per hanc redit ad Cor, ſiniſtram auriculam intrans, indeque deſcendens in ventriculum pariter ſiniſtrum; quo facto in Aortam, ſive magnam Arteriam tranſit, ut poſtea in hujus utrumque ramum, aſcendentem ſcilicet, & deſcendentem derivetur, ab his ſubinde aliis atque aliis corporis arteriis mirabili œconomia diſtribuendus. Poſtquam ergo ſanguis totum corpus ita irrigaverit; influit in venas, quæ motu curſui Arteriarum contrario ipſum ad ſupradictam venam cavam aſcendentem, & deſcendentem impleta circuitione reducunt. Hæc autem vena, quæ capaciſſima eſt, ſanguinem, uti diximus, tum a ſuperioribus, tum ab inferioribus partibus venientem, in ſe ipſa conjungit, ac totum dexteræ Cordis auriculæ repræſentat, ut iterum perpetuo, celerrimoque motu circuitum jam abſolutum inſtauret.

7. At in Fœtu, etſi ſanguis æquè circumeat, ſecus enim illius vita deſineret; nihilominus hoc diverſo ritu peragitur ac in Natis: & ecce quomodo poſt innumeras, exactiſſimaſque obſervationes communiter a Recentioribus deſcribatur. Primò, ſanguis totus, ut in Natis fit, ſive e partibus ſuperioribus, ſive ab inferioribus proveniens in venam cavam deſcendentem, & aſcendentem ingreditur: ſcilicet, qui ſurſum per aſcendentem fertur, intrat foramen ovale, quod in ſolis Nonnatis conſpicitur, in Natis tamen occluditur: atque per illud in Pulmonariam venam excurrit, deinde in ſiniſtrum cordis ventriculum tranſiturus. In hoc autem ovali foramine valvula obſervatur, quæ de more regreſſum ſanguinis vetet. Qui verò a partibus ſuperioribus per venam cavam deſcendentem deorſum labitur, ab ea per dexteram cordis auriculam in ventriculum cordis dexterum emanat: inde non totus, ut in Natis, Pulmones adit: ſed arteriam pulmonariam inundans in tres alias deinde portiones, quaſi rivos dividitur. Primus, & major in canalem intrat dictum arterialem, quo medio ſeſe in ramum inferiorem Ahortæ intromittit, qui in Fœtu amplior eſt, atque majorem continet ſanguinis copiam, quàm truncus ipſe.

8. Alii duo rivuli utrumque ramum arteriæ Pulmonaris ingreſſi Pulmones petunt, qui rami quamvis conjunctim conſiderati, capacitatis aliquanto majoris exiſtant præ ſolo canali arteriali; minus tamen ſanguis vehunt: fortè quia cum Pulmones adhuc ſint graves, utpotè non diſtenti, ſanguiſera comprimunt vaſa: itaut per eos ſanguis tam magna copia permeare non poſſit. Porro Verheyenius prædicta vaſa terræ meatibus aſſimilat, preſſione aliorum corporum deſuper corruentium ſemioſtructis: canalem verò arterialem dicit eſſe veluti aquæductum patentem, & liberum. Cum ergo prædicti duo rivuli ad Pulmones pervenerint, ac per illos diſperſi, eos irrorarint;

ſan-

ſanguis, qui ob præcedentes binas diramationes non multus eſt; Pulmonum preſſione non eget, ut ejus impetu propellatur, atque, ſicuti contingit in Natis, transſmittatur ad cor: ſed ad circuitum ſuum proſequendum, ſuavi decurſu innumeras penetrat venulas ad venam pulmonariam confluentes: deinde verò in ſiniſtram cordis auriculam, & ex ea in ſiniſtrum pariter illius ventriculum trajicitur.

9. A Cordis igitur ſiniſtro ventriculo in Aortæ truncum progreditur. Ab Aorta denuo in totum corpus derivatur, ac præſertim non modico affluxu in ramum externum arteriæ Iliacæ ab Aorta provenientis: deinde ab umbilico in duas arterias dividitur, ut ad Placentam, verſus eam pulſando, diſcurrat, ibique nova perfectione potiatur.

10. Ad Placentam cum venerit in innumeros propemodum ramuſculos diſpergitur, illam irrigantes: non ſecùs ac in Natis ex arteria Pulmonari procedens, & in infinitos deinde rivulos diviſus Pulmones ipſos irrigare conſuevit. Ab eadem quoque Placenta, quamplurimæ, & variæ venarum ramificationes ad pulmonarium ſimilitudinem oriuntur. Hæ porro venulæ ſanguinem reſumunt ab arteriolis allatum, & in venam umbilicalem unitæ deponunt, quæ ſolito venis more prope arterias pariter umbilicales, etſi contrario motu, profluens, ad umbilicum uſque contendit. Et hæc eſt ratio, quare mortui naſci ſoleant Fœtus, ubi multò priùs Placenta jam ab utero divulſa, egreſſa ſit, vel funiculus umbilicalis fuerit illis contortus: ita nempe ſanguinis circuitus per vaſa umbilicalia impeditur. Sanguis ergo ad umbilicum excurrit, indeque ad ſinum venæ Portæ, a quo per canalem, qui Fœtui proprius eſt; (a) ad venam cavam commigrat; quæ, ut in Natis conſuevit, ſanguinem totum ab arteriis, per omne corpus antea diſperſum, reſtituit: illo nimirum, qui a partibus inferioribus provenit, per venam cavam aſcendentem ſaliente; contra verò eo, qui e ſuperioribus per venam cavam deſcendentem illabitur, deſcendente: ut ab eadem vena maxima Cordi redditus novum deinde a Corde circulum iterum, iterumque exordiatur.

Atque hic a Medicis putatur eſſe ordo perpetuæ ſanguinis circuitionis in Fœtu, recentibus in dies obſervationibus illuſtratus. Porro notandum eſt, in Fœtu ſanguinem, qui a partibus ſuperioribus per venam cavam deſcendentem labitur, & inde in canalem arterialem, eoque medio in Aortam inferiorem diſcurrit, iter ſuum pariter ad corporis inferiora dirigere: e contra verò illum, qui a partibus inferioribus per venam cavam aſcendentem ſaliendo elevatur, (nimirùm & qui ex ea immediatè per foramen ovale in pulmonariam venam intraverit: & qui primò per Pulmones circumfluens, ac deinde in dictam venam excurrens, totus in auriculam, & ventriculum ſiniſtrum cordis ingreditur) majori ex parte ad ſuperiores corporis regiones proficiſci: Aorta enim deſcendens ſanguine per canalem arterialem adducto præoccupata, non multum ſanguinis capit.

11. A deſcripto communi ſyſtemate non nihil diſcedit Meryus, docens foraminis ovalis officium eſſe potiùs ſanguinem ab Auricula ſiniſtra ad dexteram transſmittere, quam vice verſa: at ſicuti hoc ipſe contra omnes, qui ſe præceſſerant, Anatomicos excogitavit, ita & ab omnibus, qui poſt eum ſcripſerunt, oppugnatur; puta de Verney, Taurri, Silveſtre, Buſſiere, Bernardo, Albino, Trevv, Liſtero, & præ aliis Verheyenio. Winſlovius verò media incedit via, (b) & valdè naturæ conſonum arbitratur ſanguinem per foramen ovale in Diaſtole auricularum a ſiniſtra ad dexteram, & a dextera ad ſiniſtram, ac ſi utraque unum ſint, viciſſim tranſire, ac ita reddi uniformem. In Syſtole verò earumdem auricularum in duos ventriculos pariter, ac ſi uterque ſit unus, intromitti, quo deinde per pulmonarem arteriam, canalem arterialem, & Aortam in totum corpus diffundi poſſit: valvulam etiam foraminis ovalis ante nativitatem nullius uſus exiſtimat: initium tamen

eſſe

(a) Heiſter. *in Comp. Anatom. de Fœtu, & in Præfat.*

(b) *Vide* Memor. Academ. *Regiæ ſcient, An.* 1717. *&* 1725.

eſſe muri illius intermedii, qui poſt nativitatem perficitur, ut ejus obſtaculo ſanguinis ab una in alteram auriculam tranſitio impediatur: Pulmonum verò in Nonnatis officium uſque modo ignorari.

Cæterùm ſive communis, ſive Mery, ſive media Winslovii ſententia vera ſit; indubitatum ſemper erit, ſanguinem Fœtus proprium habere circuitum, & ab eo qui in Natis conſpicitur, planè diverſum.

12. Illud autem notatu digniſſimum ab Anatomicis traditur: nimirùm Puero jam nato, Pulmoneſque ad validum reſpirationis motum adhibere incipiente preſſione aeris occludi ovale foramen: claudi etiam propter eamdem preſſionem canalem arterialem, ac tendinoſum ligamentum evadere.

13. Ex his igitur manifeſtè patet Fœtum in utero reſpiratione Natorum inſtar, non indigere: nam etſi Medici olim reſpirationem neceſſariam exiſtimaverint, ad ſanguinem nitro aereo pro fermentatione gravidandum, eumque purificandum, fibraſque motrices contrahendas: hodie compertum eſt præcipuam ſaltem hujus neceſſitatis cauſam eſſe ſanguinis circuitum, qui reſpiratione deficiente ceſſaret. Præterquamquod Nonnatorum ſanguis qui defæcatiſſima paſcuntur alimonia, tanta non indiget fermentatione: ipſaque circuitio planè ſufficit ad illam vel tenui, ſi quid fortè inſit recremento purgandum: fibræ verò motrices moderato prorſus, ac blando motu exercentur. Dices reſpirationem ſaltem neceſſariam eſſe ad figenda ſulphura, niminmque calorem propter ipſum ſanguinis circuitum extuantem recenti aere compeſcendum. At hæc in Fœtu locum non habent: liquidorum enim in ipſo motus omnino lenis eſt, ac maximè temperatus, itaut ſulphura in eo non exaſperentur, nec figi requirant.

14. Nihilominus tamen valdè probabile cenſeo Fœtum modulo ſuo reſpirare: ita Naturà diſponente, ut ille aeris reciprocationi aliquatenus aſſueſcat, ipsà deinde validiùs uſurus cum in lucem prodierit: cum ſcilicet neceſſitate ceperit premi reſpirationis liberioris: ſtatus enim Infantis nati, ejuſque corporis, jam per omnia perfecti œconomia perfectum exigit cum aeris elemento commercium; quæ cauſa fuerat, cur ille vim faceret ad naſcendum: ut ita ſcilicet aere copioſiore frueretur.

15. Fœtus inſuper, uti dictum eſt, in utero manens liquori chyloſo innatat, quo ſine dubio nutritur. Hoc autem fieri omnino nequiret, niſi Puer liquorem ipſum ore ſugeret, ac ſorberet; uti e Recentioribus docent Vvalterus, Carletòn, Cornelius, Bahninus, Ettmullerus, & Alii. Eademque ex Hippocrate confirmantur, qui ait: (a) *Fœtus in utero comprimens labia alimentum, & ſpiritum Cordi attrahit.* Porro is nec ortus illico mammas quæreret, niſi ad ſugendum aſſuetus: neque ſtatim ſe meconio egeſto levaret, ſcilicet excrementis in inteſtina retruſis: quorum utrumque ſimiliter in Brutis etiam obſervatur: atque hæc ſunt ipſa plauſibilia Hippocratis argumenta. Si autem Parvulus in utero alimentum ſugit, quomodo iſtud fieret abſque preſſione, & circumpulſione aeris uterini? Certum eſt etiam Infantes non raró, imo & aliquando altiùs, materno in ventre vagire: vagitus autem fieri non poſſet ſine aeris preſſione, atque motu; ut Puerulorum taceam expreſſas voces, & clarè articulatas, quæ a quibuſdam ſupernaturali cauſæ tribuuntur. Neque aer ad reſpirandum Infanti deeſt: membranæ enim, quas inhabitat, ſufficienti abundant aere, ipſis ab utero communicato. Sanè quamvis hic omnino ſit clauſus, non propterea eſt aeri impervius, qui ſi non alià vià, per minimos ipſius uteri tubulos penetrabit: per eos enim uteri clauſurà non obſtante, aura ſeminalis quandoque ingrediens, conceptionis in Atretis eſt cauſa, & fortè ſuperfœtationis in aliis: per eos deſcendunt etiam interdum liquores, ut patet in Fœminis, quæ chyloſi laborant: quantò magis ergo, & ingredi, & egredi poſſe dicendus eſt aer, qui ſuper cætera liquida ſubtiliſſimus eſt, quique poros ipſos Termometri permeare conſuevit? Saltem ſeſe inſinuare non deſinet Ether, qui efluviis humorum terraqueorum in

(a) Hippocr. *lib. de Carnib.*

Amnio exiſtentiam adjunctus, jam aerem conflaret. Pulmones exteroqui texturà ſuà reri ſunt, ac ſpongioſi, & infinitis veſiculis orbicularibus, & exagonis, favorum mellis inſtar, ad continendum aerem aptiſſimia, inſigni opificio compacti: quod Malpighius duabus epiſtolis Alphouſo Borello conſcriptis oſtendit.

16. Porro aer uterum ſubiens, & ad Placentam, quæ ſpongioſæ pariter eſt naturæ, perveniens, Amnio communicatur; deindeque in Pulmonibus Pueri propter naturalem calorem membranarum, & uteri, elatherem ſuum adauget, ac multò magis rareſcit: hic enim juxta Carteſii obſervationes per Eliopilam factas, eſt naturalis proptiuſque caloris effectus. Boyle quidem expertus eſt acrem uſque adeo rarefieri, ut ſpatium 14000. majorem conſueto requirat: inſuper locum minimum, quem occupat in ſtatu condenſationis, reſpectu maximi in ſtatu rarefactionis, habere proportionem ut unum ad 500000. Imo Stancàrius cum Mariotte, Nevvptono, & aliis demonſtret, ſphæram aeris nuci æqualem in tantum dilatari poſſe, ut regionem omnem planetariam impleat: dummodo raritatem illam adepta ſit, quà præſtat aer ſpatio unius terreſtris ſemidiametri a terra diſtans. Autumant enim ſpatia, in quibus continetur aer eſſe ad ſpatia comprimentia reciprocè proportionalia. Utut ſit; Utero, & Amnio nunquam deerit aer ad Fœtus reſpirationem pluſquam ſufficiens: quandoquidem hæc in illo nonniſi tenuis eſſe poteſt.

17. Poſitio quoque humani Fœtus in utero faciliorem reddit reſpirationem: membranæ etenim, quibus ille tamquam Pullus in ovo concluditur, ſitæ ſunt ad inſtar facci, vel veſicæ ab utero pendentis, & huic mediâ Placentâ alligatæ: Parvulus verò in eis moratur genibus verſus Abdomen directis, cruribus in poſteriora flexis, pedibus decuſſatis, manibus vel ante pectus item decuſſatis, vel ad caput applicitis, una ſcilicet ad alterutrum tempus, vel auriculam: altera tamen ad genam: ſedetque ſupra internum uteri orificium, figuram exhibens quaſi rotundam, quo minorem occupet locum; & albicanti ſubſtantiæ innatans: membranæ autem, quæ uteri fundo adnectuntur; quamvis per ſe figuræ ſint orbicularis; propter Pueri tamen pondus, eas in parte oppoſita prementis, ovalem induunt: itaut ſuperior Amnii medietas, vel tertia pars ejuſdem omni liquore ſit vacua, & aere tantùm plena. Nam poſt aliquot incubationis dies obtuſa ovorum extremitas e ſuperiori parte magis magiſque abſumpto liquore ſenſim exinanitur, & ad uſum reſpirationis Pulli, ab aere ingrediente occupatur: ovuum autem in ſuperiori parte repleri aere, per poros, ſeu per canaliculos, in illius cortice ſitos, admiſſo; celeberrimus Bellinius clariſſimè demonſtravit. Dato itaque aere non videtur, cur eum ad reſpirandum Pulli non adhibeant, cum reſpiratio præcipuus hujus elementi ſit uſus: & planè aere utuntur: pipiunt enim in ipſo ovo: quod in Anſeribus præſertim, & Anatibus, tertio, vel quarto die antequam illud roſtro infringere ceperint, ſæpius obſervatur.

18. Bianchius tamen docet, humanum Fœtum, graveſcente capite, gravitatis ſuæ centrum mutare, & in caput ipſum cadere ſexto circiter menſe, quandoque etiam tertio: idque illi nativitatem abſque dubio faciliorem reddere: quæ frequentiùs, & commodiùs capite deorſum revoluto contingit. Communiter verò Anatomici revolutionem iſtam in ultima graviditatis tempora rejiciunt: Parvulum verò tradunt ut plurimùm ſeſe in ſtatu ſupra deſcripto continere: quod ſi aliquoties contrarium ſit obſervatum; id eveniſſe dicunt, quia fortè Infantulus vitâ exceſſerat, ideoque in ſtatu præternaturali manebat: vel inſolitæ, & accidentali cauſæ tribuendum. Verùm etſi cum Bianchio ſentire vellemus; credendum nihilominus, Fœtum non ſemper inverſo capite poſitione, ſcilicet Homini tam incongrua perſiſtere, ſed moveri ſaltem interdum, atque in tali ſitu ſe componere, quo reſpirare valeat, cum eum vagientem ſæpè audiamus: quod facere non poſſet, ſi ſemper os ejus in liquore illo demiſſum permaneret: ſic Anates, & Anſeres in aquis conſident, ſubinde verò caput attollunt,

aeria

aeris, & reſpirationis beneficium captaturi. Utut ſit, ſi tam magno tempore, ut opinatur Bianchius, Infans capite revoluto, & in eum liquorem immerſo duraret; faciliùs probaretur eum Matre mortua, non neceſſariò ſimul interiturum: etenim ſupponeretur, dum in utero exiſtit, naturæ ipſius ordine in tali eſſe ſtatu, ut non ſolùm reſpiratione careat ſine incommodo, ſed eum etiam ſitum, atque figuram affectet, ac teneat, qui reſpirationi prorſus adverſantur.

19. Ex hoc multò clariùs pateret, quam malè a Natis ad Nonnatos arguatur: quoniam ſi Nati quidem Infantis, & reſpirationi jam aſſueti, caput inverſum in aliquem liquorem immitteremus, hoc illis mortem velociter inferret, & tamen hoc ipſum, quamquam diu continuatum, utpote naturale, prorſus innoxium, & amicum Nonnati experirentur. Dixi reſpirationi aſſueti: nam ſi Puer, tametſi ortus, perſiſtat adhuc membranis incluſus, vitam, Scurigio teſtante, (a) retinebit. Harvèus quidem narrat ſeſe Infantem hujuſmodi vivum poſt aliquot horas perſpexiſſe. Idemque probant bina alia exempla, quæ Bohnius ſubminiſtravit. (b) Equidem ſcio Ettmullerum, alioſque Recentiores tradere Pulmonem Pueri ante nativitatem demortui, ubi in aquam demittatur, fundum petere ſolitum: ſi verò vivus ab utero exierit, vitamque deinde amiſerit; ſupernatare: atque eo experimento detegenda eſſe Infanticidia. Verùm hoc indicium, præterquamquod interdum fallit, id ſolùm evincit, Puerum jam natum majori libertate reſpirare, ejuſque Pulmones poſt partum magis rareſieri. At ex eo non ſequitur, Pulmones latentia in utero prorſus otiari: poſſunt enim, quamquam minori cum dilatatione, & rarefactione, reſpirationis munere fungi, ut ſæpè fit in illis, qui Aſphixia detinentur. Propterea ſupra dixi, Nonnatos Pueros pro modulo ſuo reſpirare. Atque ita ex celebrium Auctorum ſententia, (c) cum plauſu docuit, & publicis diſputationibus propugnavit Petrus Milatius Panormitanus Medicus in primis clariſſimus.

20. Ex dictis evidens judicamus, nequaquam Fœtui lethalem eſſe ceſſationem maternæ reſpirationis: nam ſine illa ſanguinis motus in eo perſeverat: vel enim dum in utero manet, reſpiratione penitus caret; vel ſi pro modulo ſuo reſpirat, hujuſmodi ejus actio nil commune habet cum reſpiratione Genitricis, ejuſque ſyſtole, atque diaſtole: maximè cum Fœtus circulatione ſanguinis gaudeat omnino ſpeciali, & ab illa Natorum clarè diverſa, quæque per peculiaria organa perficitur: nam præter Cor vaſa habet umbilicalia, atque Placentam, quæ perpetuo ſanguinis motui mirificè opitulantur. Hic autem motus incipit ab ipſis prægnationis initiis: ovo nimirùm adhuc libero: neque a Matre ſanguini Embryonis impertiri potuit per Placentam: hæc enim nondum erat utero alligata: ſed originem trahit altiorem a ſpiritu ſeminis virilis, qui ſcilicet in ovum primitus fermentationem invexit.

21. Cæterùm etſi ſupponere velimus, motum hunc a Matre olim impreſſum (quod omnino negandum eſt;) idipſum nihilominus parum refert: poterit enim deinde ab alterius moventis virtute, ab Anima nempe Fœtus, Animalium ſpirituum miniſterio, continuari. Rivus quidem canali dirupto, motuque amiſſo, quem ei tribuerat aquæ ſubſequentis, & a fonte procedentis impulſio; poterit hoc non obſtante curſum inceptum ulteriùs proſequi motu ab alio principio, puta ab aere in ipſum inducto: aqua ſimiliter fluminum propter naturalem gravium ad inferiora propenſionem, in mare prolabitur, at mare jam ingreſſa, ejuſque undis commixta, non ideo quaſi in centro conquieſcit, ſed moveri nihilominus pergit, quamquam alia prorſus directione, a ventis nimirum, ab æſtu marino, ab interioribus Euripis, aliiſque cauſis agitata: pila denique ab unius manu projecta curſum ſuum non intermittit, ſi ab alterius Luſoris impetu interea propellatur. Idem na-

(a) Scurigius in *Embryo. pag.* 147.
(b) Bohnius *in Circ. Anatom. Prog.* 3. *pag.* 40.
(c) Carletòn *de Œconom. Anim. exercit.* 8. *de reſpirat. a n.* 15. *ad* 22. & *Alii*.

Digitized by Google

naturæ ordo elucet in Oviparis: Pullus enim vivit in ovo, Matre ad ejus reſpirationem non cooperante: ſicuti ergo Vivipera non minùs, quàm Ovipera generantur ex ovo, & vivunt in ovo, cui membranæ Chorion, & Amnios pro cortice ſunt, cum non alia inter ipſa, uti diximus, intercedat differentia, niſi quod illa in utero, hæc verò extra uterum foveantur: ita non magis ſecunda, quàm prima reſpiratione Matris indigebunt.

22. Negant propterea quidam e Recentioribus materni ſanguinis cum ſanguine Fœtus mixtionem, & alternantem mutuo fluxu, & refluxu circulationem, veluti fabuloſam: (a) exemplo Canum prægnantium, quæ multis, & juſtà interpoſità morà, factis venæ ſectionibus; exangues, & mortuæ remanſerunt: at nihilominus exciſi earum Catuli inventi ſunt vivi, ac ſanguine in propriis vaſis de more abundantes At circumeat Nonnatorum ſanguis cum Matrum ſanguine, quod alii non inferioris ſubſellii Anatomici contrariis experimentis inſtructi contendunt. (b) Hoc nihil obſtabit: cum enim Parvuli ſanguis, quantum par eſt, modum habeat in ſuomet corpuſculo mediâ Placentâ circuendi; Matre mortua, breviorem ſanè curſum conficiet, ad ſe ipſum depurandum, ac perficiendum revera imparem, ſed ad vitam Fœtui aliquandiu conſervandum ſine ulla dubitatione ſuffecturum: præſertim cum Prægnante mortua Partus Cæſareus brevi perfici poſſit. Si enim Chirurgi pauculorum minutorum ſpatio ſectionem ad calculum extrahendum abſolvunt, quanto minori tempore Defunctæ ſectionem credimus abſoluturos?

CAPUT DUODECIMUM.

Fœtibus etiam Matre mortua non deficere nutrimentum.

1. QUEMADMODUM Fœtus, uti demonſtratum eſt; non illico propter defectum maternæ reſpirationis occumbunt; ita neque neceſſariò brevi ad mortem propter nutrimenti defectum adiguntur: quæ ſanè ratio eſt, cur ſæpè poſt dies integros vivi reperti ſint. Et Veteres quidem Hippocratis dicto non attendentes, puriſſimum Amnii liquorem, in quo Fœtus, in utero permanens, natat, urinam, aut ſudorem eſſe crediderunt: ex eo decepti, quod ruptis a Fœtu partus tempore ſecundinis, aliis ignobilioribus commixtus egreditur, qui naturæ mirabili providentia, vias, per quas Infans delabatur, humectant: atque ita exitum parant jamjam naſcituro faciliorem. Profecto liquor is in eo ſtatu nativam puritatem non ſervat, ſed alteratus exiſtit: ſive quia tunc ad ſecundinarum diruptionem aquæ excrementiæ diffluant fortè inter Chorium, & Amnium congregatæ: ſive quia ex Fœtus veſica relaxato ſphinctere, ejus urina decurrat: ſive quia urina pariter ab Allentoyde eadat, uti Allentoydis Aſſertores opinantur: ſive quia denique humores alii a materno corpore in eo naturæ conflictu deſcendant. Utut ſit, frequentibus, exactiſque Anatomicorum obſervationibus certiſſimum eſt, ſubſtantiam, quæ in Amnii cavo continetur, eſſe limpidam, nunc magis, nunc minus albicantem, lacteam, chyloſam, ſaporiſque ſuavis. Hic cibus eſt, ſuccuſque nutritius Fœtui in eo reſidenti ab amabili Creatoris providentia præparatus, quæ Pullis Oviparorum ſimile alimentum in ovi ipſius vitello repoſuit: hàc ſolà differentià intercedente, quod cum incubatio, & excluſio Pullorum in Oviparis extra uterum fiant; cibus illis totus a principio adunatur. At in Viviparis cum incubatio, & excluſio perficien-

(a) Bartholin. *de Ovar. Mulier. & generat. hiſt.* t. 1. *Bibliotb. Anatom*, Bianch *de Nat. generat.*
(b) Heiſter. *in Comp. Anatom. nota* 36.

ciendæ ſiat in utero ipſo; ac propterea neceſſe non ſit ibi totum cibum ſimul, & ſemel includi; Mater eumdem in dies recentem ſegregat, & ſubminiſtrat. Quod autem dictâ ſubſtantiâ per os ingeſtâ Fœtus alatur, ex eo planè conſtat, quod ipſa tum in ore, tum etiam in ventriculo Fœtuum ad uſum Anatomicum inciſorum reperiri ſoleat: quo circa patet etiam ex ea originem habere meconium. Si quidem narrat Heiſterus. (a) Aliphortii frigidâ in hyeme oblatum ſibi Fœtum vaccinum membranis adhuc circumſeptum, & utero incluſum: ſeque in in eo inſpexiſſe non ſolùm Amnium hoc liquore Fœtum circumdante, & jam congelato plenum; ſed etiam ipſius congelati liquoris partem per os, totumque oeſophagum, atque ventriculum, tamquam corpus continuum, craſſitudine digiti unius extenſam. Atque id ipſum in ſimili Fœtu hyeme pariter ſæviente ſeſe obſervaſſe teſtatur: quamobrem communicatio liquoris Amnii cum eo, qui in ventriculo inveniri ſolet, cenſeri debet manifeſta. Cum autem hæc albicans ſubſtantia perfectiſſimus verè ſit chylus, per tot canales antea præparatus, ac ſanguini facillimè aſſimilabilis; Fœtus nonniſi pauciſſima congerit excrementa, quæ propterea in inteſtinis abſque ullo detrimento ad nativitatem uſque retinentur. Deponit autem in antedictis membranis, quidquid fortè impuritatis habuerit: quo fit, ut illæ in partu violacei coloris appareant: uti præſertim de Allentoyde ipſius Defenſores notavere: cum enim glanduloſa dicatur; in ea ſunt opinione, ramuſculos nempe arteriæ umbilicalis lentorem aliquem excrementitium in eam demittere: eodem planè modo ac arteriæ meſeraicæ faciunt in glandulas inteſtinorum Pejerianas.

2. Porro lactiginoſus liquor; de quo paulò ante; juxta Hippocratem, & Carletonium Fœtui a Matre per tranſudationem ſuppeditatur, vel ab ipſis prægnationis initiis: pars enim ab illa in uterum diſtillat, & inde per membranas Fœtum involventes percolatur, ut iſti per os ingeſta cedat in alimoniam, pars verò eumdem ingreditur per umbilicum: quandoquidem Placenta jam formata, cum texturæ ſit ſpongioſæ, non ſolùm de eodem attrahit liquore, qui aliunde in uterum diſtillaverat; ſed præterea non modicam illius portionem immediatè recipit a Matre ipſa, nimirùm per vaſa uteri ſibi cohærentia.

3. A Placenta ergo ſubſtantiæ hujus pars diffunditur in Chorium per canales fortè Sigerianos: pars verò ſorbetur a vena umbilicali, & ſanguini eòdem ab arteriis item umbilicalibus allato commixtus, ad venam cavam decurrit, ut in perfectum ſanguinem deinde convertatur. Ex hoc pateſcit Veterum Arabum hallucinatio, qui credebant Fœtum materno ſanguine tantùm, quem Placenta exugeret, enutriri. Error hic a pleriſque inſignibus Recentioribus, quos inter Ettmullerus, apertè confutatur: is etiam docet Placentam, qua media Fœtus cum utero adnectitur, non formari, ſcilicet integrè, niſi eodem Fœtu quaſi per omnia completo; atque ideo Embryonem primis graviditatis diebus manere liberum, & a matrice ſolutum. Bianchi verò dicit Placentæ alligationem fieri ab eo ipſo tempore, quo ovum deſcendit in uterum: quamquam fateatur in Apris, Equis, Porcis, Canibuſque marinis eam nonniſi circa ultimos prægnationis menſes alligari: quod tamen Ettmulleri ſententiæ ſuffragatur. Utut ſit, pro certo habendum, in principio per aliquod ſaltem breve ſpatium temporis, ovum humanum manere liberum, Fœtumque non ſolo materno ſanguine ſuſtentari: idemque dicendum eſſe de Brutis. Profectò ex propriis inſpectionibus narrat Harvèus, (b) aliique cum eo, ex Placentæ carunculis, ubi premantur, elici tamquam ab uberum orificiis lacteum liquorem ad coclearis menſuram: cæterum etſi validiſſimè conſtringantur non inde tamen vel ſtillam ſanguinis extorqueri: emunctas verò carunculas, & jam vacuatas deſiccari, & more ſpongiarum commodè comprimi poſſe: tum illas multis foraminulis un-

di-

(a) Heiſter. *Comp. Anatom. nota 37 pag.* 315.

(b) Harvèus *exercit. de Generat. 72. de uter. membran.*

dique perſoratas conſpici: qnamobrem clarè pateat eas nterina ubera rectiſſimè appellari. Adnotatum eſt etiam Placentam, qua media Priſci docebant ſanguinem a Matre in Fœtum derivari; ultimis graviditatis temporibus, non solùm illius vel gnttam non emittere, ſed etiam in duas veluti laminas diſcindi. Demum quod Mater Filio non ſanguinem, ſed chyloſam ſubſtantiam largiatur; Ettmulleri experimentum facilè confirmat. Si enim Prægnaa crocum comederit; ſtatim eo tingitur Fœtus: quod indicat crocum cum a Matre in illum tranſiret nondum fuiſſe materno ſanguini aggregatum, cujus nondnm colorem induerat.

4. Ex his ſaltem indubitatum eſt, nonnatum Infantem non ſolo ſanguine, qui motu ſyſtolico, & diaſtolico Matris ab ipſa per Placentam in eum diffundi ſupponitur, enntriri: & ideo vitam tueri poterit, eumdem liquorem, qui ſibi uſqne ad obitum Genitricis pro cibo fuerat; exſugendo; quique ùtpotè nitro aereo gravidatus ad ſanguinis motum in Fœtu ipſo non parum fortè conducit. Certum eſt etiam alimentum iſtud eidem non poſſe tam citò deficere. Primò, quia Infans in eo natat circumfnſo: deinde quia Prægnantis morte non obſtante, poteſt illi a Placenta ſuppeditari: Placenta etenim præterquamquod eo tota referta eſt; poterit & immediatè ipſum ex canalibus uteri ſibi reſpondentibus imbibere, & ex aliis tubulis in uterum demiſſum attrahere. Cæterum quod adhuc in uterum non pervenit, ſed in via deſcenſionia eſt, poterit, quamvis mortua Prægnante, motum ſuum deſcendentem aliquandiu proſeqni, ac ſic in uterum profluere a Placenta ſorbendus.

5. Porro quò magis confectum, & debilem ſupponimus Fœtum; eò minori alimonia opus habet: quamdiu enim durant nec rarò lucernæ, dum parciſſimo illo oleo, quo ellychnium fuerit intinctum, nutriuntur: propter hoc ipſum, quod moribunda hujus flammula pabulo abundantiori non eget? Quantò magis ergo in Fœtu, qui naturâ ſuâ in omnibus liquidorum ſuorum motibus remiſſus, ac lentus eſt, id ſibi locum vendicabit? Hominem diu ſine cibo, & potu vivere divinæ virtuti regnlariter eſt tribuendum: attamen quot Adulti, etiam abſqne miraculo, ex prædicta, ſimilibnſve cauſis menſes, & annos ſine potu, cibiſque traduxere? Certè id ex quamplurimis experimentis infiniti Medici tradunt: quocirca Fortunius Licetus Librum conſcripſit de his, qui diu vivunt ſine alimento: videnda etiam nobiliſſima Academicorum Bononienſium præſertim Beccarii, & Bazani de eodem argumento diſſertatio celeberrimo Operi de Canonizatione Sanctorum Benedicti Decimiquarti feliciſſimè Regnantis Inſerta. (*a*) Nonnatus Infans in eo manet ſtatu, in quo perſpicuum eſt, non ei tantam ex inſenſibili transpiratione ſpirituum, & ſubſtantiæ diſſipationem eſſe ſubeundam: liquor enim, in quo verſatur, ſuo pondere, preſſione, & glutinoſa qualitate illam coercet, ac multò magis ſubſtantia illa caſeoſa, qua Fœtus idem totus inunctus, imo & incruſtatus apparet: quod autem per tranſpirationem emittit, id ipſum iterum ſorbet: qnamobrem perpetuo circuitu, quod egreditur iterum in corpuſculum ejus, perpetua quadam circuitione regreditur, Hoc antem præter Bartholinum Clericus, ac Mangetus ex quibuſdam Stenonis experimentis confirmarunt. (*b*) Simili quidem rationi immortalem lucernarum perpetuarum vitam tribuère earumdem Aſſertores. Præterquamquod cochleæ diutiùs nutrimento aliquando ingeſto viventes, quæ multis huc uſque defendimus, apertè demonſtrant.

6. Profectò Joannes Schenckius, & Horatius Augenius (*c*) retulere, Mulierem gravidam, & nono menſe, cum nempe Fœtus copioſiori indiget alimento, infirmam ex ventriculi ulcere interiiſſe. Hæc poſtremos viginti dies abſque potu, & cibo tranſegerat: nam propter ulceris moleſtiam quidquid ſumeret, evomebat illico: nihilominus ea poſt mortem diſſecta, Puer vivus, imo, &

vi-

(a) Lambertin. *de Canonizat. Ss. in Append. ad l. 4. p. 1. c. 27.*
(b) Manget. *Biblioth. Anatom. t. 1. in obſervat. ad Bartholin.*
(c) Augen. *de Sanguin. miſſion. l. 6. c. 15.*

vitalis eductus eſt. Similem quoque hiſtoriam dat Fernelius, in qua tamen Matris inedia ex impedita deglutitione bimeſtris extiterat.

7. Mirandum eſt etiam, quod habet Fridericus Hoffmannus. (*a*) Parvulum nempe vivum, atque perfectum exiiſſe toto tamen funiculo umbilicali a putredine corrupto. Porro impoſſibile ipſi fuiſſet vivere, ſi non aliunde quam a Matre ac per hujuſmodi funiculi ductum, alimentum recipere debuiſſet. Ex hoc autem deſumitur, neque ad Fœtus vitam neceſſariam eſſe ſanguinis ipſius, cum materno circulationem: quâ ſcilicet ille ſanguinem a Matre per Placentam, & deinde per venam funiculi umbilicalis accipiat, & vice verſa Matri per arterias umbilicales mediâ Placentâ remittat: quoniam in allato caſu Pueri ſanguis neque per Matris venas, arteriaſque, neque per Placentam, & vaſa umbilicalia, quæ cæteroqui propria ſunt Fœtui, circuibat. Quod tamen ab alio non diſſimili facto confirmatur: Petitus enim refert (*b*) vivum Infantem, in cujus funiculo umbilicali nodus cernebatur: manifeſta verò indicia declarabant ipſum jam diu clauſum, atque ligatum, ſanguinis circuitioni obſtitiſſe. Repertum denique tradunt Alii, (*c*) quod multò mirabiliùs eſt, vivum Fœtum, etſi funiculo umbilicali omnino carentem.

8. Parvulus itaque ex Recentioribus omnibus, etiam reſpiratione, ac nutritione ſpectatis, nequaquam Genitricis vitâ, ſed propria omnino vivit, ac fruitur. *Fœtus*, ait Ettmullerus, (*d*) *in utero non vivit vitâ Matris, hauriendo ab eadem ſpiritus vitales, ſanguinemque; ſed propriam degit vitam, elaborando ex ſolo humore albugineo, ſeu ſucco ſuo nutritivo, intra conceptum concluſo, ſanguinem, & ſpiritus pro ſui ſubſtentatione: ſimili namque ratione, atque Pullus in ovo propriam vitam eodem modo inſtituit, nec alio opus habet Gallinæ adjutorio, quam blando ejuſdem fotu, & incubatu, ut caloris beneficio exſuſcitetur vis genitalis in ovo latens: idem præſtat Mater Fœtui, dum etiam uterum fovet ſinu ſuo, & Fœtum hoc modo ſervat, & tuetur.*

9. Ex hue uſque dictis duæ ſatis firmæ concluſiones manifeſtè oriuntur.

Prima eſt: quamvis certò mortua Prægnante, non idcircò mortuum credendum eſſe Fœtum, imo præſumendum potiùs vivum: ac propterea contra Caſtrum, & Varandæum, Matrem ad liberandum Filiolum juxta communem Medicorum tum Veterum, tum Recentiorum ſententiam eſſe omnino incidendam. (*e*)

Secunda eſt: Fœtum, etſi ut plurimùm brevi, Genitrice mortua, extinguatur; attamen poſſe non ſolùm per horam, & ampliùs, ſed & per integros dies, infinitis etiam exemplis comprobantibus, manere ſuperſtitem. Itaut quocumque demum tempore poſt Matris obitum elapſo, Partus Cæſareus nunquam ſit omittendus. Varandæum olim Partum Cæſareum Viventium improbantem piè excuſaverat Henricus Gras, (*f*) Diſcipulus, ut Bartholinus ait, (*g*) Præceptore major: quod dies diem doceat: quis autem ejuſdem Varandæi Partum Cæſareum Defunctarum negantis errorem, hoc tam illuminato ſæculò undique profligatum, in Coætaneis noſtris aliquo pacto excuſabit?

CA-

(a) Hoffmann. *diſſertat. de Pinģued. p.* 10.
(b) Petit. *in Hiſtor. Acad. Reg. A.* 1718. *pag.* 40.
(c) *Acta Nat. Cur. Dec.* 2. *A.* 7.
(d) Ettmuller. *in Phyſiolog.*
(e) *Præter Auctores cap.* 6. *n.* 4. *hujus Libri laudatos*, Timæus, A Gundenclee, Gefranus, Schelammerus, Mauriceau, Roonhuis, Albinus, Viardel, la Motte, Brundelius, Schaccherus, Guillemeau, Paræus, Scultetus, Peù, Voecherus, Deventerus, Melli, Heiſterus, *& Alii innumeri.*
(f) *In Præfat. novæ edition. ad Lectorem.*
(g) Bartholin. *de inſol. Part. cap.* 10. *n.* 8.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Quamvis objiſſe Fœtum aſſeverent Medici, & Obſtetrices, attamen Partum Cæſareum non eſſe prætermittendum.

1. QUID tamen agendum, ſi poſt longas profectò moras Medici, & Obſtetrices Fœtum venire contentum jam planè mortuum conteſtentur? Adhibebitur, eo non obſtante, Cæſarea Sectio: nemo enim certò reſcire poterit illum reverà deceſſiſſe. Et ſanè vel de Fœtu loquimur ante partus tempora extrahendo, vel de Fœtu inſtante puerperio, & utero jam aperto. Si de primo, ejus mortem dignoſcere impoſſibile omnino eſt. Si de ſecundo pluſquam difficillimum. In primo quidem caſu defectus motus nimis leve ſignum, & fallax reputatur: quoties enim Matres ipſæ uſque ad ſeptimum menſem in Fœtu motum non perceperunt? Id olim accidit Matri meæ dum utero geſtaret Infantem, quem deinde incolumem edidit. Bartholinus addit: (*a*) Matronam cum toto novem menſium ſpatio Fœtum moveri non ſenſiiſſet, graviditatem ſuam non agnoviſſe, niſi puerperii hora jam adveniente. Quàm faciliùs autem Obſtetrix falli poterit, quæ ante partus horam Infantes nonniſi mediatè, & ad breve tempus attrectat?

Porro Nati ipſi, & adulti dies totos quamquam vivi ſine apparenti pulſu, ſine motu, ſine reſpirationis indicio perſtiterunt. Quot autem ex illis propterea ſepulchro illati ſunt? Quanto ergo frequentiùs id in Nonnatis evenire neceſſe eſt, qui vita fortaſſe deſtituti non ſunt, etſi motu carere videantur? Quis enim eos manibus contrectare? Quis oculis perſcrutari? Quis eorum pertentare arterias? Quis denique in eis vitæ mortiſve indicia contemplari valebit? Et quidem quamvis Maritus in regionem longinquam profectus, tamdiu perſeveraverit abſens, ut veriſimiliter mortuus exiſtimari debeat; ſolumque commercii defectum ejus mortis indubitatum nuncium impedire; attamen Canonicæ Leges, (*b*) viventem præſumunt, ſemperque Uxori ſecundas nuptias interdicunt. A fortiori ergo Puerculos hoſce præſumere debemus vivos, ut eos liberare tentemus. Quis ignorat divinam miſericordiam in impertiendis ad Hominum ſalutem copioſiſſimis, aptiſſimiſque mediis præſertim elucere? Hæc ſanè miſericordia, mentecaptis ut peccata confiteantur lucida ſub vitæ finem intervalla concedere conſuevit. Hanc ipſam igitur miſericordiam admirabili diſpoſitione inferiores cauſas moderantem piè credendum eſt hujuſmodi Infantulorum vitam ſæpiſſimè tueri, quouſque Partu Cæſareo facillimo quidem remedio extracti, baptizari poſſint. Quanta ſit autem in natis Pueris hujus providentiæ celſitudo Sanctus Franciſcus Xaverius olim ſeſe obſervaſſe teſtatur. *Hic*, ſcilicet in Inſula Amboino ait ille, (*c*) *Oppida ſunt Chriſtianorum omnino ſeptem, quæ ego circumiens Infantes omnes, ac Pueros nondum baptizatos ritè luſtravi, ex quorum numero complures ſub Baptiſmum exceſſerunt e vita: ut ſatis appareret, vitam illis ſuppeditatam divinitùs uſque eò dum ad æternam vitam patefactus aditus eſſet*. Profectò legimus in fide dignis hiſtoriis, Deum ſæpius ad vitam, & Infantes, & Pueros, & Adultos jam extinctos revocaſſe, ut Baptiſmi ſalutaribus aquis abluerentur.

Hiſtoriis dixi, nam probè ſcio quamplures Infantulorum abortivorum reſurrectiones fuiſſe Mulierculárum inventa, quæ variis modis illos calefacere audebant, atque movere, ut vivos oſtenderent, ac Baptiſmate initiarent

(a) Bartholin. *de inſol. Part. cap. 2.*
(b) *Cap. in præſentia de Sponſal.*
(c) S. Franc. Xaver. *l. 2. epiſt. 3.*

cent .[a] At hæ fraudes fidem veris reſurrectionibus non derogant. Siquidem Sancti Stephanus, (b] Martinus, Hilarius, Raimundus Nonnatus, Ignatius Loyola, Franciſcus Xaverius, Franciſcus Saleſius, Camillus de Lellis, ac Beati Benedictus a Sancto Philadelpho, & Marcus Bononienſis, & alii publicis Eccleſiæ honoribus celebres, mortuos Pueros, ut hi Baptiſma ſuſciperent, ad vitam ſuſcitaſſe perhibentur. Ac Beatus quidem Benedictus tribus Pueris; Sanctus verò Ignatius quatuor, aut quinque id beneficium contuliſſe. (c) Addenda prædictis quæ de Martino a Valentia, Joſepho Anchieta, Aloyſio la Nuza, Bernardo Corleonenſi, aliiſque innumeris Dei Famulis tradit hiſtoria. (d) Multos item Pueros ab Abacuis in Braſiliam irruentibus crudeliſſimè ſagittis confoſſos, Joannes Almeida ſingillatim ſpiritu ſuo fovens, vitæ reſtituit quouſque Baptiſmate mundarentur: pluribus idoneiſque Teſtibus juramento adactis rem confirmantibus. [e]

2. Mirabilis item in hac materià fuit, Germani Parvuli ad Baptiſmum recipiendum, vitæ redintegratio, aut ſaltem conſervatio, a Juſto Lipſio, veluti maximè authentica, deſcripta. Ille A. 1428. ſine vita, ſaltem apparenti, natus, & defunctus poſt varia ab Adſtantibus facta experimenta judicatus; ac propterea ſepultus, & humo compreſſus; poſt decimum quintum ab humatione diem Beatæ Mariæ Virginis ope, vivus erutus eſt; & aliorum quinque miraculorum auxilio, & ornamento baptizatus, in Cœlum evolavit. (f) Aliud valdè conſimile miraculum refert Robertus Hautport [g] & ex eo Bagatta. (h] *A. 1582. Eliſabettæ Joannis de Ferin Conjugis Fœtus, quòd mortuus ex alvo materno prodiiſſet; in remoto Horti margine defoſſus fuerat. Itaque dies ſeptimus ſupra decimum agebatur; cum Mater, dolore mitigato, id unum ſpe nova concepta extorſit a Marito, ut Infantis corpuſculum effoderet, hac lege, ut ſi computruiſſet; relinqueraut; ſin reſtitiſſet integrum, aſſumeretur: fortè ſpe haud dubiâ, ut B. Virgo vitam ei reſtituat. Paret ille Uxoris importunis precibus, incorruptum reperit, adſertque ad Matrem. Hæc iter ad Divam Virginem Cervienſem ingreditur, cui a fonte nomen eſt; a fonte inquam vitæ. Vix ibi diſpoſitus Infans jacuerat; cum roſeo colore in genis tingi, calere, reſpirare, aliaque vitæ ſigna præbere. Baptizatur ergo ſummâ cum omnium lætitiâ: perſtititque vivido formoſus colore, donec Cervienſi ex Ditione efferretur: tum enim ſenſim pallescere; prorſus, ut quò longiùs a vitæ fonte abiret; hoc propriùs morti eſſe videretur. Tandem inter Mortales eſſe deſiit, Cælitibus convicturus.*

3. Si autem de Fœtu inſtante jam Partu ſermo ſit: negari non poteſt, rationes paulò ante allatas maximà ex parte pro ejus quoque mortis incertitudine militare, & innumeris experimentis roborari. Heiſterus enim, ut ipſe fatetur, viventem Puerum, quem extinctum putaverat, ferramentis extraxit. [i] In eumdem omnino errorem incidit Peu, qui ſe in Partu difficili quamplurimis enarrat ſignis deluſum, non ſolùm mortui, ſed putreſcentis Fœtus, qui tamen vivebat. Illuſtrius fermè videtur exemplum, quod celeberrimus Fabritius Hildanus Beenenſis, pridie nonas Septem. A. 1605. ſibi contigiſſe teſtatur his verbis: (k) *Murati Matrona quædam honeſta, Judica nomine, per dies ſex Parturientium doloribus laboraverat, ſignaque nonnulla, Fœtum*

(a) Euſeb. Monach. Rom. *in Epiſt. de Cultu Ss. Ignotorum apud Mabillon. tom. 5. Præf. ad ſæc. Benedict.* Statuta *Synod. Philipp. & Guidon. Epiſc. Lingon.* A. 1452. & A. 1455.
[b] Auctor Auguſtino Coævus *de mirac. Sancti Stephani inter oper. ejuſdem Sancti Auguſtini tom.* 7. & S. Auguſt. *ſerm. de diverſ.* 323. & 324.
(c) Mariani *vita S. Ignatii l. 5. c. 7.*
(d) *Legantur* Acta *prædictorum Sanctorum, ac Servorum Dei.*
(e) Anton. Macedo *in vita Joan. Almeid l. 1. c. 7.*
(f) Hautport. c. 142. *de Mirac. B. Virginis Cervienſis.*
(g) Bagatt. Admirand. Orb. Chriſt. *l. 8. c. 2. §. 1. n. 10.*
(h) Juſt. Lipſ. *de Virg. Hallenſi* c. 21. (i) Heiſter. *p. 2. ſect. 5. c. 113.*
(k) Willelmus Fabrit. Hildan. *cent. 1. Epiſt. 3. ad Amandum Polanum, & in Reſpon. ad Epiſt. Michael. Dering.*

in utero mortuum eſſe. aderant. Præcedenti enim die cum rigore quodam Matris, Fœtus moveri ceſſaverat: itaut poſtea neque Parturiens ipſa, neque Obſtetrix, & Adſtantes Matronæ, motum ullum perceperint. Vertex quoque Capitis hujus Fœtus, cum paulatim in conſpectum ſeſe dediſſet; ſphacelatus conſpectus erat: fœtor quoque aderat. Ex his, & nonnullis aliis ſignis, Fœtum mortuum eſſe concluſimus, ſed malè: vivum enim tandem eum extraxi. Sed quia Caput per dies aliquot propter anguſtiam genitalium, [erat enim ea triginta annorum ætatis, conſtitutione corporis ſiccà, nec antea utero geſtaverat] graviter compreſſum; atque ex illa compreſſione inflammatio, atque corruptio ſequuta fuerat; tertio poſt die e vitâ deceſſit.

Si Infantis magnus, & irritus ſex dierum labor, ut ex utero exiret, ſi motus ceſſatio cum Matris rigore, ſi fœtor, atque ſphacelus ipſe viſu, & tactu cognitus in Puero jam pene orto fefellerunt, quodnam erit ſignum illud, quo tutò Partum Cæſareum Defunctarum omittamus?

4. Caſum non valdè quidem diſſimilem ipſe vidi tertio nonas Octob. 1626. cum enim pauperrima Villica in meâ Palmenſi Parœcia occubuiſſet; Senior Obſtetrix cognomine Spina, et Lucianus Taibi Chirurgus inſignis, in Noſocomio Romano Sancti Spiritus pluribus annis eruditus, aſſeverabant, Fœtum ante duos dies objiſſe; at ego nihilominus obfirmato animo omnino incidi Fœminam juſſi, & Infantulam inveni viventem. Eam propterea baptizavi, Placidam appellans, dies enim erat Sancto Placido Martyri ſacra: nec niſi poſt quadrantem diſceſſit e vita. Igitur, ut cum pompâ ſepulchro inferretur, præcepi, & funebre officium ipſe celebravi, ut his artibus rei famâ evulgatâ, cuictæ ad Infirmarum gravi[d]itates mihi denunciandas inflammarentur: quod ex inde ſemper feliciſſimè ſum conſequutus. Incredibile enim eſt, quantam alacritatem, & ſpirituale gaudium inſpirent fidelibus Populis hæc publica de æterna noſtrorum Parvulorum ſalute lætitiæ ſigna. Quamobrem Parochos moneo, ut in hujuſmodi eventibus eadem præſtent, Clerum ſcilicet invitent, ac in Eccleſiam, veluti cum quadam triumphi ſpecie, fortunatos hoſce Agniculos deducant, Boni Paſtoris Evangelici exemplum imitando; qui recuperatam Ovem, in humeros proprios impoſitam, tantà cum exultatione reportat. [a]

5. Hæc a me ſcripta cum legiſſet Joſeph Timpanellus Mazzarinenſis Parochus, omnimodo incidi Gravidam præcepit, fruſtra renitente Chirurgo, qui Fœtum eſſe mortuum judicabat. Is autem vivus inventus eſt: cumque paulò poſt Baptiſmum objiſſet; ſolemni pompa elatus fuit, Populuſque jucunditate maximà expetiit, ut jam in poſterum Partus Cæſareus in eo Oppido, uſque modo inviſus, frequentaretur. (b)

Cum pompà etiam Dominicus Barberius Parochus Jojoſenſis Infantem alium extractum ſepelivit, rei famà vicina Oppida complente, omnibuſque plaudentibus. Quapropter Fœtus, etſi minimi, jam extracti, & baptizati, non ſunt denuo Matris utero includendi, atque ſuendi: ſed apertè ad Populi undequaque intuentis lætitiam in Eccleſiam deferendi: quo nimirùm omnes perdiſcant, defunctis Gravidis, æternam Parvulorum ſalutem eſſe incisione procurandam.

6. Verùm nihil magis arguit Medicorum, & Chirurgorum in detrectandà quandoque ſectione imprudentiam, quàm Sancti Raimundi Nonnati, qui ad Annum 1200. obtigit, mirabilis ortus. [c] Raimundi Mater, poſt infeliciſſimam graviditatem, cum partui proxima in lethale deliquium ex morbo incidiſſet; a Medicis per horas viginti quatuor acerrimis remediis divexata, & demum expergefacta, ſuprema Sacramenta recepit, mandavitque ſui corporis, poſtquam decederet inciſionem, ut Fœtus liberaretur. Ea igitur mortuà, Neceſſarii pro Partu Cæſareo inſtiterunt, ſed incaſſum: nàm Chirurgi, atque Medici obſtinatiſſimè ſunt reluctati: ſtatuebant enim Matris mor-

(a) Matth 18. 12. & ſeq.
(b) *Epiſtola* Joſephi Timpanelli *ad Epiſc. Syracuſ.*
(c) *Mirabilis vita S. Raimundi Nonnati cap. 4.*

morbum Fœtui communicatum utrumque certò extinguere debuiſſe, aut ſaltem violenta illa medicamina, quæ Matri nequaquam profuerant, Filiolum necaſſe; magniſque clamoribus jactabant crudele, & impium eſſe mortuam trucidare, cum conſervatio vitæ in ejus Fœtu juxta omnem artis medicæ rationem omnino impoſſibilis videretur; neque ſine divina revelatione miraculum expectandum, cujus nullum indicium, neq idem dubium appareret. Tribus itaque diebus integris hæc eorum reſiſtentia perduravit, cum totidem diebus Defuncta inſepulta jacuerit: expectabatur enim Cardonæ Vicecomes, illi ſanguine conjunctus, quem Maritus inſtante Uxoris morte advocaverat. Hic tandem cum veniſſet, & rem didiciſſet, Medicos, atque Chirurgos graviſſimè reprehendit: nulla jactura, inquit, in Partu Cæſareo, ſi Puer mortuus eſt: creditis illum periiſſe? Cernamus oculis utrum revera ita ſit. Maternæ ultimæ præces non ſunt ſpernendæ: fortè argumenta veſtra valida ſunt: verùm providentiæ divinæ conſilia non attingunt, quæ de tenebris lucem ſplendeſcere jubet. Cunctantibus illis pugionem exerit, ad cadaver accedit, & lateri vulnus infligit, ex quo Infantulus vivus brachium actutum emittit: eum igitur educunt incolumem, atque jucundum, ſtupentibus omnibus, Patre tamen præ gaudio vix credente. Raimundus autem adultus Cardonæ Vicecomite veluti altero, & ſanè amantiſſimo Patre perpetuò uſus eſt. Neque factum iſtud miraculo adſeribas, nam primò gratis id faceres. Age verò ſit illud miraculum; cum tamen ipſius nulla ſpes antea Medicis, Adſtantibuſque præluxerit; an non poterit Deus eodem conſilio ad aliorum Parvulorum ſalutem ſimilia portenta patrare; quæ neque tu ſperas? Numquid abbreviata eſt manus Domini, vel exſiccata forſan abyſſus miſerationum ipſius?

Concludendum eſt ergo nihil nos detrimenti ſubituros, ubi fiat inciſio, quantumvis omnia ſigna Fœtum mortuum eſſe concla ment: poſſe tamen contra ſpem omnem totum negotium lucrifacero; ut cum Heiſtero, Gobato, Alberto, Nymanno, admonet Hildanus. (a) *Præſtat itaque, is ait, centum Cadavera Prægnantium fruſtra incidere, quàm ſemel permittere Fœtum vivum in utero materno tam miſerè perire, atque ſuffocari; hoc profectò eſſet crudelem, atque inhumanum ſeſe erga Proximum exhibere: imo & juſtiſſimam iram divinam in genus humanum provocare.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Parochus neque Defunctæ Neceſſariis, neque Chirurgis, neque ſuis Adjutoribus, neque aliis fidere debet, ſi verè ſalutem cupit Infantulorum.

1. Onus curandi, ut Partus Cæſareus adminiſtretur, procul dubio præcipuè in Marito Defunctæ, ejuſque Conſanguineis, Hæredibus, Affinibus, atque Domeſticis reſidet. Nihilominus hi omnes, ſive ne mercedem Chirurgo debitam erogent, ſive ne Mortuam ſuam Viventium extraneorum oculis ſubjiciant; opus adeo ſalutare non urgent, neque ſollicitant illud potiùs difficultatibus involventes. Non diffiteor pios etiam, & prudentes Propinquos interdum reperiri: at hi ipſi non raro ſibi perſuadent Fœtum in utero jam vita deſtitutum, & facilè inveniunt ex Obſtetricibus, imo etiam ex Chirurgis adulatores, qui eos in hac pernicioſa opinione confirment: ſive quia & iſti operationem Cæſarei Partus, quæ in ſpeciem fera eſt, & nauſeam movet, aver-

 ſen-

(a) Hildan. *in dicta reſponſ. ad Michael. Doring.*
Gobat. *in Append. 3. ad tract. 2. de Bapt. n. 30.*

ſentur : ſive quia nimis timeant, ne ipſis inſulſè cedat, & eorum exiſtimatio minuatur : ſive quia mercedem ſibi rependeodam fore deſperent : ſive quia tandem id ex humani generis Hoſtis occulta inſtigatione procedat.

2. At pejora dicemus : non deſunt magno numero Propinqui, atque Domeſtici, qui non ſolùm Partum Cæſareum negligunt, vel ſubdolè declinare ſatagunt, ſed ei apertè, ac inhumanè reluctantur. Deficiunt mihi verba ad exprimendam ſceleris hujus atrocitatem : verè inimici Hominis Domeſtici ejus. Panormi circa kalendas Auguſti A. 1743 Conſanguinei Gravidam ſepelire feſtinarunt ; ne ſcilicet ejus prægnatione ad Parochi aures interea perveniente, ipſi ad ſectionem compellerentur. In Agrigentinæ Diœceſis Oppido, mortua Prægnante, Animarum Paſtor (qui rem in Congregatione Parochorum An. 1739. mihi narravit,) accurrerat, ut Puerulo cæteroqui jam Partui maturo extractionem pararet ; at a Conſanguineis Defunctæ repulſus eſt; certè reprehenſibilis, quia non audacter, fortiterque ſe geſſit, neque, uti debebat, ſæculare brachium invocavit. Idem quoque me præſente, contigiſſet Monteregali, quæ tertia Siciliæ Metropolis eſt Eccleſiaſtica pietate, ac litteris florens : Domeſtici enim Defunctæ Chirurgum rejecerant nunquam admiſſuri ni caſu pertranſiens ad inciſionem pœnarum metu compuliſſem. Graſſus Aragoniæ Archipresbyter in eadem Congregatione retulit, ſibi olim ignivomis armis obſtatum, ne Defunctæ diſſectionem curaret : ſe autem divino fultum præſidio a præclaro facinore non deſtitiſſe, & Infantem feliciter liberaſſe.

3. Verùm hæ legitimæ prægnationes erant : quid ergo augurandum de infamibus, & occultis? In his abſque mora, ſine conſultatione Propinqui Fœtum cum Matre ad ſepulchrum quàm citiſſimè deducunt, rem totam altiſſimo ſilentio prementes, neque propterea conſcientiæ angore cruciantur. Sedulo igitur mala iſta prævertant Sacerdotes maximè Parochi : nam ex Edicto Agrigentino : (a) *Quamvis in occultis graviditatibus omnis quantùm fieri poteſt circumſpectio, quam ſuggeret chriſtiana prudentia in uſum venire debeat ; nihilominus nunquam æterna Infantis perditio erit permittenda.* Idem onus ex Charitatis Lege quibuſcumque graviditatis conſciis incumbere, non eſt ambigendum. Sed o caſus verè deplorabiles, & ſimul nimium, heu nimium frequentes, qui zelum Sacerdotali pectore verè dignum expoſcunt! Parochi Adminiſter faſſus eſt mihi in ejus Parochia 24. millium Incolarum, habita ratione Infantium tum Abortivorum, tum etiam cum Matre ſepultorum, viginti circiter Animas quotannis perire ſolitas. Tam enormem verò circa Cæſareum Partum vecordiam plurimis in Regionibus graſſari non dubito. Bartholinus (*b*) eamdem in ſua Dania vigere deprædicat, meminitque Gravidæ Friburgi enectæ, dolens de Infantis, qui vivum ſeſe motu indicabat, perditione, ac de homicidio Negligentium culpa duplicato. deteſtatur inde funeſtum caſum Olbeccæ, ubi Carnifex Gravidam occidit, ex qua dum ſepeliretur, duo Canes hinc inde binos Geminos, quos ea geſtabat utero, diſcerpſerunt. Joſeph Coppula Epiſcopus Aquilanus (*c*) teſtatur in ſua Provincia, ſi Civitates excipias ; vel ipſum Partus Cæſarei nomen ignorari. Mauriceaus e Galliis ſcribit, (*d*) ſe Defunctam prægnantem incidere a Patre illius impeditum. De Germaniæ incuria videndus Gobat, (*e*) & Heiſterus : (*f*) hic autem jam a Prægnantis Viro, jam a Fratre vel igneo tormento a ſectione prohibitus ; apertè dicit : ſcelus hoc vivos humandi cum Matre Pueros longè, latèque in toto Terrarum Orbe dominari.

4. Verùm quis crederet? Nonnunquam Cæſareum Partum impediunt illi

ipſi

(a) *Edictum* Laurentii Jojenii *Epiſc. in Append. huj. oper.*
(b) Bartholin. *de inſol. Part. c.* 12.
(c) *In Epiſt. ad Clariſſimum Georgium Guzzetta Orat. Panorm. Presbyt.*
(d) Mauriceau *obſerv.* 345.
(e) Gobat. *de Bapt. tract.* 2. *cap.* 8. *n.* 260. *& ſeq.*
(f) Heiſter. *p.* 2. *Chirurg. c.* 113. *n.* 3. *in not. ad litt.* C. *& c.* 154. *n.* 1. *in not. ad litt.* A

ipſi Magiſtratus, qui maximè urgere tenerentur. Inſtabat pro nonimeſtris Gravidæ inciſione Parochialis Æconomus in Syracuſana Diœceſi; at vetuit Oppidi Gubernator, nequid novi, ut ipſe effutiebat, in loco fieret. Igitur Fœtum vivum cum Mortua ſepelierunt. Oportet ergo in his Parochum apoſtolica libertate Dei cauſam agere, nulli vero fidere neque Chirurgis, neque propriis Adjutoribus, quamvis Defunctæ Conſanguinei ſectioni aſſentiantur. Chirurgi enim, ut verbo rem abſolvam, non ſunt Animarum Curatores: Parochorum verò Adminiſtri (multorum veniâ dixerim) non ſemper eodem zelo, eademque ſcientia ornantur, quibus perſæpè fulget primarius Paſtor: certè nunquam eadem auctoritate pollebunt; quapropter ſemper minus obſervantur, minuſque timentur: itaut periculum non rarò ſit, ne ſi res tanta eorum curæ permittatur, ob improviſum aliquod, & intempeſtivum obſtaculum infeliciſſimè ſuccedat. Recta benè gubernandi ratio poſtulat, graviora negotia eorum tractari manibus, qui a Domino ſunt ad ea gerenda præcipuè conſtituti, quibuſque præ omnibus Animarum onus incumbit. Cura autem Cæſarei Partus, ut ipſe poſt duodecim Parochatus annos fidenter dicam; tum propter ipſam rei magnitudinem, & impedimenta, quæ paſſim interponuntur, tum propter celeritatem, quam exigit: non ſolùm graviſſima cenſenda eſt, ſed longè cunctis aliis antecellit.

5. Antequam Parochus A.1736. neceſſarium iter inſtitueret, diligentiſſimè commendavit Vicario ſuo, cæteroqui pio, de Nonnatis ſollicitudinem. Hic autem poſtquam Moribundæ prægnanti cum Chirurgo aſtitiſſet; in domum ſuam, quæ non longè diſtabat, paululùm quieturus diſceſſit: admonens tamen illum, ut adveniente inciſionis horâ, ſe per nuntium revocaret. Muliere mortua, nuntium mittit Chirurgus: at Sacerdotis Domeſtici non intelligentes quanta feſtinatione opus eſſet, eum a ſomno excitare neglexerunt. Chirurgus igitur ob Sacerdotis abſentiam animo concidit, & re infecta recedit. Cum autem Vicarius tandem expergefactus Chirurgum aliò digreſſum audiiſſet, credidit Puerum repertum ab eo ſine dubitatione defunctum. In ſumma negotium implicatur: mortua Mater ad ſepulchrum unà cum Fœtu adhuc indubitatè vivo defertur; ut ex ventre ſeſe nunc attollente, nunc deprimente quædam Fœmina animadvertit: quæ tamen rem ſibi reſervans, Presbytero funeris officium celebranti non aperuit: nec niſi poſt biennium Parocho revelavit, eum inſanabili animi vulnere ſaucians. Dolebat enim vehementiſſimè, quod inter tot Infantes a ſe liberatos, hic miſer aliorum incuriâ, & ſtultitià periiſſet.

6. Parochus igitur aliis Sacerdotibus, præſertim qui moribundis auxiliari conſueverunt, ſignificabit, velle ſe ad Gravidarum mortem, & quidem præmaturè advocari; monens tamen, quod ſi fortè ſe abſente Prægnans expiraverit; ad inciſionem procedant, ne ipſum expectando tempus cùm Infantis periculo delabatur.

In Cataneſi Edicto ſub excommunicationis pœna præcipitur Parochis, ne morientem Gravidam deſerant, ſed Chirurgis præſentes ad finem uſque operationis immineant. Et profectò tamquam ſibi dicta recogitare debent davidica illa verba, quæ ſæpè cordis ſui auribus pro Pueris intonari perſentiebat B. Joſeph Calaſanctius. *Tibi derelictus eſt Pauper, Orphano tu eris Adjutor*. Nam in aliis, præſertim Defunctæ Neceſſariis, fidem reponere, intolerabilis ignaviæ eſt, atque dementiæ.

CA-

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Officio Magiſtratuum Eccleſiaſticorum, & Sæcularium in promovendo Partu Cæſareo; cogendiſque Defunctæ Propinquis ad illum permittendum.

1. CUM certiſſimum ſit Defunctæ Propinquos, ac Domeſticos, ubi inciſionem negligerent, vel prohiberent; Peritos verò ubi exequi recuſarent, vel differrent, peccare lethaliter, ac necis Pueri tum temporalis, tum æternæ reatum incurrere: (a) Parocho omni ope nitendum eſt, ne Mortua ante ſectionem ſepulturæ mandetur: ſecus agens, ubi ſaltem Fœtus potuerat eſſe vitalis; equidem non video quomodo ab irregularitatis pœna ſit eximendus; nimirùm propter Infantis mortem culpabilem, etſi non intentam, quam ex officio tamquam miſerabilium Pater impedire tenebatur. Inde eſt, quod in variis Siculorum Epiſcoporum Edictis contra prædictos omnes excommunicationis latæ ſententiæ pœna ſtatuitur.

Parochus ergo, ſi quando repugnantes offenderit Domeſticos, vel Chirurgos, primò Divini Judicii ſeveritatem interminabitur, quo Parvuli quidem Baptiſmate non expiati perpetuo a cœleſti Patria exilio mulctabuntur: qui verò eorum perditionis cauſa quomodolibet extiterint, in Tartarum cum Apoſtatis Angelis ſempiterno igne cruciandi tradentur. Secundò, ſi pertinaces viderit ad Epiſcopum, alioſque Magiſtratus Eccleſiaſticos, aut Sæculares confugiat illico [nam Sæculares ipſi arctiſſima obligatione, ac ſub peccato mortali, & ſyndicatus cenſura ad auxiliare brachium impertiendum adſtringuntur;] quò tam Conjunctos, quàm Chirurgos, atque alios tempeſtivè compellant. (a) Attamen, quod rei caput eſt, interea luſtralis aquæ aſperſionem, quam ultimum valu appellamus, denegabit; ne qui licet Regulares Cadaver efferre audeant, certè graviſſimas pœnas alioquin ſubituri. Agrigenti Vir primarius inciſioni Uxoris obſtabat; verùm Civilis Poteſtas, cujus brachium Vicarius Capitularis invocaverat; Militum probatorum turmam immiſit, quæ circumdatis ædibus, illum coercuit. Deferet autem Parochus ad Epiſcopum contumaces, non ſolùm ut hos ille re integra omni contentione cogat ad officium; ſed ut pœnis canonicis puniat, ſi propter ipſorum obſtacula Partus Cæſareus omiſſus fuerit: vel ſi fortè peractus quidem, ſed incaſſum: Parvulo ſcilicet propter moram interea defuncto. Infra tamen indicabimus pœnas alicubi ſtatutas, vel quas ſtatuere poſſit Epiſcopus, nimirum ſpirituale homicidium, Eccleſiæ injuriam, & Chriſti ſanguinem vindicaturus. Teſtes igitur ſibi rogabit Parochus de diligentia, & exhortationibus a ſe adhibitis, uti Gobatus, docuit ac Manuale Parochorum: *Quare ſi opus eſt, auctoritate Magiſtratus, aut comminatione delationis ad Epiſcopum, quoquomodo rem urge, hujuſmodi diligentiæ Teſtes adhibe: ut de præſtito tuo officio conſtet. Multa inquies mandas: verum eſt, ſed tanti eſt Infanti periclitanti Parochum non defuiſſe.* Parochi namque in his negligentes criminali judicio ſiſtendi ſunt, atque plectendi, tamquam in munere ſuo enormiſſimè delinquentes.

2. Et hæc quidem Animarum Paſtores. Magiſtratus autem Laici jure communi a Priſcis Romanorum Regibus emanante, eos, qui Gravidam non facta priùs exciſione ſepeliunt, veluti ſi Matris ſimul, & Fœtus eſſent homicidæ, ſupplicio addicent: (b) *Spem enim animantis cum Gravida perimiſſe videntur.* Quam Legis profectò ſententiam, cætero-

(a) Poſſevin. *de Offic. Curat. cap. 6. de Bapt. n.* 19. Manual. Paroch. *par. 2. c. 2. n. 2.* Gobat. *de Bapt. tract. 2. c. 8. n. 260. & ſeq.*
(b) *L. Negat. DD. de mort. inferend.*

roqui juri naturali apprimè conſonam. Judices, qui parvipendunt, graviſſimè peccant.

4. Neque tantùm ad Fœtum liberandum Sæculari Poteſtati Partus Cæſareus promovendus eſt: ſed propter alia quoque bona ſine dubio non contemnenda: nam (quod bene animadvertit Heiſterus) multum proderit ille, ut Medici, Chirurgi, atque Obſtetrices figuram, magnitudinem, & conſtitutionem inſpiciant abdominis, & uteri; ſitum quoque Fœtus in eo, ſecundinarum diſpoſitionem, earumque cum utero ipſo medio funiculo umbilicali, & Placenta connexionem. Quæ notiones ad alias Puerperas adjuvandas erunt utiliſſimæ. Deventerius addit Cæſareis Inciſionibus deprehendi utrum inepta Obſtetricis, vel Chirurgi manus cauſa fuerit mortis in Parturiente: quo caſu a Magiſtratibus mulctari poſſent, aut ſaltem ſerio moneri, ut accuratiùs artem addiſcant. Videndi etiam Juriſconſulti præſertim Fæltmannus, (*a*) ac Vviduogellius in celebri diſſertatione, quam A. 1716. Jenæ edidit de Jure Embryonum. Quæ tamen ad excutiendam Magiſtratuum, & Medicorum, aliorumque, ad quos attinet, ſocordiam in Partu Cæſareo omittendo ſcripſit Heiſterus; aureis litteris mererentur exſcribi.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Peritis, cæteriſque deficientibus charitatem urgere quemlibet alium, etiam Sacerdotem, ac maxime Parochum, ad Partus Cæſarei miniſtrationem.

1. DIximus eum, qui Oculum, Manum, & Novaculam, vel ſimile aliquod habet inſtrumentum (Perito abſente, vel fortè nolente) quamvis uſu non edoctum, poſſe in extrema neceſſitate inciſionem adoriri. At ſi poteſt, charitatis lege tenebitur. Quo circa in caſibus his Magiſtratus eos cogere debent, quos aptiores huic operationi arbitrabuntur: puta ſolertem Virum, vel Mulierem animoſam, & dexteram; publica namque Auctoritas poterit etiam, uti Juriſtæ omnes monuere; ubi deeſſet Carnifex, quamvis vel ſolum hujuſmodi nomen ipſi naturæ horrificum ſit, & abominabile; alium compellere Carnificis vicem ſuppleturum. Et quidem id officii hodie Lanionibus alicubi deſtinatur. (*b*) Imo Nobiles olim ipſi neutiquam dedecori ducebant Reipublicæ in tali quoque miniſterio deſervire: quod ex ſacris ipſis Bibliis planè manifeſtum adnotavere Eruditi. (*c*) Quanto magis ergo poterunt Magiſtratus quempiam adigere, qui miſericors, & honorabile Chirurgi munus adimpleat, ad Infantulum periclitantem a morte temporali, & æterna vindicandum? Publicæ tamen auctoritatis ad ejuſmodi finem imploratio Prægnantis mortem præveniat: ne fortè dum tempus huc, illucque diſcurrendo, dilabitur; Infans interea moriatur, & auxilium evadat ſerum, & inutile.

2. Si

(a) Fæltmann. *De non humanda Muliere, quæ utero gerit. L. de Cadav. inſpic.*

(b) Bartholus, Baldus, de Benedictis, Clarus, aliique cum Muta *in Pragm. Reg. Siciliæ tom. 1. tit. 52. n. 7.*

(c) 2. Reg. 1. 15. & 4. 14. *Item* 3. Reg. 2. 25. & 34.
Caſſanèus *in conſuet. Burgund. tit. de Juſt.* §. 7. *n.* 42.
Tholoſan. *Syntagm. p.* 3. *l.* 31. *c.* 38. *n.* 3. & *ſeq.*
Bobadilla *Polit. l.* 2. c. 3. *in fine.*
Jo: Hensler. *in tom.* 3. *Jur. Publ. var. Theſ.* 49.
Latiſſimè Ricciulli *de Perſon. Reprob. l.* 12. *c.* 7.
Didac. Perez *ordin. Caſtell. l.* 2. *tit.* 14. *leg.* 38. *l. A.*

2. Si obierit ergo Prægnans, & nemo reperiatur, qui inciſionem exequi poſſit, vel exequi velit, non Chirurgus, non Obſtetrix, non Barbitonſor, non alius; quid tum conſilii capturus erit Sacerdos maximè Parochus? Sinet ne Fœtum vivum, nec baptizatum cum Matre ſepeliri? Tanto erit ille animo, ut æternæ perditioni derelinquat Puerum ſuæ charitati, & curæ commiſſum? Tantâ certè magnanimitate fuerunt nuper duo Parochi, Monteregalenſis quidem Diœceſis unus, Panormitanæ alter, qui mihi rem ingenuè faſſus eſt. Quid conſilii capturus erit Sacerdos, præſertim Parochus? Ipſe ipſe Novacula armatus inciſionem aggrediatur. Ita monent Edictum Catanenſe numero tertio, & Agrigentinum num. 4. & Pactenſe num. 9. quæ dabimus in Appendice. Hiſque conſonat Vaneſpen, (a) cujus verba in Edicto Catanenſi afferuntur.

3. Superfluum fortè videri poſſet, quod in his Edictis Parochi admoneantur, ne propter ſcrupulos a facienda per ſe ipſos inciſione deſiſtant. Etenim quis neſciat, ſi de præcepto non exercendi Chirurgiam ſermo ſit; illud non obligare in tam extrema, & inevitabili Animæ, corporiſque neceſſitate? ſi verò de irregularitate, quam ex defectu lenitatis appellamus; hanc non habere locum niſi in occiſionibus, vel mutilationibus vivorum corporum? Nihilominus prudens, atque laudabilis eſt monitio: ſuboriri enim facilè poterat hic ſcrupulus ruralibus ſaltem Sacerdotibus. Equidem Parochum doctum, & zelo præditum novi, qui Prægnante mortua cum Chirurgus non ſuppeteret; ejuſque Vicarius ſeſe promptum ad ſectionem offerret; hunc a cæſione metu irregularitatis abſterruit, Fœtu interim pereunte. Adeo verum eſt in improviſis, gravioribuſque caſibus, pleroſque omnes navigantibus tempeſtate jactatis evadere ſimiles, de quibus ſcriptum eſt: (b) *Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut Ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt*. Ea ipſa, quæ ſcimus, obliviſcimur, & a ſubitaneis, contrariiſque cogitationibus confuſi, atque implicati pejora ſæpè deligimus: quod Viris etiam doctiſſimis non rarò contingit.

4. Verùm ne quod Edictis comprobantibus propoſuimus, durum atque indecens aliquibus fortaſſe videatur; non abs re erit, id ipſum theologicis rationibus illuſtrare. Supponendum eſt itaque novum nullatenus eſſe: charitatis legem compellere nos, ut Proximi vitam ſpiritualem noſtræ corporali vitæ anteponamus. Id enim ex Ipſius Chriſti Domini Redemptoris noſtri doctrina, atque exemplo validiſſimè firmatur. Propterea Auguſtinus: (c) *Plus debemus*, ait, *diligere Proximum, quàm Corpus proprium*. Id ipſum docuit cum ſchola ſua Divus Thomas. (d) *Et ideo Proximum quantùm ad ſalutem Animæ magis debemus diligere, quàm proprium Corpus*. Profectò ſicuti divina quadam luce, ac ſubtilitate argumentatur Angelicus Doctor. Societas in plena beatitudine, quæ eſt ratio amandi Animam Proximi, cui Socii deſtinamur; major eſt participatione Beatitudinis per meram redundantiam, quæ ratio validiſſima eſt proprii corporis amandi. Quocirca etſi plerumque propriam vitam pro Proximo contemnere ſpectet ſolùm ad perfectionem charitatis: ubi tamen caſus eveniat, quo ad providendum ſaluti Animæ ipſius teneamur; tunc ad indeclinabilem tam præclaræ virtutis neceſſitatem pertinebit.

5. His ergo præjactis, ſciendum etiam, Doctores docere communiter, onus ſeſe in mortis periculum conjiciendi, majus eſſe onere ſeſe alicui moleſtæ, atque gravi tentationi exponendi: eo quod primum inſuperabile a noſtro libero arbitrio ſupponatur, ſecundum verò ab eodem libero arbitrio cœleſti auxilio roborato ſatis vincibile ſit. Quotieſcumque igitur ad ſubeundum etiam mortis periculum Lege Divina tenebimur; a fortiori ad ſubeundum ingentis tentationis periculum teneri neceſſe eſt. Porro obligatio conferendi Baptiſmum Puerulo,

qui

(a) Vaneſpen *p. 2. tit. 2. de Bapt. c. 4. n. 25.*
(b) *Pſalm.* 106. 27.
(c) S. Auguſt. *de Doctr. Chriſt. l. 1. c. 27.*
(d) S. Thom. 2. 2. *q.* 26. *A.* 5. *per tot.*

qui in extremis exiſtit, adeo urgentiſſima creditur; ut non ſolùm illam Theologi imponant, etiam in conſpectu vehementioris tentationis, quæ inde patenter immineat: ſed eorum plurimi ipſam extendant ad caſum, in quo Sacerdos, ut Infantem moribundum in Regionibus Infidelium baptizet, propriæ occiſionis manifeſto diſcrimini ſubjacere cogeretur. Ita Bannez, Ochaga, Ledeſma, Choninchus. Quamobrem Armilla, cum Thoma Sanchezio [a] docet, ut ſi Parvulum morientem ſum baptizaturus, inimici verò me interfecturi ſuperveniunt; effugere ad evitandam mortem non poſſim. Quod etiam alii morales Theologi, cæteroqui ex benignioribus Probabiliſtis, quos brevitatis amore prætereo, voluere.

6. Fateor Joannem Sanchez (*b*) opinari, non eſſe præceptum adire mortis periculum, ut quis Infantem baptizet: at hoc non obſtante concedit præceptum ipſum urgere, ubi periculum tantùm eſſet defectionis a fide: propter ſuperiùs allatam ſcilicet rationem: primum enim diſcrimen humanæ voluntati erit inſuperabile, ſuperabile verò ſecundum: & hanc doctrinam ampliat Chirurgum adſtringens, ut nequidem cum peccati periculo a curatione muliebrium verendorum poſſit excuſari: quod certè notatu dignum exiſtimo: comprobat enim eamdem vigere obligationem in ipſo ad Obſtetricis munus exercendum ubi neceſſitas poſtularet. Imo nequaquam negat idem Sanchez debitum iſtud ipſimmet vitam contemnendi, ut Parvuli ſacra lotione abluantur, habere locum in Parochis. *At licet*, inquit, *cum periculo amittendi fidem conſtrictus ſit Fidelis Puerum baptizare, quando ſolùm inductione, ſeu precibus metueret illam amittere: credo tamen non teneri quando mors eſſet illi inferenda, niſi fidem negaret: quia in primo caſu nulla infertur vis ad negandam fidem, & poterit Fidelis illam non amittere abſque detrimento: non ſic in poſtero caſu, unde credendum eſt Soto, & Sà cenſentibus neminem cum periculo vitæ teneri Infantem baptizare, niſi fortè in caſu, quo pactum intercesſiſſet de non omittenda cura Animæ Proximi: qua ratione Parochos obnoxios reddi Sacramenta miniſtrare ſuis Ovibus cum periculo vitæ, præcipuè Pœnitentiæ, cum ob id decimas, & cætera emolumenta percipiant; tenent Doctores. Eodem igitur modo vitam Mariæ erit adſtrictus Joannes conſervare, licet adſit periculum lapſus, & Chirurgus tenebitur verenda Fœminæ curare, licet cum periculo conſenſus in peccatum; & ſi in domo eſſet Parvulus, qui ſine Baptiſmo moreretur; tenetur ingredi domum; etſi ſequatur ſcandalum.*

7. Hoc verò temperamentum non placet Gobato, Doctori cæteroqui blando, & duris opinionibus nequaquam aſſueto. Is quamvis (*c*) acutam laudet Sanchii differentiam inter periculum peccati, quod eſt malum ſatis ab humano arbitrio evitabile, ac periculum mortis, malum nempe quod ab eodem arbitrio evitari non poteſt; nihilominus cenſet, non ſolùm adeſſe obligationem baptizandi Infantem cum periculo tantùm peccandi, ſed etiam vitam ipſam profundendi, tum ſi baptizaturus ipſe ad æternam Parvuli ſalutem procurandam ex juſtitia teneatur, ut accidit in Parochis; tum etiam ſi ſolummodo ex charitate, uti contigit in aliis.

8. At nihil eſt in Gobato lectu digniùs his, quæ de Conſtantienſi eventu perſcripſit, quæque Stephanus a S. Paulo probavit, in eumdem Auctorem cæteroqui non admodum propenſus.

Caſum alterum, ait ille, (*d*) *comprehendit reſolutio notabilis quæſtionis, propoſitæ mihi non ita pridem. An ſcilicet Vir teneatur ſub mortali fungi Obſtetricis officio, tunc quando nequit aliter ſalvari Mater, & Fœtus. Rationem*

O qua...

[a] Armilla *v. Defenſio n.* 3.
Thom. Sanchez *de Matrim. l.* 9. *diſp.* 20. *n.* 17.

[b] Joann. Sanchez *in ſelect. diſp.* 10. *n.* 9.

[c] Gobat. *tract.* 2. *de Bapt. caſu* 7. *n.* 237.

[d] Stephanus a S. Paulo *in edit.* 3. *Theolog. Moral. tract.* 3. *diſp.* 3. *n.* 5.
Gobat, *dicto tract.* 2. *de Bapt. caſu* 5. *n.* 195. *& ſeq. facit etiam* Cupetiol. *in defenſ. Guald. Bapt. Infant. n.* 9.

quærendi dedit Sacerdos hujus Diœceſis defunctus ante plures annos, qui perſæpè coram multis narravit, [*& inter cæteros Sacerdoti alteri, ex cujus non bilingui ore habeo;*] *ſe ruri iter agentem fuiſſe a Puerpera jacente non procul a ſemita conſpectum, ac lamentabili voce rogatum, ut ſibi ocyùs ferret opem: cum accurriſſet, dixiſſe illam: mi Domine ſæviſſimi dolores partus me obruerunt hìc ex improviſo: niſi mihi obſtetriceris, peribo ego, Proleſque in utero meo. Te igitur per Deum rogo, & per extremum judicium, ut extremam neceſſitatem præſertim Prolis præponas meo, tuoque pudori. Paruit ille precibus, atque utramque ſervavit invitus in vita. An licitè? An neceſſariò paritum? Et quid ſi ejuſmodi eventus repeteretur, repetendumne foret hoc heteroclitum exemplum Charitatis?*

9. *Reſpondi factum illud neceſſariò imitandum, ſi ferat occaſio. Primò ratione Prolis alioquin perituræ Animâ, & Corpuſculo: probabimus quippe caſu ſexto vitam ipſam quoque eſſe diſcrimini exponendam pro illa. Secundò ratione Matris: etenim pro conſervatione vitæ alienæ ſubeundam eſſe hujuſmodi moleſtiam, animo caſto conſideranti illud Apoſtoli, omnia munda mundis, graviſſimam, haud difficulter conficies ex iis, quæ Commentatores Sancti Thomæ 2. 2. q. 26. art. 4. & 5. edifferunt de obligatione ſuccurrendi Proximo verſanti in extrema neceſſitate corporali. Suppono autem Sacerdotem illum prudenter credidiſſe imminere tale periculum. Vide doctrinam adferendam num. 237.* [eſtque omnino illa, quâ Sanchezii diſtinctionem a nobis numero ſexto capitis hujus allatam reprobavit.] *Et ſi fortè obtingat tibi ſimilis caſui hìc deſcripto, cogita, an non poſſis ſine periculo Parturientis, aut Fœtus imitari quemdam eximiâ doctrinâ, prudentiâque Parochum, qui prope Pagum Vuolmedingam, Urbi huic Conſtantienſi vicinum, cum incidiſſet in ejuſmodi Parturientem, rogareturque opem; reſpondit: ſe fortaſſe potiùs obfuturum, quàm profuturum ſi tentet; at verò celeri curſu perrecturum ad Pagum, miſſurumque Peritiores.*

10. Ex his igitur omnibus clarè patet, Gobatum juxta Theologica principia, & maximè juxta Divi Thomæ ſcholam a fortiori Sacerdotem, & multò magis Parochum ad Partum Cæſareum Defunctarum peragendum obligare. Quis enim non immaniter periculoſiùs judicabit Obſtetricis officium exercere in Vivente, quàm Mortuæ tantùm incidere Abdomen? Idque tum ſpectatis actionibus ipſis, tum etiam duplici ſpectato peccandi periculo præſenti ſcilicet ac futuro tam Adjuvantis, quàm Adjutæ: a quibus tamen periculis mortua erit procul dubio immunis.

Urraca Navarrenſium Regina prægnans, confoſſo a Mauris per lanceam ventre in prœlio ceciderat: (*a*) ejuſq; cadaver a ſuis derelictum jacebat in Sylva. Poſt aliquot nihilominus horas cum Inſignis Guevarà gentilitii hujus cognominis Princeps, eò pertranſiret; animadvertit Parvulum, qui utero geſtabatur, manuſculam ex vulnere protuliſſe, atque inutilibus conatibus, quaſi opem inſtanter expoſcere: Magnanimus Heros gladio vulnus confeſtim ampliavit, & extraxit Infantem. Atque hic fuit Garſias ille regium deinde Thronum adeptus, & bellorum gloria percelebris. Animo ergo ſibi fingat Sacerdos Nonnatos Infantes, qui in eodem diſcrimine verſentur, ſimili modo ac olim Garſias, ad ſe quoque tremulam manum, veluti auxilium præſtolantes extendere, imo recogitet Chriſtum ipſum Puerulum ſibi dicere: quod uni ex his verè minimis meis feceris, mihi facies.

11. Urgente itaque Partus Cæſarei neceſſitate Sacerdos charitate, & fiducia in Deum armatus ad glorioſum facinus ſeſe accingat. Græca Eccleſia in Cathecumenis baptizandis, etiam Mulieribus, plures corporis partes inungit. Ritus iſte nimis erat durus pio Presbytero Cononi: (*b*) quare de baptizandi officio dimittendo ſeriò cogitavit: verum ad ejus

(a) Roderic. Tolet. *Hiſt. Hiſp. l. 5. c. 22.* Marinèus *lib.* 8. *Rer. Hiſp.* Vaſæus *in Chron. A.* 860.

(b) Joann. Moſch. *in Vitis SS. PP. apud Eribert. Roſvveid. lib. 9.*

ejus animum erigendum, ſolator aſtitit ipſi Divus Joannes Baptiſta dicens: *Ego te ab hoc bello liberabo*. Cum tamen hoc non obſtante ab Eccleſia Conon aufugeret; ei denuo Chriſti Præcurſor ſe viſibilem præbuit, & fugam reprehendit: adeo verum eſt, eum, qui divinæ voluntati obtemperando, ut ſuo muneri ſatisfaciat, periculum ſubit, Dei omnipotentiam ſemper, & ubique propitiam experiri, cujus tutela, & auxilio glorioſum de inimicis ſuis triumphum reportabit: præſertim ubi non ſolùm neceſſitas extrema patenter eſt, ſed magnum inde ſperatur divinæ gloriæ incrementum. Sacerdos igitur currat ad Pueros iſtos, etiam inciſione, liberandos; iniquorum verò Hominum qui Mundo numquam deerunt, quique uti Divus Taddęus Apoſtolus ait, quæcumque ignorant, blaſphemant, ſibilos atque latratus mente ſecura contemnat.

12. His, quæ hic olim ſcripſeram, animatus Parochus e Mazarienſi Diœceſi amiciſſimus, propter Barbitonſoris imperitiam Partum Cæſareum nuper ipſemet aggreſſus, Puerum ſervavit. Sed ne Parochi ad hujuſmodi anguſtias redigantur; expoſcit prudentia, ut præmaturè ſatagant, juxta prædicta, pleroſque habere in Parœcia, operationis Cæſareæ peritos, Obſtetrices nimirùm, Barbitonſores, & maximè Chirurgum aliquem ſincera pręditum charitate, qui ad Parvulorum nonnatorum piam hujuſmodi venationem ſeſe paratum ſemper exhibeat. Hunc in ritu baptizandi ſedulò erudient pro eventibus, in quibus Miniſtri Eccleſiæ præſto eſſe nequirent: eumque interea præcipui amoris affectu, omnibuſque officiis proſequentur, ac ſibi devincient. Præterea ſtudebunt Parochi, præſertim Oppidulorum, ut ipſimet aliquam Partus Cæſarei efficiendi notitiam adipiſcantur, neque eam dedignabuntur, aut negligent magnarum Urbium Paſtores: in his enim ſi neceſſitas eſt improviſa, difficiliùs per diem inveniuntur Chirurgi: huc illucque diſperſi. Quocirca periculum eſt evidens, ne, dum eos circumcurſando quæramus, Puer interea ſine Baptiſmo decedat. Habebit etiam Animarum Curator pro caſibus inopinatis novaculam, qua uti poſſit Obſtetrix, aut alius, qui Chirurgi defectum erit ſuppleturus. Ubi tandem a vera, & inevitabili neceſſitate ſe adſtrictum omnino conſpexerit; ne infelicem Animulam in æternum interitum ruere permittat; ipſe in nomine Domini inciſionem aggrediatur, duplici mercede pro duplici labore, & extracti, & baptizati Infantis a Deo remunerandus: Pater verè Spiritualis, quia illum Chriſto regenerat, & corporalis quodammodo Mater, quia videlicet eumdem artificioſo partu edit in lucem; quem etiam brevi, ſi mox ille uti contingere ſolet, obierit; acerrimum in Cœlis habebit advocatum. Profectò etſi complures fortè ab æterna morte Animas eripuerit; de nulla tamen potiori jure valebit in Deo gloriari, verè miniſterio ſuo liberatam. Adulti enim ſalutaribus actibus ad propriam juſtificationem cooperantur. Pueris jam natis non deerunt Sacerdotes, pro Parocho baptizantes, ubi laborem ipſe refugiat; ſed Infantium defunctæ Matris utero concluſorum ſalus tota pendet a Parocho, ejuſque charitatis eſt fructus. Si autem S. Jacobus Apoſtolus pro admirabilium documentorum ſuorum coronide ad Epiſtolæ finem dixit: *Qui converti fecerit Peccatorem ab errore viæ ſuæ ſalvabit Animam ejus*, (ideſt propriam juxta Græciſmum,) *& operiet multitudinem peccatorum*. Quid ſentiendum erit de Parocho, qui non viam dumtaxat ad ſuperos demonſtrabit Puero, per quam is propriis, ut ita dicam, pedibus incedat; ſed ſuis ipſe manibus arreptum in æternæ Beatitudinis throno collocabit?

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Abortum Procurantes, Partumque Cæſareum Negligentes, vel Impedientes plurium nonnunquam Homicidiorum reatu fœdari. Monitiones ad Obſtetrices, & Chirurgos ut inquirant utrum Fœtus ſit unus, an multiplex.

1. HEu quàm ſapientiſſimè Rex, & Propheta conqueritur. *Delicta quis intelligit?* Quot, enim, & quanta ſæpè in uno facinore ſunt ſcelera! Sanè qui Abortum procuravit, vel inciſionem defunctæ Prægnantis neglexit, vel prohibuit, nonniſi uni Parvulo ſe nocuiſſe arbitratur: eum tamen ſi fortè multiplex erat Proles, pluribus re ipſa mortem intulerit. Idem ex S. Auguſtini doctrina (*a*) judicandum de iis, qui conceptionem præpedirent. *Mulier autem quæcumque fecerit hoc, per quod jam non poſſit concipere: quantoſcumque parere poterat, tantorum Homicidiorum Ream ſe eſſe cognoſcat.* Virile ſemen, uti diximus, vel ejus quandoque aura fœminea ova fœcundat: quotque ex illis invenerit matura, totidem fœcundatione complebit; totidemque Fœtus propterea germinabunt. Cum igitur in unoquoque duorum Dydimorum, ex quibus muliebre conſtat ovarium, nunc duodecim, nunc viginti, nunc triginta ova ſervari ſoleant; ſi duo ex illis fœcundationem ſortiantur, Gemelli naſcentur, ſi tria Tergemini &c. Inſuper ſi bina fortè ova ſub eiſdem exiſtant pelliculis, communibus quoque ſub ſecundinis Fœtus ipſi neceſſariò formabuntur: ſi ſingula tamen ova proprias habeant pelliculas, uti regulariter fit; Gemellorum quiſque propriis certè membranis continebitur. Succreſcentes enim pelliculæ in membranas evadunt: his ita poſitis.

2. Fœtuum multiplicitas ut plurimùm conſpicitur in Abortibus, cum difficiliùs natura Fœtus ipſos ad perfectionem perducat, ubi ſint plures. Priſci non minùs, ac Recentiores infinita narrant exempla Abortuum numeroſorum. Plinius uni duodecim tribuit Infantulos, Faber alteri ſeptem, Borellus octo. (*b*) Peredia novem, Albucaſis quindecim, Avicenna uni viginti duos, alteri ſeptuaginta, Bonacciolus tandem ſeptuaginta ſex. Imo, ut Albertus, aliique tradiderunt, Matrona nobilis Fœtus 150. ſimul effudit ſecundinulis incluſos: hi primò pro vermibus habiti: at cum Medicus adveniſſet, ruptis ad inveſtigandum membranulis, Homunculos reverà fuiſſe compertum eſt, quorum multi vivebant adhuc, Baptiſmi proinde capaces.

3 Cæterùm non tantùm in Abortu, ſed nonnunquam etiam in legitimo partu, congruo nimirùm tempore contingente, poteſt Fœtuum multiplicitas obſervari. Non oportet hîc immorari quidem in Gemellis, cum ſint quotidiani. Verumtamen prætermittendum non eſt in hoc genere, quod Clauderus & ex illo Bonetus (*c*) enarrat. Retzgendorphii prope Namburgum An. 1672. Piſtrinarii uxor difficillimo partu Fœmellam edidit, quæ poſt octo dies magnis contorſionibus, & ejulatibus Circumſtantes adegit, ut ipſius faſces diſſolverent. His apertis Puellam cernunt aliam Puellulam digito noſtro medio parem cum ſuis planè ſecundinulis, conſuetiſque lochiis emiſiſſe: quæ Baptiſmate ſuſcepto, poſtridie ſimul cum altera gran-

[a] S. Auguſtin. *ſerm* 224. *de temp.*
[b] Joann. Fab. *in not. ad hiſt. mexic. pag.* 475.
Borell. *Obſerv. Medic. cent.* 2.
Pered. *in Schol. ad Paſchal. l.* 1. *c.* 19.
Bonaciol. *in Ennead. Mulieb.*
[c] Bonet. *tom.* 2. *in Analect. ad ſect.* 9. *l.* 4.

grandiori deſuncta eſt. Aliud omnino ſimile apud Danos portentum, licet non ſatis undique comprobatum, tradit Bartholinus. (a)

4. Equidem Fabri, & Malebrancii ſupra indicatam ſententiam; ferè infinitam ovorum ſeriem per gradus in ovario contentam admittentium non ſequor. Tamen ſi facta iſta pro veris habenda ſunt, dicerem, naturam, quæ ſpecioſis etiam luſibus delectatur; in primo ſeu grandiori ovo jam maturo, ex quo prima Puella oritura erat, jam formaſſe pariter, imo & ad maturitatem, tametſi minimum, perduxiſſe ſecundum. Item virile ſemen cum primum fœcundaret, ſecundum etiam aura ſua intimè penetrante fœcundaſſe. Itaque ſecunda Infantula, quam verè Pygmæam diceres, unicum Patrem, duas tamen Matres habebat. Major ex his erat illi & Mater & Avia. Minor autem erat ipſi & Soror, & Mater: quod quidem non hiſtoricum factum, ſed commentitium ænigma, & inſolubile videretur, ſi emunctæ naris Viri, ut Bartholinus, & Deuſingius (b) nullo modo fabularum bibuli, tamquam verum non crederent, & variis experimentis poſſibile eſſe non confirmarent. Profectò narrat Bartholinus in Muſæo Regis Danorum oſtenſum ſibi ovum altero minori ovo gravidum. Meminit quoque Mulæ, quæ Nierimberghio, & Torquemada referentibus orta fuerat prægnans. Item Vituli maſculini ſexus, in quo, cum proſcinderetur, duo Vitelluli apparuerunt. Demum Cervi pariter maſculi, in quo Hinnulus inventus eſt, quod etiam alii tum Veteres, tum Recentiores conteſtantur. (c) Similia Monſtra viſa tum in Muribus Europæis a Caſtro ipſo diligenter inſpectis, tum in Vermibus, & Caneris Maribus, Auctore Francheneau, (d) qui hoc ipſum aliis exemplis, non ſolùm e vegetabili Regno ut in Piris, Aurantiis, Limonibus, Cedris, Caryophillis, quæ ſunt vulgaria; verùm etiam e minerali, ut in Silicibus, Belzoarticis, ac gemmia comprobavit.

5. Quo verò ad Tergeminos, ii rari non ſunt. Nam tres Horatii, totidemque Curiatii ad hanc ſpeciem, teſte Livio, pertinebant. Noſtra verò ætate Nobilis Siculus a Conjuge Juniore diſceſſerat; ne, quæ duodecim annis duodecim Filios genuerat, familiam nimis multiplicaret. At eo poſt biennium ad Uxorem reverſo, hæc nono menſe tres peperit Fœmellas; quo ſignificari viſum eſt Populo, divortium iſtud, quod non caſtitatis amor ſuaſerat, ſed fiduciæ in ſuperna providentia defectus extorſerat; Deo diſplicuiſſe. Illæ tamen deinde adultæ nupſerunt; earumque vivunt Nepotes. Panormi An. 1655. Tergemini uno partu provenerunt: unus porro Senem capillis albis, alter Juvenem, tertius Æthiopem referebat, quales Magi Christi Adoratores pingi mos eſt. (e) Atque idem omnino An. 1749. contigit ibidem, Parvulis baptizatis non multò poſt morientibus.

6. At iſta proculdubio minora ſunt. Infinitos Partus valdè numeroſos perhibent Auctores, Plinius quidem refert Mulierem viginti olim Pueros enixam, quinos tamen ſingulis vicibus (f). Idem narrat Aulus Gellius de Auguſti Cæſaris Ancilla. Paulus Diaconus, & Sigibertus ex Lamiſſi Longobardorum Regis Matre ſeptem unà filios tradunt prodiiſſe.

Venio ad exempla recentiora præſertim indigena. Cara Lombardo Erice 15. Julii 1613. quatuor peperit: alia ſimiliter Mylis An. 1710. tres Fœmellas

---

[a] Bartholin. *cent. 6. Hiſt. Anatom. obſerv.* 100.
Idem de Inſol. Part. c. 16.
[b] Bartholin. *loc. cit.*
Anton. Deuſing. *in Fet. muſſip. ſect. 6.*
[c] Jul. Obſequen. *de Prodig. conſ. C. Val. & M. Herenn.*
Langius *Epiſt.* 70.
[d] Francheneau *Satyr. Medic.* 4. n. 4.
[e] Mongit. *Sicil. Ricerc.*
[f] Plin. *l.* 7. c. 3. *ubi Delecamp.*
Tertull. *l. de Anim. c.* 6.

Digitized by Google

las & Marem (*a*) Joanna Pancica in Agrigentina Civitate circa An. 1530. ſeptuaginta tres filios triginta partubus procreavit. Meſſanæ circa finem ſæculi ſuperioris Marcus Antonius Troja Vir Patritius ſeptem unà ſortitus eſt filios, qui deinde Uxores, & Filios habuerunt. Ibidem An. 1442. Ranzano teſte, Mulier novem edidit Mares. Cæterum ſimilia de aliarum Regionum partubus apud Schenchium, Bartholinum, Schottum, Bonetum, (*b*) Alioſque perlegere poteris. Copioſior fuit Proles Irmertrundis Comitiſſæ Altorphienſis: hæc enim cum temerè Mulierem, quæ Tergeminos ediderat, adulteram reputaſſet; duodecim & ipſa deinde filios unico partu enixa eſt.

7. At longè celebrius eſt Margaritæ Comitiſſæ Flandriæ Puerperium. Hæc An. 1275. Pauperculam duos geſtantem filios, ſtipemque petentem, a ſe repulit, & adulterii inſimulavit. Verùm anno ſequenti, juxta illius imprecationem, tercentum ſexaginta quinque filios utriuſq; ſexus effudit, qui a Guidone Epiſcopo baptizati paulò poſt unà cum Matre interiere. (*c*)

Factum hoc irridet Bianchius poſt Valliſnerium, quia cum muliebre ovarium non plura, quàm quinquaginta contineat ova, quæ ſucceſſivè matureſcunt; Mulierem toto vitæ ſpatio non amplius, quàm quinquaginta filios gignere poſſe arbitratur.

Dicendum tamen eſt primò, hæc ova temporis decurſu aboleri, ac ſubinde renovari: proinde malè Filiorum numerus intra quinquageſimum veluti ex neceſſitate concluditur. Secundò non deeſſe Arbores, aliis ejuſdem ſpeciei in fructificando multò fœcundiores, quæque etiam interdum fertilioribus annis adeo exuberant, ut ſe ipſas valde ſuperare videantur. Deinde Bianchii ratio locum in hoc caſu nullatenus habere poſſet: cum ſupponatur factum divinitùs contigiſſe.

8. Cæterùm, etſi eventus omnino extraordinarios mittamus; innumeri ſunt Partus, & Abortus numeroſi, quos Hiſtorici, & Medici retulerunt; omneſquè animadvertunt certis locis perſpici frequentiores: præſertim in Ægypto: ubi, ut Ariſtoteles ait, *quinque quamplurimùm naſcuntur*.

Sanè Hebræi numero ſeptuaginta, ut e Sacris litteris ediſcimus, regionem illam ingreſſi, & mirè deinceps adaucti, juxta textus hebraici vim: (*d*) *Ebullierunt, & in morem Ranarum, & Piſcium maximâ copiâ effuſi ſunt*: itaut poſt biſcentum quindecim annos, cum inde regrederentur; numeratis dumtaxat ad bellum idoneis, ab anno vigeſimo, & ſupra; excluſâque Levitica Tribu; ad ſummam 603550. aſcenderint: quę quamquam divinæ potiſſimùm benedictioni Patriarchis promiſſæ tribuenda veniat; non tamen deſunt, qui judicent non eſſe illam rigoroſo miraculo adſcribendam. (*e*)

9. Nunc de ſuperfœtatione breviter. Eas Nonnulli negant: (*f*) nam prima ſuppoſita graviditate, clauditur uterus, & clauſus ad Partum uſque perſeverat: quamobrem putant ſecundum Puerum, qui tertio puta menſe poſt primum puerperium exoritur, eſſe primò nati Pueri Gemellum, tardiori verò naturæ opere ad perfectionem adductum. Communiter tamen Medici rigoroſas etiam ſuperfœtationes admittunt: ad rationem autem contrariam ſatis firmæ reſponſiones tum in Hippocrate, tum in Zacchia, (*g*) tum in aliis inveniuntur, quas hic exa-

[a] Mongit. *Sicil. Ricerc.*
Fazell. *Hiſt. Sicil. Dec.* 1. *lib.* 6.
[b] Schott. *Phyſic. Curſ. l.* 3. *c.* 29. §. 1.
Bonet. *Medic. Septentr. l.* 2. *l.* 4. *ſect.* 4. *obſerv.* 3. 4. 5.
[c] Junius *in Batavia c.* 20.
[d] Exod. 1. 7.
[e] Tirin. *in Exod.* 1.
[f] S. Auguſt. *de Civit. Dei l.* 5. *c.* 6.
Valverde *Anatom. l.* 3 *c.* 14.
[h] Hippocrat. *lib. de Superfœtat.*
Zacch. *quæſt. Medicoleg. t.* 1. *lib.* 1. *tit.* 3. *q.* 3. *n.* 18. *& ſeq.*

examinare non vacat. Parum quippe ad intentum noſtrum refert diſquirere, utrum dentur veræ ſuperfœtationes, Sufficit enim ſæpè contingere quod uno Fœtu jam nato, alius remaneat in utero maturandus, & poſt menſem alterum, imo duos, vel tres etiam naſciturus; quod quidem epidemicè aliquando, ut & Monſtrorum generationem, evenire tradidit Schenchius. (*a*)

10. Indubitabile eſt igitur in aliquo ſaltem ſenſu dari ſuperfœtationem. Ego ipſe Matronam inſigni loco ſcio, quæ quinto poſt primum partum menſe pepererat, quæque tanta erat fœcunditate, ut poſt quinquageſimum ætatis annum genuerit; etſi aliud ab ipſa majori admiratione dignum audierim in ejus nimirum Parochia ante decem annos Vetulam ſeptuagenariam ipſi notam peperiſſe.

Nonnunquam priori Fœtu verè mortuo, ejuſque cadavere manente in utero, Matres denuo conceperunt, cujuſmodi exempla dant Albucaſis, & Primeroſius. (*b*) Aliud verò illuſtriùs Harvèus, (*c*) in quo Fœtus tempore debito vivus editus eſt: tria huic ſimilia Schenchius; (*d*) primum de Vacca, ſecundum de Muliere, tertium item de Muliere, quæ bis, vel ter quamvis Parvulo jam demortuo, & retento, conceperat, vivoſque deinde poſteriores Infantes emiſerat.

11. Cum ergo conceptus juxta prædicta poſſit eſſe duplex, vel etiam numeroſior, neceſſe eſt ſequentia animadvertere a Parochis, aliiſque Sacerdotibus Populo pro re nata tradenda.

Primò, Abortum Procurantes, vel Partum Cæſareum Impedientes, imo etiam tantùm negligentes, plurium nonnunquam Homicidiorum tam reſpectu Animarum, quàm corporum Rei ſunt procul dubio judicandi.

12. Secundò, in Abortu Familiares de Baptiſmate Infanti collato planè contenti, non ampliùs perſcrutantur, quid Mater effundere proſequatur. Neglectus autem iſte valdè periculoſus eſt: poterit enim in ejectamentis aliquis jacere Gemellus, vel ſuperfœtationis Embryo, tantò faciliùs eorum oculos fugiens, quantò mole minutior.

13. Tertiò, in Partu Cæſareo Chirurgus præmonendus eſt, ut dum Parochus baptizabit Infantem; perquirat ipſe, utrum alius fortè in utero lateat, Gemellus nimirùm, vel ex ſuperfœtatione. Id verò præſtabit Chirurgus diligenter non ſolùm in extracti jam Pueri ſecundinis, ſed & per totum uterum: Gemelli enim ipſi regulariter ſub diverſis membranulis procreantur.

14. Quartò, Parochi hæc omnia perdoceant Obſtetrices, ut poſt naturalem etiam Partum, juxta Schenchii monitionem, cautè Puerperam faſcia conſtringant: eam priùs interrogantes, utrum aliquid pondus in ventre ſentiat; ne fortè alius remanſerit Fœtus, & detrimentum accipiat. Narrat idem (*e*) de Gravida, quæ cum Obſtetrice olim litigaverat: prima Infantem eſſe vivum, ſecunda tamen defunctum, ſeſeque illum præ manibus habere aſſeverabat. Demum utrumque verum detectum eſt; nam duplex erat Fœtus, vivus unus, mortuus alter, qui ad uteri orificium venerat: exanimis enim ſolet in exitu viventem præcedere.

15. Quintò, hæc omnia documenta conferunt maximè, tum in locis, ubi partus multiplices paſſim, tum ubi rariùs obſervantur. In primis quidem quia frequentioris certè ſunt uſus, in aliis verò quia magis neceſſaria: ubi enim periculum eſt infrequens, dimiſſis per incuriam cautelis, poſteriorum Fœtuum ruina faciliùs permitteretur.

16. Librum denique horribili facto claudamus, quod in inſigni Siciliæ Oppido circa ſæculi præſentis exordium contigiſſe a locupletiſſimis teſtibus accepi: comprobat enim nonnulla ex antedictis

[a] Schench. *t. 2. l. 4. de Fœtu obſerv.* 127.
[b] Albucaſ. *l. 2. Chirurg. c.* 76.
Primeroſ. *de Morb. Mulier. l. 4. c. 7. cum obſervat. Mainaldi.*
[c] Harvèus *exercitat. de Partu.*
[d] Schenchius *t. 2. lib. 4. de Fœtu obſerv.* 173. 174. 183.
[e] *Idem tom. 2. obſerv.* 190.

ctis, poteritque à Parochis in funeſtum exemplum adduci. Nobilis Matrona ſeptem Filiorum parens, cum utero gereret, fato proxima, Filiis convocatis duo tamquam ſibi gratiſſima poſtulavit. Primum ne ſibi Partus Cęſareus poſt mortem fieret. Secundum ut ſe nuptialibus, ac maximè pretioſis veſtibus indutam ſepelirent. Decedit, ac Filii nimis religioſè ſtultis præceptionibus obtemperant: cum enim Oppidi Archipresbyter cum Chirurgo ad eam incidendam accurriſſet; neque precibus, neque rationibus eos flectere quoquo modo potuit, ut Cæſuram permitterent: imo præ cubiculi foribus nudis enſibus Adſtantes, & minas Parocho intentantes, eumdem ad diſceſſum coegerunt: Matrem verò ſplendido prorſus ornatu veluti ſponſam ſepulchro intulerunt. Paucis poſt diebus rumor exoritur: Viros Religioſos, ad quos Eccleſia pertinebat, Defunctam prædiviti veſte clam expoliaſſe: eos itaque Filii magnis clamoribus compellunt ad ſepulchrum reſerandum. At o luctuoſiſſimum ſpectaculum! Matrem aſpiciunt nuptiali quidem habitu indutam, ſed putrem, & horridam, ac prope illam Infantulos duos aureis crinibus, ex utero jam egreſſos, deinde verò miſerrimè defunctos. Cernunt itaque propriis oculis duplex parricidium a ſe patratum: ſeſeque mirantur Caino ipſo crudeliores. Ex inde domus illa primò illuſtris, & opulenta divinæ iræ ſcopus effici viſa eſt. Tremenda enim ſpiritualia, ac temporalia mala, in quæ Defunctæ Filii cum Patre inciderunt, manifeſta cœleſtis vindictæ ſigna putata ſunt. Minimus ætate Filius mundus quidem ille fuerat a Fraterculorum ſanguine: at nihilominus nec ipſe a paupertate, aliiſque ærumnis evaſit immunis.

FINIS LIBRI SECUNDI.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

De Parochorum officio, ac vigilantia pro Infantibus in Partu difficili, & deſperato.

CAPUT PRIMUM.

De Partu Difficili, & Cæſareo Gravidarum Viventium.

1. NEc raró quidem, neque difficulter eveniet, Navem expleto jam penitus itinere in ipſo portus ingreſſu illidi ad ſcopulos, atque ibi reperire naufragium, ubi quietem, ſecuritatemque ſperabat. Infortunium veró nimis facile, & frequens eſt Nonnatis Infantulis, poſt emenſum jam proſperè tempus formationis, & corroborationis in utero; cum deinde in lucem nituntur egredi, propter inſuperabile aliquod naſcendi obſtaculum pro vita jucundiori in mortem dolorofiorem, & pro Cunis in Sepulchrum incidere.

2. Profectó maturus Infans, ſive ob alimenti defectum, ut Quidam voluere, ſive ob excrementorum copiam, ut Alii, ſive ob neceſſitatem, qua premi incipit, aeris amplioris motu valido, & calcitratu, Matre quoque impulſu ſuo obſecundante, extra maternum clauſtrum proſilire conatur. Id autem nonnunquam ſuis tantúm viribus, ac ſine externis auxiliis ægerrimè conſequi valet. Propterea ante omnia valdè prodeſt Parturientem locare in Scamno, ſeu Sede partui deputata. Verùm hæc ſæpè deſideratur in Pagis: quocirca non leve opus eſſet miſericordiæ, ſi Parochus huic commoditati provideret, vel, ut alii provideant, procuraret: quod quidam Parochorum, primam hujus operis editionem legentes, præſtiterunt. Obſervat Heiſterus (*a*) Fœminas non raró eniti ſtantes, etiam ſine Obſtetrice, quo ſitu Juvenculæ furtivè prægnantes utuntur. Abiſſinas autem Mulieres genuflexas abſque alicujus adjutorio paſſim citò, ac feliciſſimè parere tradit Pitavallius. (*b*) Attamen ſe-

(a) Heiſterus *Chirurg. p.* 2. *ſect.* 5. *c.* 153.
Bonet. *Medic. Sept. t.* 2. *l.* 4. *ſect.* 7. *obſerv.* 12.
(b) Pitavall. *Cauſ. celebr. cauſ. S. Ciran.*

des, de qua ſupra, in partubus difficilibus, quos quidem perſæpè contingere vidémus, prorſus neceſſaria judicatur. In ejus autem defectu, præcipit Heiſterus duas invicem vulgares, commodaſque Sedes funiculis uniri, ſpatio inter eaſdem ſex, vel octo pollicum relicto.

In Germania apud Ruſticos, & Plebejos, deficiente Scamno, Parturiens in ſinu alterius robuſtæ Mulieris, in ſede ordinaria ſedentis, eamque complectentis ſedere conſuevit. (a)

3. Verùm hic animadvertendum eſt in Oppidulis, imo & in Civitatibus: perſæpè Obſtetrices nihil magis ignorare, quam artem obſtetricariam; ne dicam nonnullas perdendis potius quàm juvandis ad ortum Infantibus videri deſtinatas: tanta eſt earum ſocordia, atque inclementia. Hæc ſanè ut plurimum ab imperitia, quandoque verò a nefaria malignitate procedit, qua & Parvulos non collato Baptiſmate & Matres ipſas crudeliſſimè interdum occiderunt. (b) Feliciores in hac parte ſunt Indæ Mulieres, quibus familiare eſt ex Boerahavii teſtimonio abſque ulla Obſtetricis arte, ac miniſterio, imo pauco etiam cum dolore faciliſſimè parere: additque laudatus Auctor partum integri ovi, Fœtus nimirum ſecundinis incluſi, cæteroqui maximè naturalem, communem cenſeri (c) apud Indas. In eo quidem partu matura jam placentâ, & ſponte ſua ex utero ſoluta, ovum uteri orificium æqualiter premit: Mater verò conatus edere valet commodiores, atque vehementiores. Quocirca malè ſe gerunt Obſtetrices, quæ membranas dilacerant: excepto caſu, quo Parvulus jam jam moriturus baptizandus eſſet, vel ob chorii craſſitiem ipſum nequiret abrumpere: hoc enim obſtaculum naſcenti propter continuos, inaneſque impetus viribus tandem deficientibus mortem afferre conſuevit. (d)

In pleriſque tamen Americæ Provinciis ubi neceſſarium videatur; obſtetricandi officium exhibent Parturientibus Mariti: (e) quod quidem ad eas ab immitti Obſtetricis manu eximendas fortè ſatis eſt, non tamen ad ſalutare, optatumque adjumentum. Prudentiori ſanè conſilio, in partu difficili Valentini, Paſchaſio teſte, (f) majores natu Paſtores advocant propter peritiam in adjuvandis ad Partum Oviculis acquiſitam. Alii tamen Populi, etiam e Cultioribus, ut Itali, Galli, Germani, Chirurgis utuntur, quod aliquando, me ſuadente, Palmæ ſimiliter factum eſt. Verùm etſi quandoque id omnino neceſſarium, ac propterea laudandum ſit; præſtaret nihilóminus, & valdè decentiùs eſſet, ſi Mulieres Obſtetrices, juxta clariſſimi Ludovici Muratorii monitum, (g) a Chirurgo præceptore, ſpeciatim a Magiſtratibus deſignato, exactiſſimè edocerentur: quo munus ſuum, ut etiam optavit Bartholinus, (h) excultiori arte, ac feliciori eventu exequi poſſent. Plurima certè a Medicis ad Partum remedia præſcribuntur. Notandum tamen (ut in Sicilia multoties viſum eſt) aquam gelidam affatim aſſumptam a Parturiente, præſertim quæ nive ad vivam carnem circumſepta ſit; Partum ferè Infallibiliter extricare. Cum his tamen auxiliis omnibus, Mulier interdum parere nequit: vel ob Infantis craſſitudinem, vel ob canalis anguſtiam, vel oſſis femoralis luxationem erga internam uteri partem, oſſe ſcilicet uterum comprimente: præſertim verò ſæpiſſimè ex mala oſſium Pubis, & Ilii conformatione. Inſuper ob cicatricem, cancrum, vel gangrænam: item ob vitioſum tumorem phimoſim callum, lupiam, ſcyrrhum, lapidem, molam carneam, ac ſimiles denique præter naturam concretiones: quæ impedimenta omnia communiter tum a Veteribus, tum a Recen-

(a) Heiſter. *p. 2. ſect. 3. c. 141.*
(b) Ex Proceſſ. *Magnæ Curiæ Sicil. in cauſa Villafrat. An.* 1753.
(c) Boerah. *de Concept. n.* 685. *in Not. v. Vertice.*
(d) Dolèus *Encyclop. Chirurg. l.* 4. *c.* 5. *fol.* 354.
(e) Joann. Ler. *Hiſt. Nav. in Braſ. c.* 17.
(f) Mich. Joan. Paſchaſ. *l.* 2. *de cur. morb.*
(g) Murat. *della Pubblica felicità. c.* 21.
(h) Bartholin. *de Inſol. Part. cap.* 17.

Digitized by Google

centioribus deſcribuntur , (a) Medici quidem in partu difficili ad orificium ſuperius , inferiuſque , vaginamque uteri dilatandam , inſtrumentum adhibere ſolent , quod ſpeculum Matricis appellant: & Prægnans , ubi felix exitus inde ſperaretur ; ſub gravi chirurgicam iſtam dilatationem, ſubſtinere teneretur . Heiſterus tamen (b) eam non ſemper utilem reputat , & nonnunquam propter læſionem , quam utero inferre poteſt , periculoſam .

4. Celebratur meritò in his circumſtantiis inſtrumentum ad Infantem vivum extrahendum , dictum Capitis Tractor, vulgò Tiratesta . Illud Palphinus Gandavenſis Chirurgus excogitavit : at cum exitus voto non reſponderet ; Gregorius Pariſienſis in meliorem formam deinde redegit . Ipſum igitur deſcribam, pro ut a Gregorio emendatum , qui ſpatio duodecim annorum , ultra ſeptuaginta Fœtus viventes eo uſus extraxit . (c)

Figuram refert forcipis calcularię, & undique elimatæ : ejus uterque ramus in anteriori parte ſuum veluti cocleare comparat ad cardinem ferè productum , fiſſuram habens oblongam , ac a parte ſuperiori valdè amplam , & quæ gradatim diminuitur verſus inferiorem , ac deſinit prope cardinem . Hæc duo coclearia Infantis caput complecti debent , fiſſura tamen ut id commodiùs , ac ſine læſione capitis fiat , inſervit . Cardo fixus in altero inſtrumenti ramo locatur , in altero verò foramen exiſtit cardinem recipiens cum quodam veluti annulo mobili , ac ſuperannexo . Manubriorum , ſeu crurum extrema in uncinorum formam inflectuntur , ut faciliùs manus ad prehendendum aptentur , imo ut operatio unica etiam manu perfici poſſit . In operatione ramus uterque ſeparatim immittitur ad utrumque Infantilis capitis latus : deinde ſupradicti cardinis, atque annuli mobilis adjumento firmatur . Petitus verò Pariſienſis in altero crurum obicem , ſeu peſſulum roſtratum adjecit , quod cum elevari , aut demitti valeat canalis ope , & in ſulcos in oppoſito crure inciſos impingat ; forcipem ipſam pro capitis educendi mole ſufficienter detinet , & conſtanter apertam .

Major latitudo ſingulorum coclearium ferè duos pollices Pariſienſes habet ; videlicet lineas viginti duas .

Fiſſuræ major latitudo eſt undecim linearum, ideoque ad pollicem accedens, latitudo minor eſt duarum linearum .

Deſinit fiſſura duos pollices ſupra cardinem ; nimirum in diſtantia linearum ferè vigintiſeptem .

Cardo tamen ferè undecim pollices diſtat ab eſtremitate anterioris partis inſtrumenti .

Cavum a duobus coclearibus , ubi invicem committuntur , efformatum eſt pollicum duorum , & quatuor linearum .

Totius autem inſtrumenti longitudo , non computatis uncinis , menſuram quindecim pollicum cum decenti craſſitudine implebit .

5. Si verò neque iſtud proderit inſtrumentum , ut in mala oſſium conformatione , quo caſu , notante Bartholino , (d) inutile quoque ſpeculum matricis Chirurgi experiuntur ; profectò Infanti evidens mortis periculum impendet . Nam præterquamquod ex alimenti diminutione , ac inutilibus egrediendi conatibus in magnam incidit debilitatem; accedit violenta cordis æſtuatio : cum autem hoc præcipuum vitæ organum nequeat refrigerari , Parvulus parvo negotio veluti ſuffocatur .

Voelterus (e) Mulierem perhibet , quæ cum ſepties concepiſſet ; nunquam tamen parere potuit, Fœtibus ex ea fruſtatim ſemper excerptis . Ne ergo in deſperato partu Infantuli pereant ; Medici viventis Gravidæ inciſionem proponere conſueverunt : quæ quamvis Matri valdè periculoſa , nihilominus ſemper ad Filiolum ſervandum, ſaltem ne ſine

P 2 Ba-

(a) *Hi ſunt* Moſchio , Avicenna , Theodorus Priſcianus , Aechachias , Harvéus , Claudius de la Corvée, Bartholinus , Aliique.

(b) Heiſter. *p.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 153. *n.* 10.

(c) Ex quæſt. Medic. Chirurg. *Pariſ.* 25. *Junii* 1744. Vvinslew.

(d) Bartholin. *de Inſol. Part. cap.* 3.

(e) Voelter. *l. de Art. Obſtetric.*

Baptiſmo decedat; ſæpè etiam ad ipſam Matrem ab indubitata morte liberandam erit neceſſaria. Omnes ferè Veteres ab hac operatione abhorrebant, quòd ipſis parùm fauſtè contingeret: ſcribit enim Alexander Maſſaria, ſe tres vidiſſe incidi Mulieres, quæ omnes morti ſuccubuerunt. Major propterea Theologorum pars cum Soto, Sà, Zambrano, & Raguccio Lucernæ Parochorum Auctore Prægnantes ab ea ſectione excuſabant: & revera ſi ſupponamus Gravidæ mortem inde certò, vel quaſi certò conſequuturam; idem eſſet illam incidere, ac barbarum in morem occidere: quod nulla prorſus ratione ſub quocumq: prætextu, vel honeſtiſſimo fine licebit: *Non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona.*

6. Cæterùm ſicuti Mater, ubi de ſectione ad ipſius tantùm favorem inſtituenda ſermo eſt; Puero ſcilicet jam demortuo in utero; nunquam ad eam ferendam compelli debet; quamvis vitam inde ſibimetipſi ſperare poſſet; cum remedium iſtud, & ſævum ſit, & extraordinarium: ita a majori Theologorum Recentiorum numero ad eamdem ſectionem adſtringitur, ubi de procuranda vita ſpirituali Fœtus agatur: quoniam hodierna Chirurgorum peritia, & Matrem ſimul, & Fœtum liberari poſſe pateſecit: excepto caſu, quo illa propter virium debilitatem, ac mali vim; inciſioni ſubſtinendæ ſit impar. Hoc autem ex particularibus circumſtantiis pendet, quorum judicium ſpectat ad Medicos. Interim ſi ab illis præſcindatur: ſententia, quæ Partui Cæſareo favet Medicis procul dubio effecta eſt communiſſima. (*a*) Demonſtratum eſt enim non ſolùm Muſculorum Abdominis, & Peritonæi, ſed ipſius etiam uteri vulnera non eſſe lethalia.

7. Sectionis hujus Inventor, aut ſaltem noſtris hiſce ſæculis Reſtitutor (non enim deſunt, a quibus antiquiſſima conjectetur;) fuit Jacobus Nufer in Oppido Stergeshenſon in Turgravia Caſtrator, qui An. 1500. cum Uxorem Eliſabetham Aleſphachin ex impoſſibili Partu jam jam obituram agnoſceret; petitâ a Magiſtratu veniâ, etſi Chirurgiæ inexpertus, illius inciſionem aggreſſus eſt. Et quamvis vulnus ita profundum aperuerit, ut ad primum ictum Infantem eduxerit; vulnuſque ipſum malè deinde conſuerit; his non obſtantibus, Mulier diſſecta convaluit, nec fœcunditatem amiſit; duos enim poſtea Gemellos peperit, quos alii quatuor ſingillatim ſequuti ſunt, nec niſi ſexagenaria deceſſit. Filius attamen cæſo Judex Patriæ tandem creatus ad An. 1583. uſque pervenit.

8. Felix hic eventus alios nequaquam diſſimiles poſt ſe traxit: quocirca hujus operationis utilitas, atque neceſſitas inter Medicos ventilari cœpit, probantibus aliis, & in praxim deducentibus, aliis tamen magna contentione reprobantibus. E Reprobantium numero fuit olim Ambroſius Paræus, qui tametſi operationem a Chirurgo Vincentio in Nicoletta Beranger An. 1542. peractam fauſtè contigiſſe, negare auſus non fuerit; nihilominus Matribus, ubi evaderent, ſterilitatem ſaltem augurabatur. (*b*) Quod etiam Caſtrus, Vionius, Varandæus, Aliique fecerunt. Arbitrabantur enim cicatricem ſuperſtitem impedituram ipſius Matricis in partu dilatationem, imo vulnus ipſum præ conatibus iterum apertum iri. Cum autem Scipio Mercurius, ut ipſe narrat, in Galliis A. 1571. & 1572. verſaretur; primò de Partu Cæſareo, per Italiam prorſus adhuc ignorato, maximè admirabundus audivit: binas videlicet prope Lugdunum Mulierum inciſiones, aliaque ſimilia nactus experimenta. Illumque deinde tradidit adeo pernotum Gallis, ut Italis miſſio ſanguinis in capitis dolore. Hinc fortaſſe nata deinde fabula Mulieres alicubi non parere, niſi latere diſſecto.

9. Attamen Franciſcus Rouſsètus primus eam operationem verè illuſtravit: etenim poſtquam Paræus ſcripſiſſet; celeberrimum illud An. 1581. Galliceè edidit opus, cui titulus: *Tractatus novus de Hiſterotomachìa, ſeu Partu Cæſareo, ſeu extractione Infantis per inciſionem lateralem ventris, & uteri Mulieris gravidæ, ubi aliter parere nequeat:*

(*a*) *Vide Auctores infra citandos n.* 13.
(b) Parèus *lib.* 23. *cap.* 31.

queat: & hoc abſque præjudicio utriuſque, & ſine impedimento fœcunditatis Matris in poſterum, Pariſiis An. 1581. Et omnia in eo certiſſimis experimentis adſtruxit. Ejuſdem verò tractatus hodie ſanè rari, compendium habes apud Scultetum. (a) Paræus Rouſſeti Librum ingenuè probavit, ità illi ſubſcribens. *Ego Ambroſius Paræus teſtor quæ ſupra*: nec ex inde ampliùs Partum Cæſareum impugnaſſe viſus eſt. Anno ſequenti 1582. Gaſpar Bahuinus Rouſſeti volumen in latinum vertit, aliiſque ſimul exemplis communivit. In primo narrat Buneum Tonſorem Chirurgi munus feliciter implevisse, Secundum legebatur in Rouſſeto, Bahuinus tamen circumſtantiis amplificavit: alia demum quatuor addit: eadem a Saguierio, Albosio, Cordæo, atque Platero mutuatus. Rouſſeti eum appendice Bahuini antiquiſſimam editionem Baſileæ A. 1592. factam præ manibus habui. In hac Mulieres inciſæ decem numerantur, quarum plures denuo ſemel, & bis concipientes proſperè deinde pepererunt. Mulier autem Vaſtinetenſis ſexies cæſa fuit a Nicolao Guilletto Barbitonſore: quo mortuo cum in ſeptima prægnatione Sectore caruiſſet; cum Fœtu extincta eſt; ex altera verò tres Filii hac operatione ſimiliter educti ſunt. De relatis autem inciſionibus octo a Barbitonſoribus, duæ tantùm miniſtratæ a Chirurgis; quamquam iſtorum unus alias quoque ultra deſcriptarum numerum perfecerit.

10. Verùm interea Rouſſeti intentum, & librum damnabat Jacobus Marchantius: quamobrem ille An. 1590. contra obtrectantem novum opuſculum ſub hoc titulo evulgavit: *Dialogus Apologeticus pro Partu Cæſareo in malevoli cujuſdam Pſeudoprothei dicteria*. Acriùs excanduit Marchantius, edidit que: *In Franciſci Rouſſeti Apologiam Jacobi Marchant Regii, & Pariſienſis Chirurgi declamationes*. In his Vuillemeai ad Rouſſetum contra Cæſareum Viventium Partum Epiſtolam inſeruit. Marchantius detrimenta hujus ſectionis obtendebat: nam plures ex ea Mulieres occubuerant: cum enim uſque ad id temporis non ſatis declaraſſet experientia, quando illa ſalutaris, quando nociva, quando verò periculoſa; mirum non eſt interdum cum ſectione mortem Prægnantium fuiſſe conjunctam. Pluries cæteroqui eam, ut ſupra notatum eſt, pro Chirurgis Barbitonſores adminiſtrabant. Quodque magis miraberis: Tonſorem narrat Bahuinus, qui multas diſſecuerat Gravidas, a ſe interrogatum, neſciſſe quid Abdomen, quid Peritonæum, quid Uterus eſſet.

11. Hæ igitur impugnationes diſſeminatæ ſegniores reddiderunt Chirurgos, quorum plurimi ſectionem averſabantur, & Marchantio ſtudebant. Faciliùs enim Homini ſemper fuit deſtruere, quàm ædificare, & timori quàm fortitudini parère. At Rouſſetus eodem anno Marchantio iterum reſpondit in diſſertatione, quæ inſcribitur: *Cæſarei Partus aſſertio Hiſtorico-Logica Pariſiis An. 1590.* Opuſque ſuum novis rationibus, & quinque aliis exemplis adauxit: in quorum quarto, duas alias perhibet Cæſareas operationes ab uno Chirurgo peractas; in quinto verò ſic ait; *Hæc Fœmina ſecta fuit a Joanne Luca tunc parum ſobrio*, (hic Tonſor erat) *cui tunc benè poto, ſi hoc non malè ſucceſſit, quid ei non ſperandum, qui ſobrius, & mentis compos arte duce eò accedet?*

12. Tot porro experimenta Chirurgorum jacentes animos denuo erexerunt: quapropter Cæſarei Partus utilitas novis ſubinde factis in dies colluſtrata iterum celebrari cœpit. Nam Panhoto, & Fereto enunciantibus Joanna Mathevierre prope Lugdunum An. 1627. nonniſi Partu Cæſareo mortem declinavit. Similia narrabat e Subaudia Pellaire, (b) ſcilicet Maupam quamdam ſexies feliciter inciſam in Caſtro Auſectenſi, Aliam Aquis, Aliam præterea in Oppido Sancti Joannis.

13. Jam ergo ſparſis undequaque Rouſſeti Libris, recentium exemplorum acceſſione roboratis, profundiores egit illius doctrina radices: veritas enim omnia

(a) Scult. *in Expoſit. Tab.* de *Partu Cæſareo, quæ in Edit. Francofourt. eſt 42. in Amſtelodam. Act.* 1. *eſt* 12.

(b) Pellaire *in Epiſt. ad Amond.* Gen[illegible]

nia vincit. Quapropter Theophili Raynaudi ætate circa annum 1637. communis erat Medicis, & Chirurgis. (a) Raynaudus tamen aliis experimentis Rouſſeti ſententiam confirmavit. Ac primo de Matre Jacobi Bituricenſis ex Ordine Minimorum, qui Raynaudo narraverat, ſe quintum eſſe de Filiis Cæſonibus ejuſdem, quæ Brunetto celebri Chirurgo ſoporiferis antea propinatis dolorem alleviante utebatur. Secundo de Muliere Flexienſe prope Andegavum tertio inciſa, Jeſuita olim Chirurgo, qui eam viderat, referente. In his autem non ſecus ac in præcedentibus Fœtus incolumes educti, ac ſalvæ Puerperæ. Incivile itaque, ac temerarium dicit de tot factis ambigere, & Veteres Medicos tamquam timidos, ineſpertoſque ſugillat. Quid autem Rainaudus dicturus fuiſſet, ſi ſequentia experimenta noviſſet? Nam ex Tenſelio Olaus Rubdechius celeberrimus in Suecia Medicus propriam Uxorem incidit. Bartholinus ait, ſe Pariſiis degente, idem quinquies in Conjuge præſtitiſſe Chirurgum alium. Ronnhuſius verò tradit *Songium* Medicum Brugenſem ſepties eodem remedio Uxorem liberaſſe. Gobat (*b*) Matronam addit bis non a Chirurgo, ſed a mera Obſtetrice prope An. 1670. eodem auxilio liberatam. Jobertus (*c*) Aliam bis etiam diſſectam in Caſtrò Thierri. Alteram dat Cyprianus, (*d*) dicens ſe illi Abdomen, ac Tubam ſecuiſſe. Innumeri autem Cæſarei Partus hìc ſubnecti poſſent, ſuppeditati a Ruleau, Mizaldo, Schenchio, Saviardo, Vatero, la Motte, Lanchiſehio, & Aliis, quæ non ſecus, ac ſupra recenſitæ, omnes etiam fauſtè ceſſerunt, quamplurimis quoque ex hujuſmodi Mulieribus poſt ſectionem iterum, ac ſæpiùs parientibus. Quocirca præter citatos, ac præſertim Ruleau, qui copioſè Partum Cæſareum Viventium defendit, eidem patrocinantur Acta Eruditorum Lipſiæ, ac Ephimerides Naturæ Curioſorum: præterea Duvallius, Veicardus, Marinellus, Ronchinus, Hildanus, Breſleviſchius, Riedlinus, Horſtius, Camerarius, Albertus, Fienus, Scultetus, Rullonius, Teiemejerus, Govèus, Vvelſchius, Heiſterus, & nuperrimè Vvinslovvius, (*e*) qui probat uſum ferramentorum uncinatorum cum Chirurgica iſta operatione collatum, neque reſpectu Matris minus eſſe periculoſum, neque reſpectu Filii æquè innocentem.

14. Verùm ſuperioribus exemplis noviſſima aliqua etiam feliciſſima congeramus, multiplicibus, ac certiſſimis documentis, interdum publicis, communita, & a Simonio memoriis Regiæ Academiæ Chirurgicæ Pariſienſis inſerta, in quorum pluribus etiam fœcunditas poſt Cæſareum Partum illæſa permanſit. Mulieres quidem inciſæ fuere ſequentes.

Prima ex iſtis Magdalena Gordain, quæ deinde quatuor alios peperit filios.

Secunda ponitur Alia bis ex teſtimonio Amiralis, & Peyroniæ diſſecta.

Tertia, quarta, & quinta unius Chirurgi Ihiſe peritia liberatæ: quarum prima plures, tres verò tertia poſt ſectionem filios edidit.

Sexta Maria la Roche a Chirurgo Breu de mortis faucibus erepta.

Septima Maria Expirat a Nojerio diſſecta, cujus deinde abſentis ope, cum in alia prægnatione deſtitueretur; fato ſuccubuit.

Octava Margarita Francois A. 1723. inciſa Flandrinæ Obſtetricis miniſterio.

Nona alia in Pago Turris de Treſme ex Hiſtoria Academiæ A. 1730.

Decima Margarita de Storeaux Domini de Præſſaux Medici Spaenſis Uxor, Kalendis Januarii 1738. quæ anno poſtea nondum elapſo naturali viâ enixa eſt.

Undecima Domina Deſmaulins parvo corpore Mulier, menſe Aprili An. 1740. diſciſſa a Soumain, Medicis Burgeois, Puzzis, Souchaes, Verdier, Gervais, Gregoire, Jardi, Chavin, & la Fitte conſulentibus. His

(a) Raynaud. *Oper. t. 14. lib. de Ortu Infant. per Sect. Cæſar.*

(b) Gobat. *t. 1. tract. 2. de Bapt. caſu* 8. *in Append. poſt numer.* 259. *litt.* D.

(c) Le Journal de Scavans.

(d) Cyprian. *in Epiſt. ad Millington. An.* 1700.

[e] Vvinslovv. *in quæſt. Medico Chirurg. Pariſienſ.* 25. *Junii A.* 1744. *defendente Roulan, Præſide Vvinslovv.*

His inciſionibus dein laudatus Auctor *in tom 2. Memor. Acad. Reg. Chirurg.* alias adjunxit. Prima facta fuerat a Courè, ſecunda, & tertia a Guercinio, quarta, & quinta in eadem Fœmina ſcribente Gobenio, ſexta a Buſierre, ſeptima tandem a Cequè; & hæc quidem Simonius.

15. Joſephus verò Maſſianus inſignis Chirurgus Panormitanus Epiſtola ſeptimo Kalendas Martii A. 1744. Pariſiis data mihi ſignificavit, ſe duos ibi Cæſareos Viventium Partus vidiſſe; quorum primus ex modicæ maternæ ſtaturæ circumſtantiâ ſuſpicor eumdem fuiſſe, ac undecimum in præcedenti numero memoratum A. 1740. a Soumain confectum, de quo etiam Elias Col de Villars. (a)

Addidit his Maſſianus Mulierem in Burgundia ſemel, & iterum diſſectam: nam primâ inciſione ſuperata, denuo conceperat: demum poſt ſecundam ſectionem Pariſios An. 1733. profectam incolumem perdurare. Ex quibus demonſtratur omnino vanum fuiſſe nonnullorum timorem, ne Mater inciſa fœcunditatem ſaltem amitteret: evidens enim eſt Mulieres poſt Partum Cæſareum, & concipere, & parere ſolitas. (b)

16. Etiam Quadrupedibus conſtat Partum Cæſareum Viventium eſſe ſalutarem. In Monte Peregrino prope Panormum A. 1749. circiter, ac Verè currente, Vacca propter malam oſſium conformationem parere nequibat. Antonius Campiſius tum in Phyſicia, tum in Chirurgicia peritus, qui mihi rem & voce & ſcripto enarravit, quique venationis causâ eò pervenerat, poſtquam in caſſum obſtetricationem expertus eſſet; Bubulco perſuaſit, ut illam ſibi incidendam permitteret. Humi jacebat Vacca, eamque ligari juſſit Chirurgus: inde circa horam decimam Horologii Italici inciſionem aggreſſus, diſſecuit primò Abdomen, deinde uterum, Fœtumque eduxit viventem, qui alteri Vaccæ ad nutriendum tributus, aliorum more adolevit. Chirurgus a conſuendo utero abſtinuit, ſperans Naturam ipſam eum contracturam, atque aliquo balſamico humore unituram: deinde aquâ lavit Abdomen, abſterſit, & expurgavit, ac acu demum conſuit, ægrè tamen propter corii duritiem: deinde balſamo, quod in pera venatoria geſtabat, linivit, faſciolas panni linei ſuperimpoſuit, & equina cingula conſtrinxit.

Vacca ſub dio jacens perſeveravit uſque ad horam vigeſimam ſecundam ſequentis diei, cum illam Bubulci erexerunt: ſtetit ergo jam erecta uſque ad Solis occaſum: inde iterum ſpontè decubuit.

Tertia die Chirurgus eam inviſit, cumque nonnihil puris in Abdominis vulnere reperiſſet; ipſum a filo tamquam extraneo illuc attrahi arbitratus: detracto filo, in ſauciata parte balſami unctionem iteravit.

A tertia die uſque ad octavam ſitum alternavit Vacca, nunc ſtando, nunc decumbendo.

Quod ad cibum attinet; primis tribus diebus cibo, potuque prorſus abſtinuit, quamvis Bubulci alimenta circumpoſuiſſent: a quarta verò die, & deinceps veſci paulatim cœpit, & gradatim convaleſcere: cumque poſt duos menſes Chirurgus Bubulcum de Vacca interrogaſſet; is eam perfectæ ſanitati reſtitutam reſpondit.

Similem inciſionem Panormi olim peregit Joachim Pariſius nobilis Chirurgus in Capra: ei ad pariendum impotenti abdomen, uterumque diſcidit, & Fœtum extraxit. Cæterùm non poſt multos utique dies ab illius Paſtore audivit ipſam optimè valere, & cum ſociis per prata diſcurrere.

17 Non injuriâ ergo conqueſtus eſt Bartholinus *miror Patriæ noſtræ*, Daniæ ſcilicet, *averſum ab hac ſectione animum, quo multi pereunt, qui ſalvari poſſent.* (c) At ſi Italicas Regiones hodie peragraret, vereor ne eamdem, & majori cum ratione, geminaret querelam: utilitas enim Cæſarei Viventium Par-

(a) Col de Villars *Chirug. t. 3. c. 13.*
(b) Rouſſet. *de Part. Cæſar. ſect. 7. per tot.*
Duvall. *de Hermophr. c. 24.*
Rainaud. *loc. cit.*
(c) Bartholin. *de Inſol. Part. c. 12.*

Partus, præſenti ſæculo eſt prorſus exploratiſſima, & nihilominus non adhuc ſatis in uſum deducta: cui tamen malo, ut occurreret hujus Regni Protomedicus perpetuo Edicto ſancivit, ne in poſterum Chirurgi ad exercendam artem; niſi priùs de naviter adminiſtrando in Viventibus Partu Cæſareo ſedulò examinati, admitterentur.

CAPUT SECUNDUM.

Joannis Baptiſtæ Bianchi opinio contra Partum Cæſareum Viventium, ubi conceptus fuerit uterinus, impugnatur.

1. QUAMVIS hodie Medicinæ Scriptores Cæſaream inciſionem communi voce collaudent in Partu deſperato; eam nuper ex parte oppugnare niſus eſt Joannes Baptiſta Bianchius in ſuo elegantiſſimo, & peregrino de naturali, vitioſa, & morboſa generatione tractatu. Gloriatur ille, ſe rem tanti momenti, præcedentium Medicorum hallucinationes detegendo, in claram lucem protuliſſe. Quæ autem ille fuſiùs proſequutus eſt; ego hic in epitomen redigam, poſterius diſcutienda.

2. Sciendum eſt ergo, ait Bianchius. Medicorum veteres qui muliebre ovarium penitus ignorarunt; omnes generationes in utero tantùm fieri crediḋiſſe, ubi mixtionem utriuſque ſeminis maſculini, & fœminini contingere judicabant: verùm id poſt ovarii, tubarumque falloppianarum inventiones, illuſtratâ jam anatomiâ, falſum demonſtrari. Dantur enim binæ generationis ſpecies, naturalis una, quæ fit in utero, deſcendente ſcilicet in ipſum per tubas ovo jam antea fœcundato in ovario: alia vitioſa, quæ fit extra uterum: & hæc ipſa multiplicis item ſpeciei. Prima nimirùm ovi maturi, & in intimo ovario, ubi ſitus eſt, fœcundationem recipientis: uterus enim in eodem creſcit ovario, ipſum dilatando: ſecunda ubi maturum ovum exiſtit quidem in extremitate, ſeu margine ovarii, & prope ipſius membranam; verùm quamvis fœcundatum, ibidem remanet: cum inde forſitan exilire, & in tubas intrare non valeat. Tertia quando etſi prolapſum in tubam, in hujus tamen hæret principio, nec ultra deſcendit, aliqua tubæ obſtructione impeditum. Quarta cum ingreditur tubam, at in illius medio ſubſiſtit eo quòd progredi, & uſque ad uterum tranſire non poſſit. Quinta ſi ovum fœcundatum in ipſo exitu ab ovario tubam ad ſe benè excipiendum aptatam fortè non reperiens, & in abdomen deflectens, ſedem in ſuperiori abdominis cavea ſeu regione, ſortitur. Sexta denique ſi in lapſu a tuba ſitum occupet in ejuſdem abdominis pelvi. In omnibus hiſce caſibus Placenta, quam habet ovum, ſive quia adhuc ovario ipſi manet annexa, ut in primo, vel ſecundo caſu: ſive quia tubali membranæ, vel alicui abdominis parti, ut in cæteris, deinde adnectatur; nutrimentum exugit ex ipſis reſpectivè partibus, quibus adhæreſcit: ſimili planè modo, quo in naturali generatione utero alligaretur, in eo veluti radices defigendo: quapropter ovum in eodem ovario, abdomine, vel tubâ nequaquam verò in utero germinabit, Fœtuſque gradatim locum, in quo reſidet, pro incrementi ſui ratione, diſtendet; non ſecus, ac uterum in ordinaria generatione ampliare conſuevit. Sanè uterus, ipſius cavo ſpectato, in ſtatu naturali fabâ non eſt major: nec niſi ſenſim in Gravidis creſcit juxta Embryonis incrementum. Igitur ſi conceptio fuerit vitioſa; uterus non dilatatur, ſed in propria quantitate, & ſitu conſiſtit: interim graviditas procedit, omneſque putant Fœtum de more in utero vivere, & augeri, cum tamen alibî exiſtat. Propterea Partus non ſolùm erit difficilis, ſed prorſus impoſſibilis: ut enim ex utero naſcatur Infans, oportet eum eſſe priùs in utero ipſo: cumque non poſſit in eo ſtatu magnitudinis, ad quem natura jam illum perduxit, intrare tubam; ac multò minùs per in-

inferiùs tubæ orificium. quod eſt anguſtiſſimum, in uterum diſcurrere: neceſſe eſt, ut in abdomine moriatur, idque Matre ipſa commoriente: niſi provida natura aliquem abſceſſum in bujus abdomine moliatur, quo deinde rupto, ex eo ſpontè ſua oſſa demortui Fœtus egredi: vel ſaltem a perita manu erui poſſint: utrumque enim cum Matris liberatione interdum accidiſſe non dubitatur,

3. Poſitâ ergo tali generationum diverſitate, naturalis videlicet in utero, & vitioſæ extra illum, permonet Bianchius incisionem nequaquam competere, ſi conceptio ſuerit naturalis; competere autem aliquando ſi fuerit vitioſa, nimirum in ventre: quocirca vel ſolum abdomen, vel ſaltem cum abdomine ſola ovarii tunica, vel ſola extremitas tubæ ſecandæ ſunt. Enarrat autem plura graviditatum ventralium exempla, præſertim de Germana Militis Uxore, quæ novies Partum Cæſareum ſemperque feliciſſimè ſubſtinuerat,

4. Autumat proinde inciſionem in praxim deduci non poſſe, ubi conceptio ſuerit naturalis: quando ſcilicet Fœtus in utero exceptus, ibidem creverit: quia tunc neceſſariò incidendus eſſet uterus ipſe. Porro hic innumerabilibus intertexitur venis, quarum plures ultimis prægnationis menſibus craſſitiæ ſcriptoriis pennis æquales, magnâ ſanguinis copiâ turgent. Venis præterea magnitudine ſimiles arteriæ quatuor in utero numerantur: nimirùm duæ ſpermaticæ, totidemque hypogaſtricæ: itaut impoſſibile ſit, inciſione ſemel factâ, non inde protinus oriri inſuperabilem ſanguinis hemorrhagiam, convulſiones, aliaque atrociſſima ſympthomata, mortem denique Gravidarum. Quæ cauſa fuit, ut univerſi poſt celſum Medici uteri vulnera mortalia conclamaverint.

5. Diſtrictè autem in plerosque Partus Cæſareos ab Auctoribus allatos inquirit: aitque hos vel facta referre, quorum ipſi teſtes oculati nequaquam fuerunt; & ideo non ſatis probare, conceptionem fuiſſe naturalem; & conſequenter cæſum revera uterum: vel ſi apertè inciſi uteri meminerint: hoc non ſine Matris morte contigiſſe: imo ex quibuſdam circumſtantiis, quas ille ſubtiliùs expendit in caſibus, ubi a morte Mater evaſerat; adſtruere nititur, in his nullatenus uterum, ſed ſolum abdomen fuiſſe diſſectum. Arbitratur igitur Medicos ex æquivocis relationibus tandem ad Partus Cæſareos Viventium audaciores factos, nec attendentes diverſitatem inter conceptus ventrales, & uterinos; falsò credidiſſe, uterum revera vulneratum, ſeſeque demonſtraſſe, quod fauſtum, felixque ſit contra Veterum documenta, & præjudicia, poſſe illum impunè diſcindi.

6. At quamquam eruditiſſimi Viri argumentatio primo intuitu ſpecioſa, & plauſibilis videatur; evertere nihilominus nequit communem ſententiam in ſolidiſſima experientia fundatam, cum hæc in phyſicis, cuicumque ratiocinio ſit ſemper anteferenda: neque ei ſatis ille reſpondet, uti capite ſequenti Sole clariùs oſtendemus,

CAPUT TERTIUM.

In Cæſareo Viventium Partu non ſolùm Abdomen, ſed & Uterum feliciter incidi ſolitum.

1. ANte omnia monendum cenſeo, me non diffiteri pleraſque inciſiones a Medicis enarratas, fuiſſe tantùm ventrales; itemque de aliquibus non admodum conſtare, utrum fuerint revera uterinæ. Id ſolùm contendo, ſæpè etiam certò, ac feliciter ſectum uterum, contra quam Bianchius opinatus eſt, (a) *Cum nunquam*, ait ille, *Partus Cæſareus, ut internus, & uterinus; ſed po-*

Q

tius,

(a) Bianch. *de vitioſ. Generat. pag.* 195.

tius, ut externus & ſimplex deſcriptus videatur; & alibi: (*a*) *Hiſtoriæ, ventrales ſolùm ſuperiores, aut inferiores graviditates, ſine ulla uteri læſione, aut conſpiratione revera deſcribunt*.

2. Sanè Franciſco Rouſſeto conſulente (*b*) diſſecta fuit, ut ipſe narrat, Bernardina Arnolda a Tonſore, cui nomen Lucas. Hic poſtquam abdomen, & peritonæum ſecuiſſet; *uterum ſeparatim incidit, facto ſatis magno vulnere, quo Fœtui viventi, uti & ſecundinæ, facilis per vulnus pateret exitus*.

De Nicoletta Beranger clarè item aſſerit ſectum ipſi fuiſſe uterum, ſed non conſutum.

Ex eodem: Joanna Michel A. 1578. Infantem mortuum gerebat in utero, cujus manum Chirurgus præcidit. Poſtea quia totum educere non valebat, Prægnantem diſſecuit: cum autem uteri vulnus anguſtum feciſſet, eam valdè in extractione Fœtus divexavit: quæ tamen ſaluti nihilominus reſtituta bis deinde concepit.

In inciſione, quæ tertia legitur apud eumdem, in aſſertione Hiſtorico-Logica expreſsè traditur, Infantulus fuiſſe in utero, quamvis uncino extrahi non potuerit: Chirurgus verò poſt uterum viſum, & ſectum in eo mortuum Fœtum reperiſſe.

Cæterùm Rouſſetum dimittamus; omnino tamen duriſſimum videtur tot alios Chirurgos, ac Medicos, qui toties inciderunt, vel inciſioni interfuerunt; quibus ſi fortè ſenibus conſpicilla certè non deerant; omnes ad unum ante Bianchium per duo integra ſæcula cum dimidio exſecutientes, nunquam animadvertiſſe abdomen ſolùm, non tamen uterum fuiſſe diſſectum: cum apertè contrarium referant, modumque multi præſcribant, quo uterus jam cæſus denuo ſit conſuendus. Tanta eorum ſtupiditas profectò neque veniam, neque commiſerationem mereretur. Juvat autem aliqua hic experimenta ab aliis Auctoribus excerpta perpendere, ne ullum clariſſimo Bianchio effugium relinquamus.

3. Chirurgus circumforaneus Anno 1540., Schenchio teſte, (*c*) in Caſtro Pomponiſchi Mulierem ſecuit, duos illa geſtabat Fœtus, mortuum unum, qui Matrem valdè torquebat, viventem alterum. Chirurgus abdomen primò, deinde peritonæum, tertiò uterum diſcidit, mortui cadaver eduxit, viventem Fœtum reliquit, uterumque expurgavit. Gravida tamen convaluit, ac ſtato tempore vivum Infantulum peperit. Si ergo Fœtus iſti non in utero, ſed in abdomine ſedem fixerant, quomodo qui reliquus fuerat, naſci ſine nova ſectione abdominis potuiſſet?

Saviardus narrat Prægnantem An. 1692. mortuam, atque diſſectam, quæ quod ante annos quatuordecim Partum Cæſareum paſſa fuerat: adhuc in utero antiqui vulneris cicatricem oſtendebat.

Partus quoque Cæſareus a Lanchiſchio factus, & ab actis Eruditorum Lipſiæ ad An. 1693. relatus fuerat procul dubio uterinus: id ex ipſa quidem Hiſtoria ſatis liquet: naturali enim partui magnus vaginæ tumor obſtiterat.

4. Idem dico de cæſione, quam habemus a Vatero: (*d*) etenim ſimile fuit pariendi impedimentum. Mulier profectò adeo habebat callis occluſam vaginam ex ulcere, ut vix extremitatem digiti auricularis admitteret.

Par eſto de Cæſareo Partu A. 1701. a Ruleau Chirurgo Santenſi facto judicium: cum enim is comperiſſet in Muliere, de qua ſupra, malam oſſium conformationem artis tentamenta fruſtrari, ad inciſionem devenit.

5. Infans, La Motte referente, brachium ad orificium Obſtetrici præſentaverat, quæ brachium diſcerpſit: ex quo patet Infantem fuiſſe in utero. Chirurgus deinde Prægnantem ſecuit, nec ultra eam inviſit, cum aliqua tantùm remedia Marito reliquiſſet, ut ipſe Conjugi mederetur. Infirma nihilominus penè ſolius naturæ adjutorio evaſit incolumis.

6. *Margarita Francois*, uti ſuo loco

(*a*)

(a) Idem *ibidem pag.* 206.
(b) Rouſſet. *de Part. Cæſar. cap.* 5.
(c) Schench. *tom.* 2. *lib.* 4. *de Fœtu obſerv.* 174.
(d) Vater. *diſſert. de Part. Cæſ. edit. Wittemberg. A.* 1695.

(a) innuimus, An. 1723. diſſecta eſt: Obſtetrix Infantem ſibi ad orificium uteri occurrentem jam manibus contractaverat: conceptus ergo fuerat uterinus, uterinaque inciſio.

7. Magdalena Gordain, de qua etiam ſupra, Pariſiis anno 1739. examinata, depoſuit: ſe ſponte Cæſareum Partum poſtulaſſe, horrente Chirurgo, cui hæc operatio prorſus erat ignota: is a Prægnante animatus primò abdomen ſecuit, deinde Mariti auxilium poſtulavit, qui inteſtina ſubjecta manibus retineret: poſtea uterum incidit. Cum autem conſuto ventre, deinde suturæ diruptæ fuiſſent; Infirma eas iterum conſul recuſavit: priſtina tamen ſanitate recuperata, quatuor deinde filios naturali partu enixa eſt.

8. Margarita de Storeaux a Blierre, Marito ſuo adjuvante, inciſa fuit: poſtquam enim Infans ad orificium convenienti ſitu ſe Obſtetrici tractandum præbuiſſet; in alium converſus poſteriora dabat: uti Pater infantis profeſſione Medicus obſervavit. Itaque deſperato partu cum ſectis abdomine, & peritonæo, veſica urinaria ſeſe objiceret; hanc pupugit Chirurgus; ut urina diffluente obſtaculum tolleretur: quo facto diſcidit uterum, Prægnans intrepida detineri noluit, de Chirurgi tarditate, & cultro hebetiore tantùm conqueſta. Sectionem hanc non ſequuta fuit hæmorrhagia: purgamenta verò, & via ordinaria, & minora, quam in partu naturali, ejecta ſunt. Puerpera tandem incolumis poſt duos annos Puellulam edidit. Erit hic forſitan inciſus, nec ne fuerit uterus, ambigendum?

9. Inſuper Domina Deſmoulins ex peſſima oſſium conformatione, & corporis exiguitate, altitudinem trium pedum cum pollice non excedentis, Fœtum emittere non valebat. Soumain retulit, ſe inciſa pelle, muſculis, ac peritonæo, inteſtina offendiſſe; quæ a Socio detineri curavit; inde ſecuiſſe uterum; additque illius hæmorrhagiam parciorem fuiſſe, quàm in cæteris Puerperis a naturali partu etiam felicioris. Ægram denique ſaluti reſtitutam, quamquam Infante poſt decem dies, at Nutricis incuria, pereunte. Quid ad hæc reſpondebit Bianchius? An diſcernere neſciebat uterum Soumain? Neſciebant quoque peritiſſimi novem illi Medici, quos ante nominavimus, (b) quique ſectioni adſtiterant? Mirum certè tot Medicos, ac Chirurgos una ſimul fuiſſe deceptos.

10. Joſeph denique Maſtiani, de quo ſupra, bis propriis oculis Partum Cæſareum non ſolis abdominis, ſed uteri etiam inciſione peractum in Mulieribus valdè modicæ ſtaturæ, unde veriſimiliter partus impoſſibilitas proveniebat; ſeſe vidiſſe teſtatur. In primo Filiolus inventus eſt vivus, etſi non multò poſt obierit Nutricis indiligentiâ; Mater verò quamquam pluribus exactis annis, perſeverabat incolumis. In ſecundo Fœtus eductus eſt mortuus, Mater autem ex alia potiùs infirmitate illum decimo ſexto die ſequuta eſt. Capræ denique, atque Vaccæ Partu Cæſareo ut ſupra (c) liberatis uterus diſſectus fuit, ut mihi Sectores ipſi a me interrogati apertè retulere.

11. At inquit Bianchius, uteri vulnus lethale judicandum. Tale profectò eſſet, ut omnia aliorum viſcerum vulnera, in quibus, & partes diſſectæ difficiliùs a ſola natura curantur, & a Chirurgo tractari, balſamiſque liniri, & purgari non poſſunt. Sed in Partu Cæſareo non ita; nam & uterus jam diſcoopertus tractari valet, & cruor abſtergi, & balſama immitti, inciſæque partes mutuò ad compactionem commodiſſimè aptari.

12. Non inficior quidem tempore partui vicino uteri arterias, atque venas fieri tumidiores, & ſanguine pleniores: at is virtute illa præſtat, qua cætera carent viſcera: Fœtu enim ablato ſuopte ingènio contrahitur, & in modicam figuram redigitur, quod ad partes iterum uniendas egregiè conducit. Nam Heiſterus menſuram dans uteri in Matrona

(a) *Hoc lib. c. 1. n. 14.*
(b) Ibid. *n.* 14. & 15.
(c) Ibid. *n.* 16.

aſtu non gravidis. *Longitudo*, aſt, (*a*) *eſt trium pollicum*, *latitudo in parte ſuperiori duorum*, *in inferiori unius*: *craſſitudo verò ſexquipollicir*: *in Virginibus adhuc minor*. Quamobrem Recentiorum conſilium eſt, ne poſt Cæſaream inciſionem ſuatur ille; ſed ut ſibi ipſi potius naturaliter uniendus relinquatur. Quod ſi ſub initiis, nimirùm antequam natura uterum conſtringat; aliquanto copioſior obtingat hæmorrhagia; Medicus ob terriculamenta iſta ne concidat animo: cum novum non ſit in Partubus ipſis naturalibus Puerperas enormiſſimos ſanguinis fluxus & pati, & ſuperare.

13. Cæterùm uteri vulnus imo & amputationem ex ſe non eſſe omnino mortiferum, Celſus, atque Galenus docuere, (*b*) ac varis exemplis ad Partum Cæſareum non pertinentibus, & Bianchio non ſuſpectis dilucidè confirmatur. Mitto, quod Veteres ex Athenæo more ab Arthemiti Rege Lidiæ inducto, Mulieres caſtrabant: etſi enim Rainaudus, Brodæus, & Alii, id per inciſionem Abdominis, & reciſionem Dydimorum, ſcilicet ovarii contigiſſe arbitrentur; Delecampius factum cenſet, non ſectione, ſed fibulis ad inſtar Equarum. Attamen dubitari nequit Priſcos matricis extirpatione caſtraſſe Porcas, Galeno apertiſſimè dicente, (*c*) Sues cum in Aſia, tum in aliis Provinciis ultra Cappadociam cæſione caſtrari: qui addit operationem in Mulieribus fore periculoſiorem, etſi non explicet utrum re ipſa in Mulieribus caſtratio venerit in uſum. Ut ut fuerit Soranus eſt Auctor ad præſens etiam in Galliis uteri abſciſſione caſtrari Sues, eoque habitiores, & valentioris alimenti prædicari. Idem quoque in Sicilia matrice, vel ſaltem ejus medietate reciſa, factitatur. Idem denique tum de Suibus, tum de Gallinis: imo de Canibus, & Equabus tradidit Rouſſetus; (*d*) addens peritiores Caſtratores de induſtria uterum totum excindere graviditatis ipſius tempore, quod ita ſecuriores accidant caſtrationes, utero nimirùm valdè conſpicuo: ſeſeque proſperè tali pacto Canem caſtrari feciſſe. Porro matrix arteriis, veniſque non minùs in Animalibus antedictis, quàm in Mulieribus abundat.

14. Nec deſunt certiſſima facta id ipſum de Mulieribus comprobantia. Prætereo quidem illa, quibus Infans lacerato utero abdomen ingreſſus, ibique mortuus, non niſi apoſtemate facto extractus eſt. Plurima hujuſmodi exempla, Matre ſemper liberata, Rouſſetus, Bartholinus, & Alii tradiderunt: verùm ne dicat Bianchius, conceptus illos a principio fuiſſe ventrales; ad alia tranſeamus. Sanè variis de cauſis utero procul dubio dirupto, ſuperſtites fuere Mulieres. Fernelius (*e*) oculatus teſtis Puerperas perhibet incolumes, quamquam propter immanes parturiendi conatus matricem integram a corpore divulſam ejecerint. Infans, Hollero obſervatore, (*f*) die ante partum decimo quinto lacerato a ſe Genitricis utero; ex materno umbilico brachium emiſerat; deinde tamen via naturali, Puerpera ſalvâ, eſt egreſſus: ex quo patentiſſimè liquet eum nec in ovario, nec in tuba, nec in abdomine germinaſſe.

Præterea ſi Langio (*g*) oculato itidem teſti fidem tribuimus, Andreas Rempter uxoris ventrem adeo profundo vulnere confoderat; ut etiam Puerum ipſum ſauciarit: hic autem propterea mortuus, viâ ordinaria tandem exivit, ejuſque vulnus adhuc in dexterâ calvariæ parte, quæ calloſa erat, uſque ad ſiniſtri oculi ſupercilium cernebatur: nec tamen Mater interiit.

Run-

(a) Heiſter. *Comp. Anatom. de Utero*.
(b) Celſus *lib. 5. cap. 26.*
Galen *in 6. de Loc. affect.*
(c) Galen. *lib. 1. de Sem. cap. 15.*
(d) Rouſſet. *de Part. Cæſar. ſect. 5. cap. 1. & 2.*
(e) Fernel. *lib 3. Phyſiol. cap. 11.*
(f) Holler. *lib. 1. de Morb. inter. ſub fin.*
(g) Lang. *lib. 2. Epiſt. 39.*

Rungius Bremenſium Chirurgus Heiſtero (a) narravit, ſe Fœtum per ſolitam naſcendi viam eduxiſſe, qui antea matricem diſciderat; at quamvis ille per rupturam uteri inteſtina Mulieris manu perſpicuè tetigerit, eaque aliquandiù repreſſerit, ne in uterum irruerent; donec hic ſe multùm conſtringeret; Ægra tamen feliciter convaluit.

15. Quot verò Medici grangrænæ cauſa matricem ſine Mulierum morte reciderunt? Legantur Vega, Mercurius, Aliique. Profectò Rouſſetus de uteris, quà violenter abſciſſis, quà ſponte cadentibus, novem repræſentat exempla, ſexdecim tamen Bauhinus, quibus aliud ſuperaddo Panormitanum, & in Matrona etiamnum vivente celeberrimum. Quocirca Soranus ait. (b) *Minimè exiſtimandum eſt, uterum principatum ad vitam tenere; quia is non ſolùm procidit; ſed etiam in quibuſdam præciditur, nec tamen mortem affert, ut litterarum monumentis Themiſo commendavit.*

16. Præ cæteris autem Parèi auctoritas eſt attendenda. (c) Is cum eodem Bianchio, & Guillemeau olim putaverat, uterum abſque Gravidæ occiſione vulnerari non poſſe; nihilominus neceſſitate compulſus, ut ipſe narrat, (d) ad id devenit, ut Fœminæ infirmæ non ſolùm totum uterum, qui putruerat, fruſtatim; ſed etiam unum ex duobus Dydimis extirpaverit, Teſtibus non ſolùm Gaudino, Feurèo, & Violaneo Medicis; ſed & Veaux, & Guillemeau ipſo Chirurgis; illa tamen egregiè reſtituta eſt; ſed cum poſt trimeſtre tempus ex pleuritide objiſſet, eam incidit Parèus; qui ſubdit. *Diſſectæ à me, & ſedulo ſingula exquirenti, nuſquam comparuit uterus; ſed ejus loco calloſum quoddam corpus, quod natura, quæ nunquam in nobis otiatur, jacturam ejus partis quaſi reparatura, vel lacunam potiùs repletura ſubſtituerat.* Credendum ne Parèum, & Guillelmeaum, uteri ſectioni cæteroqui ſatis adverſos, in utero dignoſcendo cæcutiſſe?

Similem tamen obſervationem Rouſſetus adduxit de Muliere poſt mortem ſectà, in qua uterus, quo jam diu privata fuerat, non eſt inventus. Cæterùm uteri vulnus imo & amputationem non ſolù a Recentioribus, verùm etiam Priſcis Medicis, ad quos Bianchius provocavit non eſſe omnino lethale, Celſus, Galenus, Avicenna, Æzius Avenzoarius, ac Paulus Æginetà clariſſimi Veterum tradidere. Audiamus Paulum Æginetam, qui apertiſſimè ſcribere non dubitavit. *Conſtat ſola ablata matrice mortem inde non ſubſequi*, (e)

Quocirca Parèus & ſua, & aliorum tum Veterum, tum Recentiorum experientia edoctus eodem loco ſic habet. *Si uterus procidens remediis reſtitui nequeat, & vulneratus computruerit; jubemur Veterum præſcripto, illum amputare, cautè tamen ipſum vincìri volunt; ejuſque id tantùm, quod neceſſe ſit reſcindi; reliquum cauterio inuri, & ex artis regulis curari. Viſæ ſunt enim permultæ Mulieres, quibus totus fermè uterus exciſus fuerat nullo vitæ diſpendio; quemadmodum teſtatur Paulus. Joannes Langius Comitis Palatini Medicus ſcribit: ſe præſente Chirurgum Carpum Mulieri Bononienſi uterum extirpaſſe, ipſa ſuperſtite, & incolumi. Antonius Benevenius Medicus Florentinus ſcribit; vocatum ſe a Medico Vgelio ad curandam Mulierem, quæ cum ei uterus fruſtatim corruptus procidiſſet; decennium totum ſupervixit.*

17. Equidem ſcio Bianchium, ut ab Auctoribus, qui abſciſſiones uteri retulerunt, ſeſe expediat, reſpondere; non eſſe

[a] Heiſter. *part. 2, ſect, 5. cap. 113. n. 14.*
[b] Paræus *lib. 23. cap. 41.*
[c] Æginet. *Lib* 6. *cap.* 88. & *lib. 2. cap. 72.*
[d] Soran. *de loc. Mulieb.*
Primeroſ. *de Morb. Mulier. lib. 4. cap. 7.*
[e] Paræus *lib. 16. cap. 76. & lib. 24. cap. 48.*
[f] Idem *lib. 23. cap. 41.*
[g] Æginet. *l. 2. c. 72. & l. 6. c. 88.*

eſſe credendum, illos matricem integram amputaſſe, ſed aliquam tantummodo partem ipſius propendentem. Item aliud eſſe tandem uterum diſtentum, & ſanguine turgeſcentem ſecare in Gravidis: aliud ipſum incidere, ſed contractum, in non Gravidis. Verùm Paræus ait, ſe uterum integrum abſtuliſſe non ejus partem. Rouſſetus, ac Bahuinus ſemper in exemplis de toto utero abſciſſo, vel ſponte decidente, non autem de illius portione loquuntur. Rouſſetus ipſe ait, Canem ſuam gravidam uteri amputatione caſtratam; addens Peritos tempore graviditatis caſtrare ſolitos. Fernelius inquit, Gravidas non autem feriantes, conatibus in partu elicitis, uterum a corpore divulſum emiſiſſe. In ſumma, quæ tum ipſi, tum Hollerius, Langius, Soranus, & Ægineta ſupracitati dixere, ingenioſas iſtas Bianchii reſponſiones, interpretationeſque penitus, ac luculenter excludunt.

Mortuæ ſunt quidem nonnullæ poſt Partum Cæſareum uterinum Fœminæ, quod urget Blanchius. At eum illæ ut plurimùm nonniſi poſt dies aliquot fato ceſſerint; exiſtimandum eſt, mortem non ex venarum, arteriarumque hæmorrhagia, ut ipſe arbitratur, ſed aliunde proveniſſe: nam ſecus multo citiùs expiraſſent,

18. Inſuper, ut prætereamus totalem genitalium amputationem in veris Eunuchis Gynæceorum Cuſtodibus; habet etiam crudeles alias, & periculoſiſſimas chirurgia inciſiones, ad quas nihilominus, extrema urgente neceſſitate, confugitur, talis eſt exempli gratià Brachil, vel Manus aſſideratæ reciſio, Paracenteſis in hydrope, pectoris item ex celebri noſtro Ingraſſia ad pus educendum aperitio, Laringothomia quoque in ancinis: hanc veluti lethalem damnarunt Veteres; qui tamen ab Heiſtero earpuntur, cum exploratum hodie ſit, eam licet valdè gravem, non eſſe propterea inſuperabilem.

19. Summi denique diſcriminis eſt etiam Lithotomia, ſeu Sectio pro calculi extractione: maximè ſi veſica ſit incidenda. Goveus quidem Gallus e Recentiorum claſſe Chirurgiæ Scriptor cum Rouſſeto, Scipione Mercurio, & Velſchio, quamquam exempla illius felicia adducentibus, eam putat præ matricis inciſione non minus difficilem, atque periculoſam. Cæterùm ſæpiſſimè in illa votis reſpondere ſolet eventus. Multiplex autem eſt, quo ad modum Lithotomia: & primò præter illam, quam vocant majoris apparatus a Franciſco de Romanis An. 1520. inventam, in qua licet veſica non cædatur, attamen graviſſima incommoda, atque pericula occurrunt, a quibus tamen ſæpè Infirmi ſeſe feliciſſimè expediunt; quis non pertimeſceret Lithotomiam cum veſicæ diſſectione? quam circa An. 1698. Jacobus Bealieu Heremita de Belfort prope Veſantionem invexit? Hæc initio propter illius imprudentiam Plurimos aut vita ſpoliabat, aut ſaltem perpetuis, graviboſque malis implicabat: at emendata methodo ab ipſo Inventore, ac deinde a Rauleo, ipſam quotidie ſalutarem Infirmi experiuntur. Profectò Esbachius, & Heiſterus enarrant (a) e viginti, quos Jacobus poſt correctionem diſſecuit, vix unum eſſe deſideratum.

20. Nec levis exiſtimatur inciſio veſicæ alti apparatus, ſive Franconiana per hypogaſtrium: eam Petrus ipſe Francus adinventor, quamquam ex ſententia in Puerulo ſucceſſerit; cito tamen ut maximè periculoſam, ac penè temerariam damnavit, proſperum exitum, quem propriis oculis viderat fortunæ adſcribens. Verùm hoc noſtro ſæculo innumeri planè Doctores, & exempla utiliſſimam probavere, ubi Infirmus triginta annorum ætatem non ſit prætergreſſus. Id copioſè cum Aliis proſequitur Heiſterus: (b) qui poſtquam diſtinctè graviſſimas hujus inciſionis difficultates, atque pericula perpenderit; addit tot inter Ægros, quibus ipſe hac operatione calculum exemit, nullum Puerum, vel ſal-

(b) Heiſter. *p. 2. ſect. 5. c. 143. n. 10.*
(b) *Idem p. 2. ſect. 5. c. 142. n. 8.*
Rouſſet. Hildan. Pietreus, Riolan. Toletus, Solingenius, Probl, Liſterus, Dionyſius, Greemfieldius, Garengeot, Tibauthus, Douglaſſus, Cheſeldenius.

ſaltem trigeſimo anno minorem e Vivis ereptum.

21. Demum Lithotomia peragi poteſt minori apparatu per Perinæum; tunc verò diſcrimen eſt valdè majus, quàm in antedictis: etenim præter illud, quod ex veſicæ vulnere, & ab inſignibus venis, arteriis, muſculis, tendinibus, & ligamento ejuſdem Perinæi incidendi, provenit: atque ex inflammatione, & gangræna, quæ facilè inde conſequi poſſunt: in conſiderationem etiam venit tum læſio muſculi ſphinter, vicinorumque vaſorum ſpermaticorum, tum ex parte privatio genitalis virtutis; metus denique ne rectum inteſtinum fortè incidatur: at illa nihilominus a bis mille annis ad hæc uſque tempora in uſu fuit, dicta propterea antiquæ methodi, & a Celſo commendata. Ea creditur ſectio propoſita olim Arnulpho Flandriæ Comiti, qui eum periculum, in aliis fieri juſſiſſet, antequam in ſe ipſo illam admitteret; ex viginti Infirmis unum tantùm obiiſſe deprehendit, reliquis ſuperſtitibus, & a calculo liberatis.

22. Porro Medicis propter Hippocratis, & Celſi, (a) auctoritatem non minus formidoloſum ſemper fuit veſicæ, quàm uteri vulnus: eoque non obſtante, ad tot incidendæ veſicæ methodos excogitandas adacti ſunt. Adeo certum reputatum ſemper eſt Omnibus, extremis malis extrema quoque remedia eſſe adhibenda; quæ tamen ipſo uſu, & obſervationibus miteſcunt ſenſim; ac veluti cicurantur. Quocirca mirum non eſt Partum ipſum Cæſareum, qui Antiquos maximè perterrebat, ab hodiernis Chirurgis, utpote peritioribus tamquam verè propitium frequentari.

23. Itaque ſicuti valdè commendo Bianchii monitum tanto Viro digniſſimum de Cæſarea Sectione ſecurè, ſaltem aliquoties, miniſtranda, ſi Fœtus non in matrice, ſed in abdomine deliteſcat; ita ei aſſentiri non poſſum, ubi abſolutè vetat extrhal Fœtum per uteri inciſionem, ſi quando in utero maneat. Et profectò *Simonius* reputat magis tutam eſſe uteri ſectionem in Cæſareo Partu, quam ſolam abdominis: nimirum propter placentæ, ac fortè ſecundinarum cum maternis viſceribus adhærentias, quæ in ſecundo caſu eſſent metuendæ.

24. Verùm quis unquam niſi experientiæ crederet, in Partu Cæſareo neque ſpaſmos oriri, neque dolorem eſſe tam vehementem, neque hemorrhagiam adeo ſemper copioſam, ut vulgo putatum eſt? Profectò Rouſſetus, (b) Ruleus, Winslovius, & Alii perhibent, dolorem, ac ſanguinis fluxum non ſolùm in eo minores exiſtere, quàm in partu difficili, vel abortivo, ſed etiam naturali, & non difficili: hanc autem reddunt rationem: nimirùm pariendi tempore partes omnes ampliantur, ac propterea muſculi, & alia omnia extenuantur, & graciloſcunt: quo fit, ut cum minoris evadant molis, minus etiam abundent ſanguine; minorem proinde doloris quoque ſenſum inferat ipſa ſectio, quàm conatus naturaliter parturiendi, qui maximam habet convulſionem. *Perpenſis hiſce*, inquit Vvinslovius; (c) *non adeo miraberis e Sectione Cæſarea minus doloris, ac minus cruoris Alios obſervaſſe*.

25. Ab illa etiam Eruditiſſimi Bianchii doctrina diſſentio, qua nimirum aſſerit magnam fœcundatorum ovorum partem, quæ in exitu ab ovario tubas intrare debet; ſæpè caſu deviare, & in cavum abdominis ejuſque pelvim decidere, ibique deperire. Hoc, ut ipſe opinatur, evenit primò: quia tubæ, quæ non ſunt admodum firmæ ſtructuræ, ovario non alligantur, nec eorum ſuperiora orificia perpetuò illi applicata cohærent: ſed ab eo ſoluta, atque libera ſolent divagari: itaut facilè contingat, ut quo tempore ovum ab ovario egreditur, tuba ſit fortè ab illo remota, vel convenienti modo ipſi non aptata, & ovum propterea excipere non poſſit. Secundò; quia cum quandoque, nec difficulter, ipſius tubæ, orificium quamvis ova-

(a) Celſ. *lib. 6. c. 6.*
Hippocrat. *ſect. 6. Aphor.* 18.
(b) Rouſſet. *ſect. 2. c. 4. 9. 11. & ſect. 5. c. 3. & 4.*
(c) Vvinslov. *in Quæſt. 25. Martii An.* 1749.

ovario applicatum, obſtructum reperiatur; ovum depellit, quod proinde in abdomen cadere neceſſe eſt. Id autem ex eo confirmat, quia in muliebri ovario reperti ſint calices vacui majori numero, quam fuerit ſumma Filiorum a Muliere productorum: quod ipſi evidens eſt ſignum, aliqua ex ovis fœcundatis ad uterum non perveniſſe. At huic opinioni, & experientia, & ratio contradicit. Ratio quidem quia penitus eſt inveriſimile naturam, quæ nulla in re ſeſe magis providam, atque artificioſam, quàm in Hominis generatione demonſtrat: ita demum hujna organa diſpoſuiſſe, ut major humanorum Fœtuum pars neceſſariò ſit peritura: cui damno, Bianchio ipſo fatente, irrationabilia Animantia non ſubjacere, compertum eſt. Dicendum igitur obſtructa tubâ, neque virile ſemen, neque ejus ſpiritum in ſufficienti quantitate per eam ad ovum fœcundandum aſcendere: quod ſi obſtructa non ſit, ſicuti ea generationis tempore virtute ſpirituum generationi inſervientium, & adjumento plexus nervorum in eadem ab ipſomet Bianchio abſervatorum, ſemper verſus ovarium contorquetur ad ſemen, vel auram vivificantem illi deferendam: ita divino quodam naturæ magiſterio, & ope ſympathiæ, quæ inter tubam, & virile ſemen intercedit; cum ſemen, vel ſaltem ejus aura in ovo fœcundato vim ſuam exerendo, illud ad egreſſum diſpoſuerit, & concitaverit; ipſa tuba iiſdem nervis ſuffragantibus ovario ſeſe applicat, ut ovum ab illo demittendum complectatur. Hoc autem experientia, & ejuſdem Bianchii doctrina clareſcit: ſi enim infinita eſſent ova fœcundata, in abdominis cavum prolabentia; infiniti eſſent conceptua quoque ventrales: etenim ipſo docente, abdominis non minus calor, quàm uteri in Muliere ad ovorum germinationem ſatis eſt; cum nihilominus vel propter allatam rationem, vel propter aliud uſque modo non reſeratum naturæ arcanum rariſſimi ſint: vix enim inter decem centena millia una prodit ejuſmodi conceptio: quod verò plurea vacui calices conſpici ſoleant, quàm partus extiterint; poſſet in dubium fortè revocari: nam Alii, quos inter Purchotius, (a) contrarium evenire teſtantur. Concedimus tamen ita rem eſſe, ut aſſerit Bianchius: verum quid inde? Ova temporis decurſu (prout obſervatur in vetulis) congrui liquoris irrigatione deficiente ſiccantur, atque delentur. Quædam verò maturitatem aſſequuta, in ipſo ovario naturæ calore ſolvuntur, vel ob internam fermentationem ex ovario ſpontè ſuâ, quamvis a virili ſemine, vel ejus aurâ prorſus intactâ prorumpunt: ita ut quamquam non fœcundata in abdomen quidem: imo ſi tuba fortè ovario ſit applicata; in uterum ipſum, ſed infructuoſa deſcendant, eodem utrobique naturæ calore deſtruenda: quibus caſibus tamen ſæpè juxta Drelincurtium (b) putreſcentia, difficilium evadunt morborum origines. Certè fructus partim manu carpuntur ab arbore, partim verè maturi, nemine prorſus excutiente, labuntur, partim tempore debito non collecti paulatim in ramis ipſis areſcunt. Idem quoque in Gallinis notare licebit, quæ ova ſubventanea non minus, quàm fœcundata paſſim ab ovario, uti videmus, demittunt. Cæterùm in Mulierum ovis, etſi non fœcundatis, nec fermentationes re vera deſunt, nec expumationes liquidorum, quæ illa ſtimulant ad aperiendum ovarium, ut inde diſcedant. Naturam autem ſoli Fœtuum Humanorum indemnitati non ſatis providiſſe, quod ex Bianchii doctrina conſequeretur, omnino eſt incredibile.

26. Sed neque verum puto, quod ipſe addit, ſcilicet non tantam tubas fallopianas cum ovario connexionem habere, quantam habent in Quadrupedia oviductua. Id potiùs de Volucribus dici poſſet, quarum oviductus, ideſt infundibulum magna ſanè debilitate, ac mollitudine laborat: & nihilominus per quam ſufficientiſſimum eſt ad impediendum, ne ovum fœcundatum fortaſsè deviet, ac deviando diſpereat. Verùm in hac mate-

(a) Purchot. *p. 3. Phyſ. ſect. 2. c. 2.*

(b) Drelincurt. *Syſtem. de human. Fœtu perioche* 18. *& de Fœm. ov. cur. ſecund. n.* 10. 14. 19. 21.

teria Mulieres Quadrupedibus aſſimilantur, ut in Theſi Medica Pariſienſi 15. Januarii 1695. numero quinto adnotatur. (a) *Longè major eſt proportio ovi muliebris, aut quadrupedum, ad uteri tubas, quàm in Volatilibus Vitelli ad oviductum. Oviductus in his nuſquam ovario annexus, liberè in abdomine huc illuc fluctuat. In Homine verò, & Quadrupedibus tubarum expanſio per unam, aut alteram laciniam ovario connexa, parum ab ea recedere, ac divagari poteſt. Oviductus denique in pleriſque Volatilibus undique indiviſus: in Homine autem, & in Quadrupedibus tubarum expanſio in varias hinc inde lacinias diviſa, ac quodammodo lacera, longè faciliùs conceptionis tempore, aut forſitan aliquot a conceptione diebus, ovario applicari poteſt, illudque amplecti.*

27. Celeberrimus autem Verhejenius docet tubas non in ſola conceptione ovario applicari: ſed ipſi ut plurimum adhęrere. *Earum ſitus*, inquit, (b) *varius, ſæpiùs autem inveniuntur teſticulis incumbentes, qui ſitus videtur illis magis naturalis: quia dum ſurſum, deorſumq; reponuntur; apparent circa uterum contorta.* Drelincurtius tandem (c) etſi contra communem opinionem, quam ſequitur Bianchius, ovum exiſtimet ante fœcundationem deſcendere in uterum; mechanicis tamen, elegantibuſque ſimilitudinibus oſtendit, illud cum ab ovario egreditur, tubas ingreſſurum; non niſi rariùs in abdomen deflectere. Tubæ enim ſuo corpore fimbriato, ſuiſque plurimis, exilibuſque muſculis, tam arctè ovario ſeſe annectunt; ut ovi in abdomen lapſus pro naturali ſtatu planè ſit impoſſibilis.

CAPUT QUARTUM.

Quando Partus Cæſareus in Vivente probandus, vel improbandus.

1. DErelicta ergo Bianchii opinione, æquum erit communem ferè Medicorum omnium tranſacti, pręſentiſq; ſæculi amplectamur: eo quod innumeris jam experimentis pateat, Cæſaream Inciſionem non ſolùm, ſi conceptus in ventre, ſed etiam ſi in utero acciderat, feliciſſimè contigiſſe. Cum autem Partus Cæſareus non indiſcriminatim, ſed eximia cum cautela, & circumſpectione, nec niſi naturali Partu deſperato, ſit adhibendus; reſtat ut breviter ex Heiſtero, Simonio, Aliiſque (d) primi ordinis Medicis, & Chirurgis, videamus quibus in caſibus adminiſtrari eum oporteat: verendum eſt enim ne inopportunè fructum colligere contendentes, arborem ipſam ſuccidamus.

2. Igitur ante omnia diſtinguere neceſſe eſt, utrum Fœtus in Matre vivente ſit mortuus, an vivere pergat.

Si mortuus eſt Parvulus, & in utero ſolum cadaver ejuſdem ſupponamus, non incidenda Mater eſt: ſed ille potiùs ubi nihil obſtat, vel uncinis, vel aliis inſtrumentis educendus. Cavendum eſt autem quàm diligentiſſimè Chirurgis, ne illum, ut frequentiſſimè ſit, conatibus naſcendi debilitatum, ac deliquio labefactatum facilè mortuum credant, qui fortè vivat adhuc. Inſtrumenta enim ipſum vel diſcerperent, occiderentque,

R vel

(a) *Apud* Purchot *loc. cit.*
(b) Verhejen. *Anatom. l. 1. tract. 2. c. 27.*
(c) Drelincurt. *in Epiſt. ad D. Baſnag. t. 1. Biblioth. Anat. & in Syſtemate de Fœtu.*
(d) Heiſter. *p. 2. ſect. v. cap. 113. de Part. Cæſar. & c. 152. de Partu difficili.*
Simon. *in tom. 2. Memor. Acad. Reg. Chirurg. in Perquiſit. de Partu Cæſar. p. 2.*
Bianchi *de Vit. Generat. per tot.*
Videndi Rouſſet. Bahuin. Matth. Cornac. Sennert. Hildan. Cyprian. Saviardus, Rulou. & Acta Anglican. Gallic. & German.

vel ſaltem læderent. Porrò, uti ſupra dictum eſt, ſigna mortis in utero ſunt fallaciſſima: præſertim ſi Puer, vel in axillam, vel in dorſum, vel in alterutrum capitis latus converſum ſe præbeat. Quapropter moneant Chirurgos Parochi, ne unquam arripiant ferramenta, niſi priùs Infantis mors omnino ſit exploratiſſima.

3. Cum verò Fœtus mortuus in tuba manet fallopiana, vel in ovario, vel in abdomine; competit Cæſareus Partus, abſque quo Fœtus cadaver in Matris viſceribus relictum putreſceret, eamque communicata corruptione perimeret. Libentiùs verò hæc ſectio eſſet adminiſtranda, ubi abſceſſum aliquem natura ipſa promoverit.

4. Si verò Cadaver eſt quidem in utero, at modus alius non ſuppeteret illud per uncinos eruendi (quod fortè nunquam eveniet, niſi ubi in aliqua uterina hernia adhærentias habente reſideret) Matris liberatio in ſolo Partu Cæſareo conſiſtit. Idcirco Heiſterus non ſolùm monet eum Gravidæ ſuadendum, ſed etiam adhibita vi, quamvis illa diſſentiat, faciendum: ſi modo in eo ſtatu ſit ipſa, ut cum vitæ ſpe acerbum iſtud remedium ſufferre valeat: nam etſi ea illud expeteret; at viribus eſſet omnino proſtratis, frigefacta, & ſudore frigido manans; Partus Cæſareus abſque ulla Pueri jam defuncti utilitate ad mortem tantummodo Prægnanti accelerandam conduceret, ac fruſtra infamiæ, vulgique calumniis exponeretur.

5. Et hæc profectò ubi Matre vivente Fœtus e vivis exceſſerit. Si verò vivant ſimul & Mater, & Fœtus: accuratiori criterio opus erit, caſuumque circumſtantiæ diſcernendæ.

PRIMUS CASUS.

Mala oſſium conformatio.

6. Si quando in Matre pubis oſſum eſt nimis planum, ſeu compreſſum, vel profundius, quam par eſt, ſitum; vel os ſacrum nimis exporrectum, ſeu prominens, aut ſi tuberoſitates oſſis Iſchii ſunt invicem, vel erga coccigis os nimis vicinæ: ſive id naturaliter, ſive ex aliqua luxatione ſit factum: tunc inter Puerum jam partui maturum, ideoque grandiorem, & viam, per quam tranſire neceſſe eſt; debita proportio manifeſtè deficeret; proindeque partus erit impoſſibilis. Huic malo ſæpenumero obnoxiæ ſunt Mulieres modicæ ſtaturæ, ac malè conformatæ, quamquam non deſunt ex iſtis, quæ ſatis capacem habeant pelvim, & partui ſint ſatis idoneæ. Sicuti e contra non deſunt aliæ optimè in reliquis conſtructæ, quæ tamen ſufficienti pelvis amplitudine careant.

In ſupradicta ergo mala oſſium diſpoſitione tota ſalutis ratio, Matris non minus quàm Filioli, ex ſolo Cæſareo Partu, veluti ſacrà quadam anchora, pendebit.

7. Sectio autem ſemel ac naturalis Partus impoſſibilitas, ex inemendabili hujuſmodi cauſa innotuerit; ſine ulla mora facienda eſt: nec mortalia ſymptomata, & accidentia erunt expectanda: mora enim fatalis eſſet, & remedium tardum evaderet inutile: nam ex compreſſione, quam uteri collum pateretur, inflammatio, & gangræna oriretur: proinde redimendum eſt tempus, nec fruſtra in dilatatione orificii inſumendum: partus enim impeditio aliunde procedit. Idem dicas, ubi pelvis quidem conformatio non prava fuerit, attamen oſſa pubis, & iſchii exoſtoſes habeant prægrandes, & inſuperabiles: propter eas enim æquè impoſſibile erit puerperium.

SECUNDUS CASUS

Vaginæ anguſtia ob tumores: & ſimilia obſtacula in uteri orificio.

8. Vaginæ anguſtia vel ex naturali ipſius conſtitutione provenit, quòd ſcilicet minorem ſortita ſit diametron: vel ex cicatrice, duritie, calloſitate ob ulcus, aut lacerationem in partu antecedenti: vel ex tumoribus, magnam colli partem occupantibus: vel ab aliqua prænaturali membrana procedit.

9. Si anguſtia ex primigenia conſtitutione ſit, non facilè ad Partum Cæſareum currendum erit: cum enim magna ſit vaginæ ad ſeſe extendendam naturalis aptitudo: naturalis hujuſmodi extenſio ſperanda eſt.

10. Cicatrices, & calloſitates tunc Partum Cæſareum poſtulabunt, cum alia artis remedia nihil profecerint: in quibus etiam computantur inciſiones, & locorum vaginæ, ubi fortè obſtaculum reſidet, expeditio: deinde ſpeculi applicatio, vel denique callorum ipſorum extirpatio.

11.

11. Tumores ad matricis orificium ſi ſint ingentes, ac ſcyrroſæ duritiei, omnem quandoque ſpei pariendi aditum præcludunt: neceſſe eſt enim ut proportio inter Puerum exiturum, atque oſtium intercedat. In hac igitur circumſtantia præſtat inciſione uti, quam extirpatione tumorum, quæ nimis eſſet pericoloſa.

12. Verùm ſi tumores non ad orificium uteri ſint, ſed in vagina; difficiliorem ſolito, ac lentiorem reddunt partum, ſed non deſperatum: imo ſi ſint duriores, & craſſiores commodiſſimè, & ſine periculo extirpantur.

13. Calloſitates autem, & colli uterini reſtrictio propter ulcera, & lacerationes ex partu antecedenti difficili, non ſemper juſtam Cæſarei Partus efficiendi cauſam ſubminiſtrant. Poterit enim naturalis partus eſſe quidem difficilis, quin ſit abſolutè impoſſibilis. Expediendum eſt itaque matricis collum per inciſiones, ſi ſint indicatæ: incidendæ ſunt quoque aliæ præternaturales membranæ ſi obſtent.

TERTIUS CASUS.

Uteri diruptio.

14. In maxima partus difficultate ob inſolitos Parvuli Matriſque conatus, uterus quandoque dilaceratur, ac Fœtus ipſe toto corpuſculo Genitricis ventrem ingreditur, quo ſemel facto, naſci deinde omnino nequibit. Si igitur poſtquam ille ad orificium venerat, dolorifici pariendi impetus repente conquieſcant, ac Puerpera ſolitum pondus, atrociſſimumq; dolorem, quem in utero patiebatur, in ventrem mutata ſede tranſire ſentiat; pulſu præſertim intermittente; neque Infantulus amplius tangi queat; uterum jam dilaceratum, ac totum Puerum in abdomen commigraſſe judicabimus.

15. In hoc ergo infortunio quàm celerrimè Partus Cæſareus adhibendus eſt. Secus non ſolùm Puer, ſed Mater ipſa brevi peribit: ob inſignem ſcilicet, internamque hæmorrhagiam, ſanguine inferiora ventris latibula inundante.

16. Quocirca meritò caſum iſtum ex urgentioribus ad Partum Cæſareum accelerandum Chirurgi reputant. Inde eſt etiam quod Vrillemeaus, ubi in partu verè arduo Puerperam convulſionibus laceſſiri videamus; monet Infantem eſſe extrahendum, propter formidinem ſcilicet ne uterum ille diſrumpat.

17. Cum verò interdum contingat, ut uteri raptura non magna ſit, utque hæmorrhagia nec enormis videatur, nec interna, ſeu ad ventris caveam vergens, at externa: cumque poſſit idcirco Puer ſolita via, quamquam lacerato utero, nonnunquam oriri, quod nonnulla comprobant exempla; Partus Cæſareus non ſemper, ſed in duabus tantùm circumſtantiis indicatum cenſebimus: nempe ſi totus Infantulus in abdomen intraverit, vel ſi pro parte quidem eò ingreſſus eſt, pars tamen reliqua in utero manens non ſufficientem, ut ita dicam, præbet anſam, qua Chirurgus illum foras educere valeat.

18. Si quamvis utero non rupto magna naſcatur hæmorrhagia, quæ ſiſti fortaſſe nequeat; ſalus in Partu Cæſareo ſita eſt. Dum enim Infans uterum inhabitando ipſum expandit, cruoris effuſio coerceri non poſſet: contra verò poſt Cæſaream inciſionem utero ſua ſponte contracto minuetur. (*a*)

QUARTUS CASUS.

Vitioſa extra uterum conceptio.

19. Ventralis conceptus, ut ſupra innuimus, multiplex eſſe poteſt: nimirùm primò in intima ovarii ſubſtantia. Secundò inter iſtam, ac tunicam ſuccingentem. Tertiò in extremitate, ſeu tentorio alterutrius ex tubis fallopianis. Quartò in ipſius tubæ medio. Quintò in ſuperiori abdominis cavea. Sextò in inferiori, quæ pelvis appellatur.

20. Generatim conceptus ventrales ab uterinis, ideſt vitioſi a naturalibus, non difficilè internoſcuntur. Nam in naturali tumor apparet ſubrotundus, planus, æqualis, ac veluti levigatus, & plerumque in medio Hypogaſtrii. In prænaturali verò tumor acuminatus, rudis, ac durus, ut plurimum ſitu altior in alterutra iliacarum regionum, & pro ratione temporis minor. Naturalis in principio nauſea, & vomitibus moleſtus

(a) Boerahav. *de Concept. n.635. in not.* Haller. *ibid. n.* 40. *cum* Galeno, & Rouſſeto.

in progreſſu miteſcit: præternaturalis in principio mitis in progreſſu exaſperatur, Matri variis, gravibuſque ſymptomatis acerbiſſimus, ac maximè doloroſus, præſertim ad tactum: quæ ſanè mala creſcunt in dies, creſcente Fœtu: tum quia hic partes naturâ ſuâ ad diſtentionem ineptas magis, magiſque diſtendit; tum quia viſcerum functiones interturbat: niſi fortè in inteſtinorum anfractibus veluti ſepultus jaceat: tunc enim vix tumor ejus ab aliis, ac dolor a Matre percipitur.

21. Partus autem tempore advenient̄e, faciliùs vitioſa generatio a naturali diſcernitur: nam in illa contra quàm accidat in iſta, ſecundinæ Obſtetricibus non ſe præſentant, nec aquæ ſolitæ, nec aliquid glareoſæ materiæ ex utero deſcendit; hic enim abſque ſenſibili mutatione clauſus perſeverat. Doloris impetus non utique in utero, ſed per totum abdomen, ubi Fœtus exiſtit, & unde egreſſum ſuum ſollicitat, vim ſuam ferociter exerunt: niſi inter uteri collum, ac rectum inteſtinum domicilium ſibi fixiſſet.

22. Notas etiam deferunt vitioſæ generationes, quibus inter ſe ipſas diſcriminentur. Nam in graviditatibus ventralibus caveæ ſuperioris, lac ex mammis non erumpit, neque ſymptomata, aut veſicæ, vel inteſtini recti læſiones, nimirum propter diſtantiam; ſed reſpirationis difficultas obſervatur: contra verò ſi graviditas in ovario, vel tubis, vel abdominis pelvi contigerit; inferiorum viſcerum functiones turbantur: organa tamen reſpirationis, utpote remotiora, moleſtiis eximuntur.

23. In conceptionibus, quæ ad ovarium, vel tubas pertinent, purgationes menſtruæ ſupprimuntur, nec ſuperfœtationes emergunt: contra verò in prægnationibus abdominis, & menſes fluere pergunt, & aliquando advenit ſuperfœtatio.

24. Cum Puer in inferiori abdominis cavo latet, magis dolorifica erit prægnatio, quàm ſi in cavo ſuperiori: nam in ſecundo Fœtus ab intimis ſedibus diſtat, ac veluti ſubcutaneus tactu ipſo dignoſcitur, quandoquidem rari ſunt conceptus ventrales ſuperiores intimi, ac viſceribus immerſi: denique Infantis motiones in ſuperiori cavo, loco nimirùm ampliori, utpote non coerciti, vagantur, maximè ſi placenta parti alicui fluctuanti ſeſe alligaverit: qua in circumſtantia Fœtus nunc huc, nunc illuc transfertur; eaque loci variatio in cæteris prægnationibus, quæ fixam habent omnino ſtationem, percipi non poteſt.

25. Difficilè tamen graviditas ovarii a tubarum graviditate diſcernitur, propter horum viſcerum propinquitatem, & unius extenſionem ſuper aliud. Medici nihilominus cruciatus eſſe minores adnotarunt, ſi prægnatio in principio tubæ facta fuerit, quam ſi in ovarii margine: atrociores verò perſentiri, in infima ovarii ſubſtantia, quam ſi in ejuſdem ovarii extremitate contigerit.

26. Jam verò ſi pariendi tempus inſtet, doloreſque ſoliti irruerint, Puer tamen ſuperiori abdominis cavo contineatur; qui caſus in ventralibus graviditatibus eſt maximè obvius; & omnium ad cæſaream operationem tutiſſimus; abſque ulla prorſus exitatione, nullaque interpoſita mora, Partus Cæſareus ad Matris, ac Filii liberationem; vel ſaltem Matris, ubi Filius interierit, eſt uſurpandus.

27. Manum autem huic inciſioni admovere oportet, quo tempore ad ortum nititur Infans: tunc enim placenta, & ſecundinæ a maternis viſceribus, quibus ante adhærebant, natura in primis agente, ſolvuntur: quæ enim Chirurgi ars, qui culter eas tam aptè, atque innocuè diſſociare valeret? Eam tamen circumſtantiam excipit Bianchius: nempe ubi Fœtus licet immaturus, exitum fruſtra moliretur, ac Matri propterea eſſet omninò intollerabilis: tunc enim ejus antea inveſtigata manſione, Partu Cæſareo præcipit extrahi, ne Genitricem occidat: & conſequenter ne ſe ipſum perimat cum ſalutis æternæ jactura: ſi verò mortuus jam ſit, nec Matri moleſtus, quia fortè incorruptus, vel exiccatus; prohibet Bianchius illum per ſectionem educi: videtur enim adeo firmiter Matri annexus, atque conglutinatus, ut nequaquam veluti corpus extraneum reputandum veniat: quamobrem propter adhærentias Partus Cæſareus non tutò efficeretur: duas tamen hæc

re-

regula patitur limitationes: prima quidem eſt, ſi natura per aliquem abſceſſum inciſionis neceſſitatem, ejuſque faciendæ locum indicaret. Secunda, ſi aliqua ſuccedat ſuperfœtatio: tunc enim, niſi extirpetur mortuus; recentioris Fœtus extenſionem præpediet, eumque diſperdet: Matremque ipſam acerbiſſimis malis, ac ſymptomatis involvet, & in certum vitæ diſcrimen conjiciet: quocirca monet eſſe accelerandum.

28. Cum conceptio ventralis fuerit, ſed in pelvi; Fœtus nonniſi uſque ad certum tempus ibidem creſcit; ſed ad maturitatem perduci non poteſt, a loci anguſtia coarctatus, atque compreſſus: ac multò ante partus tempora e vita diſcedit; ſtatimque corrumpitur ob loci, qui totius corporis eſt ſentina, impuritates. Itaque Partus Cæſareus ad hujuſmodi Fœtus a morte ſervandos miniſtrari non ſolent: niſi cum ipſi in cavo ſuperiori abdominis concepti, & adaucti, deinde a priſtinis ligamentis naſcendi impetu ſoluti, ſeſe in inferiora loca inſinuaverint.

In eo tamen eventu ſectio ex Bianchio ad Perinæum: (ſicuti quandoque Lithotomia in calculoſis) erit inſtituenda.

29. Si Fœtus in intima ovarii ſubſtantia germinaverit, parum ibi ſubſiſtet; ſed inde per internum abortum citò egreſſus, & in abdomen prolapſus, in abdomine peribit: Matre interim ex interna, & immedicabili hemorrhagia etiam pereunte. Igitur in interiori ovarii conceptu cæſarea ſectio viventi quidem Matri fieri non conſuevit: mortuæ tamen facienda eſt, ut Parvulus, qui fortè vivat, Baptiſmi aquâ mundetur.

30. Cum verò in ovarii margine, vel in tubæ principio ad maturitatem uſque ille creverit; (nam utrumque aliquoties evenire non ambigitur,) & ſolet, & fauſtiſſimè adhiberi ſolet viventis Matris inciſio.

31. Non eadem eſt Fœtuum ſors in medio tubæ germinantium: conſtat enim eos maturitatem non adipiſci: quippe qui, teſtante Bianchio, tubam diſcindant, fatali hæmorrhagiâ, quæ inde ſequitur, Matrem enecantes: hujus verò morte comprobata, Cæſareus Partus omitti non debet. Cæterùm ſi, & hi, raro quidem caſu, ad proprium nativitatis tempus pervenerint; ex Heiſtero, aliiſque Medicis, atque Chirurgis Mater ubi vivat, erit omnino cæſarea operatione adjuvanda: quamvis enim hæc tali loco periculoſa ſit; remedium tamen eſt unicum, ac prorſus indeclinabile.

QUINTUS CASUS.

Uteri hærnia.

32. Si hernia cum vicinis partibus adhærentias fecerit, & adeo ſit ingens, ut Puer in locum debitum intromitti nequeat; adhærentiæ poterunt contractioni matricis obſtare: ac tunc Infantis corpus, quod in naturali partu ſuper uteri orificium incumbit, ſuper ipſius fundum gravitabit: proinde ad Cæſareum Partum deveniendum eſt. Si tamen adhærentias non habeat hernia, ſed libera ſit; quantumvis magna, ingredi ſanè poterit: quocirca ſectione cæſarea non opus erit, ſed ſolitis artis præſidiis Infantulus adjuvabitur.

SEXTUS CASUS.

Naturalis Infantis magnitudo.

33. Hactenus de partus difficultatibus a Matre provenientibus: nunc aliqua de iis, quæ ipſi Filio imputantur. Itaque ſi Puer prægrandis eſſet, Mater autem in pelvis oſſibus benè conformata, & in mollibus partibus obſtaculis libera: quæcumque profecto fuerit naſcituri moles, laborabit ille quidem, ſed tandem naturæ mechaniſmo, & maternarum partium extenſibilitate prodibit: quamobrem non facilè ad Partum Cæſareum ſeſe accinget Chirurgus, verùm ad pariendi difficultatem vincendam, aliis artis remediis utetur: quot enim Parvuli Obſtetricibus poſteriora dantes volumenque ſuum ea configuratione duplicantes, nihilominus apprehenſi extracti ſunt? Quoties etiam duo Parvuli quamvis invicem uniti, Matre incolumi aliquando tandem educti?

34. Cæterùm ſi Puer quacumque ex cauſa capite impacto in ſuperiori uteri orificio, vel vagina immobilis hæreat; quę rerum conſtitutio, e difficilioribus, quæ obſtetricantibus occurrere poſſunt, meritò reputatur; quid agendum?

Hei-

Digitized by Google

Heiſterus (*a*) non laudat inciſionem, niſi Parvulus regni ſit hæres, & paci publicæ neceſſarius, aut Mater incidi optaret: docet autem illum ſyphunculo, aut aliter baptizatum, & aliis artis remediis diligenter adjutum, ſibi ipſi derelinquendum eſſe, ut tandem ex ſe demortuus ferramentis evellatur: quod ſi Mater fato ſit proxima, & anxiè quærat auxilium: putat Infantem veluti ejuſdem invaſorem inſtrumentis, a ſe deſcriptis, eſſe trucidandum.

35. At in his circumſtantiis Partum Cæſareum omnino proponerem Genitrici non minus, quàm Filio, Principibus item, ac Ignobilibus æquè ſalutarem: Fœtus autem viventis carnificinam non opus eſt hoc in loco refellere, cum ſæpè damnaverim.

Septimus Casus.

Morboſa ex hydrope Infantis magnitudo.

36. Si Puerulus hydrope, non tamen hydrocephalo, laboraret; poſſet illi quidem in ipſa matrice ſine Puerperæ ſectione, paracentheſis ideſt punctio adhiberi: nam qui capitis hydrope taliter extumuit, ut propterea oriri non poſſit; vitam ipſe jam ante finire conſuevit: quare ſi mortuus verè fuerit, uncinis erit extrahendus. (*b*)

Octavus Casus.

Monſtra.

37. In conceptu monſtroſo, puta bicipiti, vel bicorporeo, quamquam partum impoſſibilem ſupponamus, denegat Heiſterus (*c*) ad hujuſmodi Parricidas liberandos inciſionem; quod nec vitales eſſe ſoleant, nec niſi inutilia, & horrida ſint Orbis Terrarum pondera. Vult igitur eos (utique modo aliquo baptizatos, quod expreſsè de aliis admonet) mori ſinamus, deinde ferramentis extirpandos. Et optimè quidem ſi ſolam Fœtus corporalem vitam intueri oporteret: ſi enim ad ſpiritualem quoque, uti neceſſe eſt, attendamus, cujus diſcrimen, etſi dubium, corporali Genitricis diſcrimini prævalet; Heiſtero aſſentiri non poſſumus: etenim cum monſtroſorum Homunculorum Animæ non ſint aliis, formoſorum nempe ignobiliores; eadem erit pro æterna utrarumque ſalute Matris obligatio: imo pro monſtroſorum quandoque major: nam primò, ut in reliquis Infantibus, penſandum eſſet, utrum Baptiſma exiſtenti prorſus in utero collatum, de quo diſceptabitur infra; ſit validum; nonnulli enim Doctores apertè refragantur: deinde ſi Monſtra ſunt bicipitia, vel bicorporea, & in utero per ſyphunculum baptizantur: præter cætera oportet ut certò ſciamus utrumque corpus, aut unumquodque eorum caput aquæ immiſſione lavari. Idemque dicas ubi duo Gemelli foras prodire, quamvis ab invicem ſeparati, nequirent: cum certum ſit unumquemque ipſorum eſſe neceſſariò abluendum.

38. Et hæc ſanè de Cæſarei Partus pro variis circumſtantiis neceſſitate, atque opportunitate: quod autem ad methodum ejuſdem in Viventibus exequendi pertinet, ferè eadem eſt, ac in mortuis: niſi quod ſanguis perpetuò a vaſis inciſis diſtillans, accuratè, & indeſinenter, ne in viſceribus Infirmæ ſtagnans, ibidem corrumpatur; ſpongiis vino, vel decocto vulnerario calido, madefactis expurgandus eſt: ora majorum venarum digitis comprimenda, applicitis etiam linamentis ſpiritu vini rectificatiſſimo imbutis: quibus paulò poſt exemptis, abſterſoque ſpongiis iterum ſanguine; balſama partibus vulneratis immitti oportebit. (*d*) Dionyſius inciſionem non ab umbilico ad inferiora & linea longitudinali faciendam optat; ſed a parte laterali ventris, ac per lineam ſemilunarem: jubet etiam cum Veteribus uterum non minùs, quàm partes alias inciſas pro coagmentatione conſuendum. Heiſterus autem, qui latiſſimè, ac minutatim Partum Cæſareum Viventium deſcribit, probat quidem lineam lateralem; ſed eam poſtulat rectam: futuram verò uteri cum Recentioribus prohibet, ejus partium unionem naturæ ipſi committens: cum

ex

(a) Heiſter. *loc. cit. cap.* 152. *n.* 27. *& cap.* 113. *n.* 17. *& in not. ad lit.* A.
(b) Simon. *loc. cit. caſu* V.
(c) Heiſter. *loc. cit. cap.* 113. *n.* 8. *& cap.* 152. *n.* 27.
(d) Idem *p.* 2. *ſect.* 5. *c.* 113. *n.* 8.

ex ſponte ſua contrahi ſoleant glutinari, ac feliciſſimè uniri.

39. Explicatis igitur juxta Medicorum ſententiam caſibus, quibus Partus Cæſareus in Vivente conveniat; diſcutiendum hic eſſet, utrum Mater illum ſubire teneatur, ne Infantulus abſque Baptiſmate pereat, ubi diſſectæ ſpem vitę poſt cæſionem remanere ſupponamus; at cum Theophilus Rainaudus tractatum *De ortu Infantium per ſectionem Cæſaream* eruditiſſimè conſcripſerit, in quo aliquibus de diſſectione Defunctarum delibatis, totus in eo eſt, ut ad Sanctuarii lances examinet qualis, & quanta ſit in Matre vivente, pro Filii Baptiſmate procurando, ſubſtinendæ inciſionis obligatio; ne, quod accuratiſſimè actum eſt, agamus iterum; ſatis mihi feciſſe videbor, ſi ſummam hic ejus doctrinę ſubjunxero: pręmonens interea nonniſi rarò contingere, ut & infra dicemus, caſum, quo Puer ſyphunculo ſaltem in utero baptizari nequeat: ſi modo talis Baptiſmi validitas admittatur.

40. Itaque Rainaudus ex hodierna Medicorum ſententiâ, perdocentium; Poſſe Matrem, nec difficulter, uteri cęſuræ ſupervivere; juxta D. Thomæ principia probat, eam pro æterna filioli ſalute non ſolùm ſub gravi peccato ad inciſionem tolerandam, ſed ad ipſam etiam expetendam obligari. Hanc ampliat concluſionem ad caſum, in quo dubium quidem eſſet, utrum inciſâ Matre Filius juvaretur, an non: adſtruens ſpiritualem Pueruli vitam, etſi tantùm probabilem, certo dolori, ac probabili mortis periculo in Matre pręponderare ſemper: Joannem verò Sanchez reprehendit, quod is, ut a Divi Thomę auctoritate ſeſe extricaret, ridiculam illi interpretationem affinxerit: additque eum ipſi tam diſtorta commentatione illudere conatum, ac minus culpabilem futurum fuiſſe, ubi manifeſtè tantum Doctorem impugnaſſet. Cæterùm Rainaudi ſententię contra Sanchez, maximè favent Paulus Vecchi, Peſbartus, & Briſnſonus, qui licet hujus materię dilucidatione antiquiores, ad inciſionem tamen propenderunt, dummodo abſque magno Matris periculo, uti jam hodie ſcilicet experimur; ea peragi poſſit: quibus accenſendi ſunt etiam omnes illi, (& planè innumeri) qui obligationem baptizandi Infantes, vel cum vitæ periculo clariſſimè propugnant.

41. Ad alium etiam caſum doctrinam traditam Rainaudus extendit, quo nimirum poſſet quidem Parvulus abſque Matris inciſione baptizari, at ſupervivere non poſſet: ſi tamen ejus vita publico bono eſſet neceſſaria: puta ſi unicum eſſet ille Regalis familiæ Germen, & Regni Hęres.

42. Denegat autem poſſe incidi Matrem capitis damnatam, ad Baptiſmum Filiolo miniſtrandum: Leges enim jubent naturalem partum expectari: nam aliter Fœtus innocens cum ſit immaturus, ubi tempore improprio, & a natura non prærordinato ederetur in lucem; vitalis non eſſet, aut ſaltem graviſſimo, & manifeſto mortis diſcrimini exponeretur. Negat propterea Prægnantem morti adjudicatam ad uſum anatomię incidi poſſe: idque ſolùm permittit, ubi ejuſdem ſupplicio retardato magnum aliquod Reipublicę periculum immineret: modo tamen octavo menſe, aut ſaltem ſeptimo, inſtitueretur inciſio.

43. Poſtremò docet Cęſones, qui Gemelli fuerint, diviſis bonis pro ęquali portione ſuccedere, cum reſciri non poſſit, uter eorum ſit primogenitus: nec enim favore primò extracti præſumendum ullatenus eſſet: cum hujuſmodi extractio nativitas quidem ſit, verùm non a natura, ſed ab arte procedens.

44. At ſi quæſtio de indiviſibili hæreditate agitaretur, puta de jure ad Regnum; tunc ad Patrem Regem prędilectionem, & alterutrius electionem pertinere: & in illius defectu ad Populum, cui novus ille Princeps eſſet dominaturus. Admonet autem ex Carranza (a) Cęſones iſtos, ut circa jura civilia, ſucceſſionum ſcilicet, hęreditatum, ac legatorum, attendantur; oportere eſſe maturos, & partui naturali jam aptos: aliter ſi poſtea decedant, eos veluti ſi nun-

(a) Carranza *lib. de Part. natur. c. 6. §. 1. n. 14.*

nunquam orti fuiſſent, procul dubio reputandos : in Hiſpaniis tamen requiri etiam Baptiſmum recepiſſe, ac Partui Cæſareo, (quod ſupra ſatis innuimus,) per horas vigintiquatuor ſupervixiſſe.

CAPUT QUINTUM.

Doctrina Rainaudi a Michaelis Bodovvingerii objectione defenditur. Et Chirurgorum obligatio in Partu deſperato, vel difficili explicatur.

1. RAinaudum verò Michael Bodowingerius Medicus Antuerpienſis impugnat, (a) dicens Cæſaream Viventium inciſionem, etſi licitam, & ſalutarem, ſpectare tamen ad nobiliorem ſpeciem fortitudinis: non ad præceptum charitatis. Studetque non minùs, quàm Joannes Sanchez D. Thomę textum emollire, ſed fruſtra: hujus enim ſatis perſpicua, & aperta ſunt verba. (b) *Non eſt de ratione charitatis, quod Homo proprium corpus exponat pro ſalute Proximi, niſi in caſu, quo tenetur ejus ſaluti providere: ſed quod aliquis ſponte ad hoc ſe offerat, pertinet ad perfectionem charitatis.* Nos utique non in caſu regulę, ſed exceptionis adjectę verſamur: agitur enim de extrema Proximi ſpirituali neceſſitate, cui ſi unuſquiſque providere communi quidem jure, ac ratione tenetur; multò magis id in Matre verum eſſe oportebit, quæ arctiſſimo vinculo ad æternam Filiorum ſalutem diligentiſſimè procurandam obligatur. Nequit igitur juxta D. Thomam Partus Cæſarei admiſſio in ea tamquam actus meri conſilii ad hæroicam perfectionem pertinentis exiſtimari, ſed tamquam neceſſarius, & ab inviolabili charitatis lege imperatus.

2. Nil autem hujus doctrinæ firmitatem; contra Bodovvingerium, ſuppoſita in Prægnante ſpe vitæ, luculentiùs oſtendit, quam Gobati Palinodia. Docuerat is, Matrem ad inciſionem tolerandam non teneri: ſed cum deinde Rainaudi tractatum perlegiſſet, primò dicta commandabili certè ingenuitate, in appendice revocavit, additque: (c) *Omnes Doctores, quos ipſe ſequutus fueram, negans ſectionem; approbaturos ſententiam Rainaudi, ſi judicia Medicorum perſpecta habuiſſent.* Recentiorum ſcilicet, qui utilitatem Cęſarei Partus demonſtrarunt.

3. Parochus ergo ubi ex Medicorum judicio Gravidæ inciſionem eſſe neceſſariam, ejuſque pericula ſuperari poſſe cognoverit; Partum ipſi Cæſareum laudare, & efficaciter ſuadere non omittat: oſtendens quod ſupra monuimus; hujus ſectionis dolorem non eſſe adeo vehementem, neque cruoris effuſionem adeo immanem: nemo etenim unquam negabit, Prægnantem hujuſmodi tolerantiâ excelſum ſaltem, eximiumque magnanimę Charitatis actum exercituram: cum cęteroqui ad officium Paſtoris Animarum pertineat non ſolùm ſibi creditas oves per pręceptorum adimpletionem a noxiis peccatorum graminibus, & æternę ruinę baratro arcere; ſed etiam per ſublimiora conſilia, quoad fieri poterit, ad hæroicarum virtutum ſaluberrima paſcua ducere, ac invitare. Cęterùm non indifferenter, nec facilè ſubſtinendę inciſionis debitum ſub gravi peccato pręgnanti Parochus denunciabit, ſed tantum ubi ex chriſtiana illius virtute, atque circumſtantiis confidat illam aſſenſuram. Si tamen ipſe pro certò haberet, ſe nihil ſuaſionibus ſuis conſequuturum; Partum Cęſareum prudentiori, atque convenientiori modo, quo poterit, proponet quidem: de ſtricta verò obligatione diligentiſſimè ſilens, orationi fervidiùs inſiſtet: ac totum ne-

eo-

(a) Bodowing. *in Ventilabr. Medico-Theolog. p. 2. q. 20.*
(b) D. Thom. 2. 2. *q. 26. art. 5. ad 3.*
(c) Gobat. *in Append. 2. ad tract. 2. de Bapt. caſu 8. n. 257.*

Digitized by Google

gotium divinæ providentiæ committet: quod non obſcurè Edictum Catanenſe numero tertio præmonuiſſe videtur. Verendum eſt enim Parocho, ne dum unam Animam ſervare contendit, duas inſimul, & Infantis nimirùm, & Genitricis amittat.

4. Verùm quia rationum momenta ab amore, quo erga nos ipſos afficimur petita, ſæpè faciliùs, quàm a vera erga Proximos charitate deprompta, perpendere conſuevimus; Parochi, aliique Sacerdotes Prægnanti demonſtrabunt, hic ejus quoque rem agi, quæ ipſius maximopere intereſt: nam Fœtu intra viſcera moriente, illam quoque mori neceſſe eſt: aut ſaltem ad Fœtus mortui extractionem ſubſtinendam adigetur: quæ chirurgica operatio meritò, & horrenda ſæviſſima creditur. Profectò formidinem creant ſolummodo viſa inſtrumenta ad eam ordinata, & graphicè a Paræo, Aquapendente, Rouſſeto, aliiſque deſcripta: vel ſaltem fruſtatim, ac ſpontè ſua egredietur infelix Puerulus: quæ res Matri periculi plena contingit, doloribuſque intolerabilibus fœcunda, nec minus atrocibus Cæſareâ ipsâ inciſione, quæ brevi perficitur, quamque demum lætitia ſubſequitur, vel quia novus Homo, juxta Dominicam ſententiam natus eſt Mundo, vel ſaltem ſi fortè accepto ille Baptiſmate protinus extinguatur, quia natus eſt Cœlo, qui Beatorum numerum ampliavit: hæc autem Infantis beatiſſima ſors, Parentum lacrymas tergit, doloremque vertit in gaudium: contra verò ubi Parvulus exeat mortuus, ejuſque proinde Anima in æternum pereat, mœror nulla propemodum conſolatione lenietur.

5. Cæterùm ſicuti reverà hæc inciſio, uti ſupra ſtatuimus, locum non habet, niſi in Partubus deſperatis, in quibus Mater abſque alia vitæ ſpe in ærumnarum, ac cruciatuum pelago jactatur; ſic ipſa ſæpiùs ardenter, imo & impatienter exoptat, & petit incidi: ſi non ut mortem ſibi jam imminentem declinet; ſaltem ut a ſimptomatum ferociâ, tremendiſque doloribus eximatur: quod pluries obſervatum Heiſterus, & Alii notaverunt. (a) Profectò Germana Mulier eò tandem devenit, ut Chirurgi munus temerè arripiens, ſemet ipſam ſecuerit. (b)

6. Quid autem de Chirurgis, Mediciſque dicemus? Tenentur ne ipſi Cæſareum Viventis Partum præcipere, ac reſpectivè ſimiliter exequi, ubi expedire cognoſcant? An omittere poſſunt ob vanam formidinem ne, ſi fortè infeliciter ille ſuccedat, famæ jacturam patiantur? Si periculum ipſum peccandi, uti ſupra dictum eſt, ab hac cæſione Chirurgum non excuſaret; multò minùs futilis exiſtimationis propriæ minuendæ metus eumdem excuſabit. Qui verà virtute præditus eſſe cupit; (ajebat Philoſophus) oportet, ut interdum ſeſe criminoſum Iniquorum oculis apparere non dedignetur: ſcilicet ubi prævidet in malam partem eos accepturos, quæ ipſe optimè geſſerit: nam eſſe quidem procul dubio majus omnino eſt, quam videri. Quantò magis eligendum eſt aliquando ſapienti viro ab inſipienti vulgo qui nonniſi ex eventibus judicat, imprudentem, ac temerarium falſo reputari, ſi modo in veræ temeritatis, & imprudentiæ delictum impingere vereatur?

7. Chirurgus autem, vel Medicus, qui ſalutare hoc remedium, ſi convenire arbitraretur, non proponeret; mortali peccato ſeſe contaminaret, ac cenſoria Magiſtratus virga mulctandus eſſet: ac multò magis, ubi optante Infirmâ puerilibus ex cauſis munere ſuo fungi renueret. Id latè quidem, ac ſcitiſſimè docuit Heiſterus; (c) qui ulteriùs putat recuſantem Gravidam, ubi neceſſarium judicabitur; etiam adhibitâ vi detinendam, & incidendam. Cæterùm tenentur Medici, & Chirurghi hujuſmodi operationem congruo tempore inſinuare: ideſt antequam Ægra ad eum ſtatum redigatur; quo ampliùs tantum remedium experiri non liceat.

8. At reſpondebis in Pagis, Oppidulliſq; ignobilioribus ſæpè deſiderari Chirurgos. Hoc equidem ſcio: ſed Locorum Dñi (quod iiſdem ſuggerere debent Parochi,) eos ut ibi ſedem figant, perpetuo,

S com-

(a) Hildan. *Centur. 6. obſerv. 63.*
(b) Ephimer. Germ. Curioſ. *dec. 3. An. 1. Obſerv. 59. pag. 84. & ſeq.*
(c) Heiſter. *p. 2. ſect. 5. c. 113. n. 6.*

competentique honorario conducere tenebuntur. Neceſſarii quidem ſunt Medici, ſaltem ut opportunè ſuprema Sacramenta præſcribani; ac letargo, ſimilibuſque affectionibns oppreſſos aptis medicaminibùs ad ſenſuum officia revocare contendant, quo illi ſaltem a culparum labe Sacra Confeſſione mundentur. Attamen æquè neceſſarii ſunt Chirurgi, ut in permultia aliis, ita & præſertim in Partubua difficilioribus, ac deſperatis. Oportet igitur ut in locia minimè populoſis Medici ſaltem chirurgiam non minùa, quàm fiſicam profiteantur: & utrique ſimul incumbant.

9. Debebunt autem, qui chirurgiam exercent ex conſcientiæ lege, non ſolùm Libros chirurgicos diligentiſſimè ſibi comparare, maximè qui de Partu Cæſareo, Partuque difficili diſſerunt, ac miri ſanè ſunt uſus; v. g. Heiſterum, aut ſimiles: verùm etiam propriæ artia inſtrumenta conquirere præſertim magis præcipua, & utiliora. Inter hæc autem eminet ſupradictum Palphinianum ad vivos Infantulos extrahendos, quod Siculi Chirurgi domi ſuę perpetuò habere novo jure tenentur. (a) Albucaſis quidem ait: *Non ergo deſpicias ullum inſtrumentum, quia ſint omnia apud te præparata: inexcuſabilis eſt enim, qui hanc artem profitetur, & non habet in promptu, quæ ad hanc artem requiruntur.* (b) Si namque idoneis careant inſtrumentis, infinitæ ab eis præſtandæ operationes ignotæ remanebunt, vel ipſi de iis efficiendis requiſiti, tergiverſabuntur, variia ſeſe prætextibus excuſantes. Hæc ſanè Toparchæ omnes, quibus Populorum gubernatio, atque tutela commiſſa eſt, in primis curabunt: ad quæ ſi non attendant, neſcio quibus unquam rebus providentiam, ac ſollicitudinem ſuam impenderint.

CAPUT SEXTUM.

In Partubus difficilibus poſſe ut plurimùm in utero ipſo Parvulum baptizari; & hujuſmodi Baptiſmum eſſe validum.

1. NEmo, ait Rituale Romanum, *in utero Matris clauſus baptizari debet: ſed ſi Infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, in capite baptizetur, nec ſi poſtea vivus evaſerit, erit iterum baptizandus. At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicet motum, in illo ſi periculum pendeat, baptizetur: & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus... Si verò ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero; debet in loco ſacro ſepeliri.* Hæc itaque certiſſima ſunt. (c) Porro uterus figurâ ſuâ inverſam phialam imitatur, & duo habet in collo, quod etiam vagina dicitur, orificia, ſuperiùs, & inferiùs. Et ſuperiùs quidem cum adhuc parturiendi tempus non advenerit, adeo valdè conſtrictus manet; ut ex Hippocrate, Galeno, Bartholino, Medicisque omnibus; ne cuſpidem ſanè acus admittat: eſt enim ex Bianchio (d) non ſolùm clauſus, verum etiam densè rugoſus, & tenaciſſimo inſuper glutine obſignatus. Cum autem Parvulus in eo degens duplici etiam membrana ſit involutus; impoſſibile eſt ipſum phyſicè aquis baptiſmalibus abluere, niſi maternum corpus lavando Filium baptizare affectemus: quod profectò ad intentum non ſufficit, & ab Eccleſia damnatur. Difficultas ergo vigebit ſolùm pro circumſtantia, in qua partus adeſſe noſcatur. Scilicet pariendi tempore imminente, licet Fœtus in utero totus adhuc perſiſtat; neque caput, vel manum, aut pedem, neque aliam ſui partem emiſerit; pateſcit nihilominus jam ſuperiùs matricis orificium. Quin imo tandem ex

(a) Mandat. perpet. *Protbomed. Siculi in Apped. Mon.* v.
(b) Albucaſis *lib.* 2 *meth. c.* 67.
(c) Rit. Rom. *in Rubr. de Bapt. Parv.*
(d) Bianch. *de Nat. Vit. & Morb. gener.*

ex valida muſculorum contractione, ſolet orificium ſuperius cum inferiore conjungi, unumque videri, collo, ſeu vagina intermedia diſparente. Præterea Infantulus ſeſe agitans, atque vim faciens, ut ab eo carcere, jam ſibi moleſto, ſe expediat; ſecundinas dirumpit, quibus involvebatur: ſi verò hoc ille fortaſſe nequeat; id ipſum in extrema neceſſitate præſtabit Obſtetrix: quoniam ex duabus membranis prima, ſeu chorion modicæ craſſitudinis eſt, ac firmitatis: altera verò, ſeu amnios tenuiſſima, & propterea pellucida: quocirca forbicibus, vel etiam unguibus facilè diſcinduntur. Velſchius autem Scipionis Mercurii Illuſtrator novum ſcalpellum, vulgò *lanceolam*, qui abſque periculo adhiberi poſſit, invenit. (a) Dani pro ſcalpello fruſto ſalis acuminati, ſicuti narrat Bartholinus, (b) utuntur, at Baſſana celebris Obſtetrix Patavina ſali acuminato ſimile Sacchari fruſtum ſubſtituebat.

2. Inſtante igitur partu, ac ſecundinis jam laceratis, certum profectò eſt, Infantes phyſicè baptizari poſſe: ut omnes hodie Medici, atque Chirurgi aſſeverant. Id etiam, referente Pignatello Parocho Urbis, teſtatæ ſunt Romanæ Obſtetrices Congregationi, ad eas examinandas a Cardinali Vicario deſignatæ: & idipſum ego ab expertis Panormitanis Obſtetricibus accepi. Baptizantur autem non difficulter vel aquâ cavo manus impoſitâ, dexterè, ac diligenter immiſſa, quod a noſtris hiſce Obſtetricibus fit: vel ſpongiâ aquâ plenâ, vel parvo cocleari, vel tandem in caſibus difficilioribus ſyphunculo, uti latè docuit Franciſcus Mauriceau, qui propterea Partum Cæſareum in Vivente damnabat, quia Matri ſcilicet periculoſum, & Filiolo non neceſſarium: cum poſſit hic ſaltem prædicto modo baptizari. *Nequit caſus aliquis reperiri*, ait, (c) *in quo Baptiſmus conferri non poſſit: dum Infans adhuc in Matris utero moratur: cum facilè ſit aquam ſyphunculo probè mundo ſupra quamlibet ejus corporis partem adducere: & inutile quidem eſſet dicere, aquam ad eum non poſſe perduci: quia membranulis propriis, quæ propterea obſtaculo eſſent, manet involutus: etenim optimè ſciunt omnes, poſſe eas, ubi jam ruptæ non ſint, facilè rumpi: quo facto corpus faciliimè syphone tangi poteſt. Si autem ponamus orificium internum matricis non eſſe ſufficienter apertum; facilè reſponderi etiam poterit: nam oporteret ſupponere Puerperam non eſſe in actione, & labore: nam ſi ita quoquomodo ſit, poterit illud ſufficienter dilatari, ut Puer baptizari valeat: etſi fortè neceſſarium eſſet, aliquo inſtrumento vim inferre: cum id certè Matri non adeo periculoſum, uti Cæſarea Sectio videatur*. Deinde ſchemata exhibet plurium inſtrumentorum pro Partubus difficilibus: ac præſertim ad litteras J. K. L. tria dilatatoria diverſæ figuræ, quibus matrix aperiri ſolet, ad litteram verò N. ſyphunculum cum plurimis foraminulis in globulo ad finem roſtri, quo ſyphunculo Medici ad injectiones, uſq; ad uteri fundum faciendas, utuntur. Is autem ut a Mauriceau deſcriptus curvum habet roſtrum: ſed curvo rectum omnino ſubſtituendum exiſtimo. Quoniam verò ubi Puer in aliquo matricis latere hæreret, utilius eſſet curvum, ut faciliùs pro lavando Pueri capite ad eum locum dirigatur; expediret duo conſimilia habere inſtrumenta rectum unum, curvum alterum, vel unum quidem inſtrumentum cum duobus tamen roſtris ab eo ſeparatis, quorum alterutrum pro libito adnecti valeat.

3. Verùm in hoc Auctore abſolutam Cæſarei Partus prohibitionem laudare non poſſum. Etenim quamvis ut plurimùm, utero aperto, ſecundiniſque diſciſſis, Fœtus valeat ſyphunculo baptizari; nihilominus dantur, uti ſupra dictum eſt, conceptiones tubales, atque ventrales, in quibus Infantulus nullo pacto baptizari, nec niſi Partu Cæſareo extrahi poterit. Imo quamvis conceptio uterina, & naturalis fuerit; adeo interdum difficilis eſt partus; ut Obſtetricis ma-

(a) Velſch. *l.* 2. *cap.* 26.
(b) Bartholin. *de Inſolit. Part. c.* 19.
(c) Franc. Mauriceau *de Morb. Gravid. l.* 2. *c.* 32. *pag.* 264.

manum, nec ad ſecundinas lacerandas, nec ad Puerum lavandum admittat. Præterea, quod aliquando certò ſcire impoſſibile erit eum fuiſſe ritè baptizatum: maximè quia dignoſci nequibit utrum caput, an verò eo illoto ſola manus, aut pes ablutus fuerit, quo caſu ex prædicta Ritualis Doctrina Baptiſmus alicui dubitationi eſſet obnoxius.

4. Cæterùm in univerſum controvertitur, utrum hujuſmodi Baptiſmus, quod phyſicè poſſe frequenter adminiſtrari non ambigitur, theologicè ſit validus. Nullum eſſe plerique Canoniſtæ, ac Theologi ſubſtinent, vel ſubſtinere creduntur. Ex his Riccardus, Maironus, Aſteſanus, Biel, Suarez, Enriquez, Anglez, Tiraquellus, Graſſius, & præ omnibus Comitolus, opinionem ſuam aliquibus Sanctorum Patrum dictis conſtabilire conatus. Profectò ſi verum eſſet, quod Rainaudus aſſeruit, horum ſcilicet opinionem jam eſſe antiquatam; hujuſmodi controverſiç ventilationem omitterem: at Joannes ab Aranthòn Epiſcopus Gebennenſis in Synodalibus decretis, & Martinus Orellius in Opuſculo An. 1710. typis edito quamquam Rainaudo poſteriores, pro nullitate ſteterunt, eiſque tum Pontàs, tum Natalis ab Alexandro patrocinari videntur. Quocirca non inutile quidem, neq; ſuperfluum erit, eamdem quæſtionem pro loci hujus opportunitate diſcutere. Sentio igitur Baptiſmum, de quo agitur, eſſe validiſſimum: ita Medicis, atque Chirurgis omnibus jam ſuffragantibus innumeri ſanè Theologi docuere: (a) præ cunctis verò Gabriel Gualdi Clericus Regularis qui egregio Libro, cui titulus Baptiſma Puerorum in utero exiſtentium, non modicam ſibi gloriam in hac materia comparavit. In Gualdum ſcripſit præcitatus Orellus; hunc verò Antonius Boverius, & Alexander Bountirius, nimirum celebris Emmanuel Aguilera e Societate Jeſu protinus impugnarunt. Quamvis autem Boverium, & Bountirium quorum diſſertationes præ manibus habere non potui, hoc Baptiſma ſtrenuè defendiſſe non dubitem: aliqua nihilominus ad eorum ſententiæ corroboramentum hùc aſferenda exiſtimavi.

5. Baptiſmum hunc ergo validum fore non difficulter adſtruitur theologica ratione. Etenim cum hujuſmodi Parvuli, quamquam in utero materno exiſtentes, ut & cæteri omnes, Rei ſine dubio ſint culpæ originalis; in cujus remedium Chriſtus Baptiſmum inſtituit; non apparet, quo pacto ſoli ab hujuſce Sacramenti beneficio ſint arcendi, dum ipſis non minùs ac Aliis cum debita materia, forma, & intentione poſſit adminiſtrari.

6. Sanè Scripturæ omnes dilucidè clamant, Dei Filium ad omnes Homines liberandos e Cœlis deſcendiſſe. *Obſecro igitur*, ait Apoſtolus Paulus, (b) *primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus Hominibus: hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes Homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus, & mediator Dei, & Hominum Homo Criſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Id ipſum de Parvulis inculcare non omiſit S. Auguſtinus. (c) *Numquid Parvuli Homines non ſunt, ut non pertineant ad id, quod dictum eſt, vult omnes ſalvos fieri?* Porro ſi Pueri quamvis in utero exiſtentes non minus verè ſunt Homines, quam ii, qui ex utero egreſſi ſunt; præcitata Apoſtoli verba ex Auguſtini ratione pertinent ad utroſque. Idem repetit ipſe Apoſtolus ad Corinthios. (d) *Si unus pro omnibus mor-*

(a) *Theologi ſunt* Hiquæus, Præpoſitus, Alſtenghain, Victoria, Valentia, Maldonatus, Diana, Zambranus, Ledeſma, Vivaldus, Paſqualigus, Filiarcus, Bonacina, Laiman, Capeaville, Pignatelli, Reginaldus, Lambertus, Lezzana, Naldus, Molſeſius, Leſſius, Coninck, Dicaſtillus, Tannerus, Auctor Candelabri Aurei, Veiſmer, Viva, Aliique.

(b) 1. ad Timoth. 2. 1.

(c) D. Auguſt. *lib. 4. contra Julian.*

(d) 2. ad Cor. 5. 14.

Digitized by Google

mortuus eſt ; ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Quo loco apertè docet Chriſtum pro iis omnibus corporaliter fuiſſe defunctum, qui ſpirituali vita carebant : & ex Chriſti pro omnibus morte, mortem omnium argumentando deducit. Cum autem evidens omnino ſit Nonnatos Pueros, utpote originali peccato inquinatos, eſſe divinæ gratiæ vita deſtitutos ; clarum eſt etiam ipſos in univerſali redemptione penitus includendos. Quod autem ſcripſit Apoſtolus, prædicaverat antea Salvator ipſe. (a) *Euntes ergo docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et ſicuti Pueri jam recens nati, quamquam uſu rationis expertes, & propter ætatem chriſtianæ doctrinæ, ſeu veritatis percipiendæ incapaces ; non ideo ab hoc Evangelico verbo *Omnes*, nec ab Apoſtolico D.Pauli ſupra expreſſo eodem vocabulo excipiuntur : ita & Nonnati Pueri excludi non poterunt, cum utriſque ſufficiat, ſi pro modo baptizati cum habitibus Charitatis, & Spei, habitum quoque Fidei aſſequantur; quo Adulti in veritatis agnitionem aliquando perveniant : vel ſi citiùs ex hac vita demigrent ; in cœleſti ſaltem gloria per claram viſionem intueantur, quod hic tenerrimæ adhuc ætatis obſtaculo impediti per actualem fidem cognoſcere nequiverunt.

7. Huic ſanè ratiocinio quacumque demum ex parte illud conſideremus, nihil opponi poſſe videretur. Verùm Adverſarii celeberrima illa objiciunt Chriſti verba. (b) *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei.. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.. Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos naſci denuo*. Ex his autem deſumunt, eum, qui natus non adhuc eſt, non poſſe per Baptiſmum dici renatum. At reſpondetur. Chriſtum in his verbis *Niſi quis renatus fuerit*, & ſequentibus, per ſimilitudinem corporalis nativitatis, Baptiſmatis effectus, quod primum eſt inter cætera Sacramenta, nobis aliquo pacto declarare voluiſſe. Per illud enim *Deo naſcimur*, ejuſque, & Eccleſiæ Filii conſtituimur. Præterquamquod verbum hoc *naſci*, ex communiſſimo loquendi uſu, omnem rerum etiam inanimatarum originem ſignificare conſuevit. Dicimus enim cogitationes in mentibus naſci, paſſiones in animis : Lunam, Sidera, Cometas ab Orizonte, Flumina e Terræ viſceribus naſci : ceteroqui ex Rhetorum documentis non eſt neceſſe in metaphoricis loquutionibus, qualis ea Chriſti ſententia fuit ; ut figura in omnibus, per omnia, & ſemper prototypo ſuo ad amuſſim reſpondeat ; ſatis eſt inter utrumque aliquam analogiam, proportionemque intercedere. Porro ut ſimilitudo ſit vera, ſufficit hanc nativitatem dici ſecundam reſpectu corporalis generationis, quæ juxta ſacrarum Scripturarum in ipſa vulgata loquendi modum, nativitas etiam appellatur. Ita enim D. Joſepho humanam Chriſti generationem revelaturus ait Angelus. (c) *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*. Quapropter Doctores communiter duas diſtinxere Hominum nativitates, unam *in utero* denominatam, aliam verò *ex utero*. Primam videlicet, in qua Spiritus humanus a Deo creatur, & ſimul corpori ſatis diſpoſito, infunditur : cujus quidem Spiritus ratione Deum ipſum quodammodo agnoſcimus Patrem. Secundam cum in materno utero jam plenè perfecti, ex eo in hujus Mundi lucem effundimur. Quod autem Chriſtus voluerit Baptiſmum priori magis aſſimilare, quàm poſteriori nativitati; illud ſufficienter oſtendit, quod nimirum prima, quæ idem eſt ac generatio, principalior eſt præ ſecunda. Per generationem enim ex non eſſe Hominis ad eſſe Hominis pervenitur : cum in ſecunda nativitate Homo, qui jam exiſtebat, ex occulto in apertum prodiens, tantummodo aliis manifeſtetur. Quamobrem apparet primam ſine ulla dubitatione dicendam eſſe veram, ac propriam Hominis originem. Inſuper in-

(a) Matth. 28. 19. & Marci 16. 15.
(b) Joan. 3.
(c) Matth. 1.

Digitized by Google

inconcuſſum eſt Theologis, peccatum originale non in ſecunda nativitate, ſed in prima derivari. Generatio enim Filios Adæ nos facit, cujus culpa veluti lues Animam noſtram, dum creatur, & corpuſculo unitur, ſecunda nativitate non expectata, veneno ſuo inficit, atque deturpat.

8. Id autem Sole ipſo clarius elucet, præſertim ex operibus Divi Auguſtini, qui eò uſque proceſſit, ut ad eam opinionem, a veritate cæteroqui alienam, propenſus fuerit, qua putabantur Homines originali pravitate corrumpi, non ſolùm quod eorum corpora per carnalem concupiſcentiam ex damnata maſſa, & in ſua radice, id eſt in Adamo, vitiata, generentur; ſed etiam quod Animæ noſtræ ſint veluti Animæ Adami propagines. Baptiſmus ergo, qui nos dein ſecundi Adami, ſcilicet Chriſti, Filios gignit; magis primæ nativitati, quàm ſecundæ aſſimilatur: etſi poſſit utrique indifferenter, & ſufficienti verborum proprietate comparari.

9. Id ipſum verò ex intima ejuſdem Evangelici Textus inſpectione luculentiùs pateſcit. Supponendum ergo Nicodemum cum Chriſtum nocte conveniſſet, ita loquutum: *Rabbi ſcimus quia a Deo veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* (a) Per hæc ſatis indicans, optare ſe ab eo ediſcere, quid tandem ſibi agendum eſſet, ut Animæ ſalutem, ac perfectionem conſequeretur. Reſpondit Chriſtus, quod ad videndum Regnum Dei, nimirum ut divinorum myſteriorum in Terra, divinæque Gloriæ in Cœlo participes efficiamur; neceſſe ſit, ut aliam a carnali diverſam originem habeamus, dicens: *Amen Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei.* In Originali tamen Græco legitur: *Niſi quis natus, vel factus fuerit supernè, ſeu cœlitùs, non poteſt videre Regnum Dei.*

Nicodemus hic probè animadvertit, quod etſi propoſitio generalis erat, ad ipſum ſpecialiùs dirigebatur; cum ejus tamen genuinum, verumque ſenſum non percepiſſet, ait hoc ſibi videri penitus impoſſibile: *Quomodo poteſt Homo naſci, cum ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem Matris ſuæ iteratò introire, & renaſci?* Græcè verò: *Quomodo poteſt Homo naſci, ſeu fieri cum ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem Matris ſuæ iteratò introire, & naſci, ſeu fieri?* ſcilicet *nova conſtructione formari?* Tum Chriſtus legem univerſalem eſſe reſpondit, ut Omnes ideſt Senes, non minùs, quàm Pueri ex Aqua, & Spiritu Sancto novam originem ſortirentur. *Amen Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei.* Græcè: *Niſi quis natus, ſeu factus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; non poteſt introire Regnum Dei*: & hujus dicti rationem ſubjunxit: *Quod natum eſt ex Carne, Caro eſt, quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt: non mireris, quod dixi tibi, oportet vos naſci denuò*: Græcè autem *Quod natum, ſeu factum eſt ex Carne, Caro eſt, quod natum, ſeu factum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt: non mireris, quia dixi tibi, oportet vos naſci, ſeu fieri ſupernè, ſeu cœlitus &c.* Facilè intelligere potuiſſet Nicodemus hunc de Cœleſti, Superna, & Spirituali nativitate ſermonem eſſe allegoricum; cum tamen Chriſti mentem non adhuc aſſequeretur, inquit: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* Quapropter a Chriſto ſequentibus verbis reprehenditur. *Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? .... Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* Ideſt ſi res minus abſtruſas, & per ſimilitudines, pro faciliori captu a me traditas, non intelligitis; quomodo vos difficiliora, & ſublimiora docebo?

10. Animadvertamus igitur Chriſtum, juxta vulgatam ipſam, cauſam neceſſitatis renaſcendi in prima vitioſa nativitate reponere: ſcilicet in origine illa carnali, per quam carnales, & peccato infecti naſcentes, nova proinde alia divinà indigemus origine, & ſpirituali, quæ damna ab anteriori nobis illata reſtauret. *Quod natum eſt ex Carne, Caro eſt, quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus*

(a) Joan. 3.

ritus eſt. Atque hic eſt germanus hujuſmodi Chriſti verborum ſenſus, ut ex Auguſtino ipſo in expoſitione teſtus, Theophilacto, Gloſſa, Lirano, Calmet, Maldonato, Aliiſque clariſſimè oſtenditur. Porro ſicuti prima nativitas, quæ nos carnales efficit, eſt nativitas in utero, non ea, quæ ex utero dicitur: nam in prima, & non in ſecunda peccatum, propterea originis appellatum, incurrimus; & ex eo tempore carnale eſſe recipimus; ita cœleſtis ex Spiritu nativitas, quam Chriſtus commendat, ſecunda quidem reſpectu illius rectiſſimè cognominatur: nec eſt neceſſe, ut etiam talis dicenda ſit reſpectu nativitatis ex utero, quæ ad productionem originalis peccati non attinet: cum iſtud jam inde a prima in utero nativitate pleniſſimè ſit contractum.

11. Tria tamen hic ex Græco fonte, quem propterea delibavimus, cenſemus adnotanda.

Primò verbum τὸ γεγεννημένον, ſignificare poſſe non ſolùm natum, ſed genitum, factum, formatum, conceptum; & hoc eſt ipſum verbum, quod habetur in D. Matthæo ad ſignificandum *Genitum*, ſive *factum*. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*. Eodem verbo utuntur pro verbo *fieri*, S. Marcus c. 12. v. 50. & S. Lucas c. 5. v. 17. imo & Propheta *in Pſ.* 117. v. 21 *Lapidem .... hic factus eſt in caput anguli*.

Secundo nativitatem, ſeu originem Spiritualem, ſeu ex aqua, & Spiritu Sancto, ut ejus nobilitas præ carnali dignoſcatur, in Græco Textu dici ἄνωθεν: *Supernam*, ſive *Cœleſtem*: hac autem in Latino deficere.

Tertiò in Textu originali non legi verbum compoſitum ἀναγεννηθῆναι nimirum *renaſci*, ſeu *denuo nerj*, ſed verbum ſimplex γεννηθῆναι, quod ſignificat ſimpliciter *naſci*, vel *fieri*. Attamen in latino particulam *re*, & adverbium *denuò* ab Interpetre, propoſitionem hanc non ad verbum traducente, vocabulo *supernè*, ſeu *cœlitùs*, veluti equivalens quoddam revera ſubſtitui. Profectò ſicuti Spiritualis iſta nativitas, & Cœleſtis eſt, & propterea ſecundi, ſeu altera nativitas in ſupradicto ſenſu dici poteſt; ita & alibi a S. Paulo generatio denominatur. (a) Concilia verò, & Patres hæc duo vocabula, ſcilicet regenerationem, & iteratam nativitatem, communiſſimè pro ſynonimis habent; utraque nomenclatura in eumdem ſcopum collineante: idque ab ipſo Divo Petro didicerunt, qui nunc ait baptizatis Fidelibus: (b) *Regeneravit nos in ſpem vivam*. Nunc verò eoſdem admonens dicit: (c) *Sicuti modò geniti Infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite*.

Quocirca S. Innocentius Primus contra Pelagianos Auguſtino cum aliis Afris Patribus inſtante decrevit. *Ut Parvuli, ex Chriſtiana etiam Muliere nati, per Baptiſmum renaſci deberent: ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt*. Ita etiam idem Auguſtinus; (d) nimirùm ad illud ipſum *Niſi quis renatus fuerit &c.* alludens, Neophytis dicit: *Ad omnes quidem pertinet ſermo, quos cura noſtra complectitur: verumtamen hodie terminata Sacramentorum ſolemnitate, vos alloquimur novella germina ſanctitatis, regenerata ex aqua, & Spiritu Sancto*.

Demum Tridentinum (e) comprobare volens Baptiſmum eſſe regenerationem, eadem attulit ſacra verba, in quibus iterata nativitas nominatur. *Parvuli*, inquit, ... *ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod in generatione contraxerunt. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; non poteſt introire in Regnum Dei*.

12. Præterea etiam a Græco Textu originali præſcindendo, & ſola vulgatæ latinæ verſionis lectione præ oculis habita; reſpondetur: quod tametſi velimus dicere, Chriſtum omnino, atque dumtaxat

(a) Ad Tit. 3. 5.
(b) 1. Petr. 1. 3.
(c) 1. Petr. 2. 2.
(d) S. Auguſtin. *ſerm.* 1. *in oct. Paſch.*, *qui eſt* 157. *de temp.*
(e) Tridènt. *ſeſſ.* 5. *in Decr. de pecc. orig.*

Digitized by Google

taxat, contra quam huc uſque probavimus, de iterata nativitate reſpectu nativitatis ex utero fuiſſe loquutum; id ipſum non neceſſariò evinceret nativitatem iſtam ſemper, ſed tantùm regulariter, præcedere debere Baptiſmum; cum ut plurimùm nemo antequam de Matris ventre oriatur baptizari poſſit. Sanè ſi de Adultis eſt ſermo, iſti jam antea nati ſupponuntur, & ideo in eis Baptiſmus erit ſemper ſecunda nativitas: & quidem cum Adulto, ſcilicet Nicodemo, Chriſtus colloquebatur, cum neceſſitatem ſecundę nativitatis enunciaret, atque ſubjungeret: *Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos naſci denuò*: quamquam nihilominus hæc, & ſimilia verba, utpote generalia, etiam Parvulos abſque dubio comprehendant. Si tamen de Parvulis agamus; hi certè in triplici ſunt differentia. Vel enim orti jam ſunt, & tunc veriſſimè non minùs, quàm Adulti renaſcuntur. Vel contra omnino ſunt utero concluſi; & his Baptiſmus miniſtrari nequibit: neque enim ſatis eſſet Prægnantem pro ipſis baptizari. Vel denique non ſunt prorſus utero circumſepti: & his etiam egreſſio e materno carcere neceſſaria dicenda eſt: nam ante regulariter Baptiſmus illorum eſſet illicitus.

Chriſtus etenim, divino prorſus conſilio, ſpeciales in Eccleſiaſtica Hierarchia Miniſtros ad hoc Sacramentum tribuendum ordinavit, ut in Templis cum ſolemnitate, myſticiſque cæremoniis celebraretur. Propterea nefas eſt ab Obſtetricibus abſque pompa, & ritu debito, in circumſtantiis valde impropriis, & Sacramenti majeſtati minimè congruentibus, Nonnatis miniſtrari: niſi aliud vera neceſſitas, quæ legi non ſubjacet, aliquando poſtularet. Eo ſcilicet caſu, quo Infans gravi periculo premeretur: ne, ante nativitatem ipſam intereat.

13. Ordinario itaque rerum curſu conſiderato, in quo Parvulus non baptizatur, imo neque poteſt, aut ſaltem non debet, baptizari, antequam oriatur; benè hoc Sacramentum ſecunda, neceſſariaque nativitas dicitur: at cum tali denominatione inſignitur, ea neceſſitas nativitatem ipſam ſpiritualem reſpicit, non autem circumſtantiam ordinis; quo neceſſariò debeat eſſe ſecunda: id enim dumtaxat ſupponitur quidem juxta communem rerum, ſeriem non tamen idcirco requiritur. Parum enim ad Chriſti Domini intentum in reſponſione data Nicodemo, hic prioritatis, & poſterioritatis ordo referebat: cum in hoc tantùm rei ſubſtantia, & negotii cardo conſiſtat: nimirum recipiendum eſſe omnino Baptiſmum, ſi ſalus æterna quæratur: quia præter carnalem & ex Adamo ductam originem, aliam oportet ſpiritualem a Spiritu Sancto provenientem, quæ primæ detrimenta reficiat, adipiſci.

14. Sic idem Chriſtus alibi Auditoribus ſuis intonuit. (a) *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet; non poteſt meus eſſe Diſcipulus*. Hæc profectò renunciatio poſſeſſionem præſupponit rerum temporalium, quibus humana mens inordinato amore agglutinetur: privatio enim juxta Philoſophos habitum ſupponit: at non ideo, ut quis perfectus Chriſti Diſcipulus evadat, neceſſe eſt eum plura fortunæ bona priùs habuiſſe, eiſque tenaciùs adhæſiſſe, ut inde propriè, & in omni gramaticæ loquutionis rigore, ac proprietate verè omnibus renunciare dicatur. Sed textus, quod frequentiſſimè conſuevit, accidere ſpectat: ſolemus enim, & aliqua exteriora bona poſſidere, & ita miſerrime implicari, quibus, propterea, ſaltem affectu, renunciare præcipimur. At ſi nihil omnino habeamus, vel plurima quidem poſſidentes, eis tamen vitioſa illa adhæſione non alligamur; non ideo a Chriſti ſchola tamquam indigni repellimur, quia propriè renunciare nequimus: abunde enim ſufficeret in ea ipſa libertate conſiſtere, qua feliciſſimè frueremur. Sicuti ergo Chriſti propoſitio renunciationem jubentis eſt hypothetica, id nimirùm ſupponens, quod plerumque contingere non dubitatur: ita ejuſdem quoque naturæ, ac hypothetica eſt altera de neceſſitate videlicet ſecundæ nativitatis. *Niſi quis renatus fuerit &c.* Vocatur in ea quidem Baptiſmus iterata nativitas, quia frequentiſſi-

(a) Lucæ 14. 52.

Digitized by Google

tiſſimè poſt ortum accidit, ut per ſimilitudinem corporeæ nativitatis mirabiles, ac ſpirituales hujuſmodi Sacramenti effectus explicentur. At non propterea oportebit ſemper eſſe ſecundam: maximè eum, ſicuti ſupra notavimus, ſolemne ſit omnibus metaphoris, ſimilitudinibus, & allegoriis, ut non neceſſariò in omnibus, & per omnia duo invicem collata æquiparentur, ſed ſatis omnino ſit, aliquam inter ſe analogiam, atque proportionem plerumque ſervare.

15. Fortior quidem eſt, uti conſideranti patebit, Divi Pauli ad Hebræos, non prætermittenda loquutio: *Statutum eſt*, ait, *Hominibus ſemel mori*. (a) In ea namque nullâ ſimilitudine uſus planè, ac abſolutè pronunciat, cunctos Homines divino decreto ſemel tantùm eſſe morituros, totamque vim argumentationis in verbo *ſemel* manifeſtè repoſuit, ad probandum nempe conveniſſe, ut Chriſtus quoque ſemel dumtaxat, non verò pluries moreretur. (b) *Neque ut ſæpè offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine Mundi. Nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum, ad deſtructionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit; & quemadmodum ſtatutum eſt Hominibus ſemel mori; poſt hoc autem Judicium; ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata; ſecundò ſine peccato apparebit expectantibus ſe in ſalutem*. At nihilominus clarum eſt S. Paulum hic de naturali tantùm, & conſueto rerum ordine fuiſſe loquutum. Et ſanè quis unquam ſi ſemel occubuit, ac deinde, quod innumeris legitur accidiſſe, divino miraculo reſurrexit; ſibi ex hoc textu blanditus eſt, ſuaſitque, ſe non amplius moriturum?

16. Tertiò reſpondetur, quod ubi Puer ſibi maternum uterum reſeraverit, conatibuſque ſuis ſeſe a ſecundinis expedierit, & in procinctu eſt ad exeundum, imo attingi poteſt aquâ, & baptizari: moraliter jam inter natos ex utero potiùs, quàm in utero tantùm numerabitur. Profectò quis neſciat diem, rigoroſè loquendo, ab ortu ſolis incipere, & ad ejus occaſum terminari? Nihilominus nonnè dicimus & ortum Solem, & inceptum propterea diem, non tantùm cum ejus diſcum in ſua refractione conſpicimus; ſed etiam cum extrema culmina montium radiis ſuis inaurat, nondum oculis noſtris directa luce ſe prodens? *Si quis ambulaverit in die*, Chriſti ſunt verba, (c) *non offendit: quia lucem hujus mundi videt: ſi autem ambulaverit in nocte, offendit: quia lux non eſt in eo*. An non ita evidens ſit, Chriſtum non ſolùm ſupradicta tempora, ſed matutinum ipſum crepuſculum: finem ſcilicet noctis, vel ſi mavis principium diei albicante jam aere, inter diurna tempora computare? Quamvis enim nondum Sol ipſe ortus fuerit, ortum tamen eſt lumen ejus, quantùm ſatis re vera ſit, ut nobis oſtendat, quibus in locis pedem tutò, ac ſine titubatione figamus. Sol etiam in Pſalmis (d) natus dicitur, cum Leonibus, aliiſque Feris foveas ſuas repetentibus, Homines ad opera diurna egrediuntur. *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit Homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperum*. Hæc omnia cum fiunt, Sol natus re ipſa non eſt: ſed eo jam appropinquante, ſub crepuſculo matutino contingunt.

17. Sed ne exempla remota quæramus, præcipit juxta ſuperiùs dicta Rituale: Puerum, qui extra uterum, vel ſolum pedem, aut manum emittat, in illis eſſe baptizandum. (e) At verò dicendus ne erit Infans re ipſa natus, cum major ejus corporis pars, & principalia membra etiamnum in utero deliteſcant? Quare igitur baptizatur? Certè non alia de cauſa (quod Adverſarii ipſi fateantur,

(a) Ad Hebr. 9. 27.
(b) Ibidem a v. 25. *ad fin.*
(c) Joan. 11. 9.
(d) Pſal. 103. 22.
(e) Rit. Rom. *rubr. de Parvul. baptiz.*

neceſſe eſt,) niſi quia oriri jam cepit, quantùm ſufficiat, ut in ſe ipſo, id eſt in aliqua ſui parte abluatur.

18. Demum perpendi debet, quod cum tres Baptiſmi ſpecies numerentur Aquæ, Sanguinis, & Flaminis: pro certiſſimo habetur apud Theologos: Infantes in utero per duas ultimas benè ſalvari poſſe: ſcilicet per Baptiſmum Sanguinis, ſi fortè unà cum Matre in odium fidei, perimantur. (a) Flaminis verò, ſi actum fidei, ſpei, & charitatis eliciant Deo rationis uſum per miraculum accelerante. Si ergo capaces credimus illos Baptiſmorum Sanguinis, & Flaminis, quæ cæteroqui remedia ſunt extraordinaria: quare ordinarii remedii, ſcilicet Baptiſmatis aquæ, judicabimus incapaces? Quocirca animadvertendum eſt etiam Baptiſmum Flaminis votum continere Baptiſmi per aquam, & hujuſcemodi voti charitate informari, & Baptiſmatis aquæ defectum ſupplentis virtute, Pueros juſtificari. Si ergo Sacramenti deſiderium eſſet eiſdem procul dubio ſalutare: cur Sacramentum ipſum in re ſuſceptum non prodeſſet? At ſi Adverſarii contendant illud *Niſi quis renatus fuerit &c.* abſolutiſſimam importare neceſſitatem, quòd omnino, & in toto rigore Parvulus antea Mundo ſit natus; ut Cœlo deinde per Baptiſmum renaſci poſſit: atque ita verè dicatur ſecundò naſci; inde a fortiori per infallibilem, & inevitabilem conſequentiam deduceretur, Puerum neque poſſe in utero juſtificari per charitatem, quamquam deſiderio ejuſdem Sacramenti conjunctam.

19. Porro quod poſſit Deus accelerato rationis uſu Infanti materno in utero adhuc exiſtenti gratiam ſanctificantem elargiri, prorſus extra controverſiam eſt; idque Divus Auguſtinus (b) ad Dardanum de S. Joanne Baptiſta diſſerens manifeſtè ſupponit. *Quamquam etiam ſi uſque adeo eſt in illo Puero acceleratus uſus rationis, & voluntatis, ut inter viſcera materna jam poſſet agnoſcere, credere, conſentire, quod in aliis Parvulis ætas expectatur, ut poſſint; etiam hoc in miraculis divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum eſt exemplar naturæ: nam quando Deus voluit, etiam Jumentum rationabiliter eſt loquutum.*

CAPUT SEPTIMUM.

Diluitur objectio ex S. Auguſtino.

1. ETſi noſtram ſententiam rationibus ex doctrina ipſa Divi Auguſtini depromotis corroborare ſtuduerimus; nihilominus opponunt Adverſarii quædam Sanctorum Patrum, & inſignium Doctorum dicta in ipſa celebri ejuſdem S. Auguſtini laudata Epiſtola fundata; ubi non ſolùm Baptiſma, de quo agimus, reprobare videtur: ſed etiam diſtinctionem inter nativitatem ex utero, & nativitatem in utero, qua Evangelicam ſententiam noſtri explicavere, a fundamentis evertere. En ejus verba: (c) *Illa ſanctificatio, qua efficimur ſinguli templa Dei, & in unum omnes Templum Dei, non eſt niſi Renatorum, quod niſi Homines nati eſſe non poſſunt. Nullus autem vitam, in qua natus eſt, benè finiet, niſi renatus antequam finiat. Quod ſi quiſquam dicit jam eſſe natum Hominem, dum adhuc in utero eſt Matris, teſtimoniumque adhibet ex Evangelio Matthæi primo, quia dictum eſt ad Joſeph de prægnante Virgine Domini Matre:* quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt: *numquidnam huic nativitati accidit ſecunda nativitas? Alioquin jam non erit ſecunda, ſed tertia. Dominus autem cum ſic loqueretur;* niſi quis, *inquit*, renatus fuerit denuo. *Eam ſcilicet computans nati-*

(a) Scot. *in* 4. *diſt.* 4. *p.* 3. *& alii paſſim.*
(b) S. Auguſt. *t.* 2. *novæ edit epiſt.* 187. *ad Dardan.*
(c) S. Auguſt. *t.* 2. *dict. Epiſt.* 187. *ad Dardan.* c. 10. n. 33.

tivitatem, quæ fit Matre pariente, non concipiente, atque prægnante: quæ fit ex ea, non quæ fit in ea: nec enim renatum dicimus Hominem, quem Mater peperit, tamquam iterum natus ſit, qui jam ſemel natus fuerat in utero: ſed illa nativitate non computata, quæ Gravidam facit, natus dicitur Homo partu, ut poſſit renaſci ex aqua, & Spiritu: ſecundùm quam ex Matre nativitatem, etiam ipſe Dominus in Bethleem Judæ dicitur natus. Si igitur Homo regenerari per gratiam Spiritus in utero poteſt; quoniam reſtat adhuc naſci, renaſcitur ergo antequam naſcitur, quod nullo modo fieri poteſt.

2. Idem alibi repetit verbis infra in medium adducendis. (*a*) Imo nonnulli Patres, atque Doctores, nimirùm Sancti Iſidorus, Thomas, & Bonaventura, B. Albertus Magnus, & Scotus ejuſdem Auguſtini ſenſum amplecti videntur, & hujuſmodi Baptiſmo in ſpeciem adverſari.

3. Verùm cum Auguſtinus meritò habeatur eorum ſententiæ Princeps, eo quod cæteri quidem Ipſius doctrinæ manifeſtè innitantur: operæ pretium exiſtimo ante omnia ejuſdem eximiæ auctoritati ſatisfacere. Gualdus in ſuo libro de Baptiſmo Puerorum in utero exiſtentium, toto capite octavo ſeſe ab illo expedire nititur dicendo: non teneri nos eum in omnibus ſequi, & in hac præſertim quæſtione, in qua tot Catholici Doctores tot, ac tantis rationibus fulti contrarium ſentiere, Sanè ipſe Auguſtinus ajebat. (*b*) *Neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus me non errare perſpexerit: Nam propterea facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, ut nec me ipſum in omnibus me ſequutum fuiſſe demonſtrarem*. Et hoc ipſum de aliis Eccleſiæ Patribus ad Sanctum Hieronymum repetit, (*c*) Divo Thoma, & Melchiore Cano probantibus. (*d*) Quapropter Alphonſus Toſtatus ait: (*e*) *Non ergo neceſſe eſt nobis, quæcumque dixerit Auguſtinus concedere*. Et Alexander Octavus Janſeniſtarum propoſitionem trigeſimam confixit aſſerentem. *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Cæterùm firmiſſimi ſum Iudicii Magnum Auguſtinum per verba prædicta nullo modo hujuſmodi Baptiſmum reprobare voluiſſe. Ejus enim intentione profundiùs inveſtigata, & ipſius, & Sectatorum genuinum ſenſum comperiemus a noſtro nequaquam alienum.

4. Sciendum eſt ergo Sancti Doctoris tempore Pelagianorum hæreſim ortam. Qui præter alios iſtum etiam errorem effutiverunt: Pueros nimirum originali peccato non inquinari: cum vero textu illo vehementiùs premerentur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*: ubi nulla reperitur exceptio Puerorum; tertium quemdam locum inter damnatorum Infernum, & Cœlorum Regnum excogitarunt, in quo docebant beatitudine donandos Parvulos quamquam ſine Baptiſmate decedentes: Eccleſiam verò eo fine ipſis regenerationis Sacramentum conferre; ut ita Chriſti Filii per adoptionem effecti, in Cœlorum etiam Regnum, ingredi poſſint eum illo convicturi. Catholici tamen hoc novum quoque Hæreticorum iſtorum commentum non ſecus, ac præcedentia damnabant. Quapropter Pelagiani retrocedentes docuere: Baptiſmum ſaltem non eſſe neceſſarium Pueris, qui a Matre jam baptizatâ, atque ideo ſanctificatâ naſcantur; illud Geneſis prætendentes. (*f*) *Ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te*. Et Apoſtoli Pauli: (*g*) *Filii veſtri im-*

(a) S. Auguſt. *de Peccat. merit. & remiſſ.* c. 7
(b) Idem *de Dono perſever.* c. 21.
(c) Idem *ad Hieron. Epiſt.* 82.
(d) D. Thom. *p. p. q.* 1. *art.* 8.
Melchior Canus *de loc. Theol.* 7. *c.* 3.
(e) Toſtat. *in defenſ. p.* 2. *c.* 18.
(f) Geneſis 17. 7.
(g) 1. Cor. 7. 14.

mundi eſſent, nunc autem Sancti ſunt. Poſtremòque dixerunt, ſaltem hoc locum habere, ſi Baptiſmus Matri collatus fuerit, dum Infans in ejus utero geſtaretur: cum enim Fœtus eo tempore ſit quædam Matris veluti portio, illà baptizatà, Puerum quoque ipſius Baptiſmo conſecratum iri exiſtimabant: quaſi una reverà eſſet Anima, & vita utriuſque. Cæterùm hæc eadem primi Pelagianorum deliramenti modificatio clariſſimè Neocæſarienſis Concilii definitioni opponi conſtat. (a)

5. Ad hos itaque errores diſperdendos, cum ſcriberet Auguſtinus: propugnavit, Pueros, etiam a Chriſtianis Parentibus genitos, indigere Baptiſmo: cum etiam ipſi, media generatione, originali peccato inficiantur: & ita Innocentius Primus, eodem Auguſtino præſertim inſtante, ac deinde Tridentina Synodus in ſuis Anathematiſmis decrevere. Hoc ergo, nec aliud, in celebri illo Textu voluit Auguſtinus: uti ex his, quæ diſſeruimus, luculentiùs innoteſcet: quamvis interea ſupponat Baptiſmum ei, qui in utero exiſtit, & natus adhuc ex utero non eſt, ſificè adminiſtrari non poſſe: quam quidem ſuppoſitionem pro ſtatu ordinario graviditatis veriſſimam, & indubitabilem eſſe nemo unquam negaverit. Juvabit hic autem ipſum audire Auguſtinum. (b) *Renovati Parentes non ex primitiis novitatis, ſed ex reliquiis vetuſtatis carnaliter gignunt: & Filii ex reliqua vetuſtate totè vetuſti, & in peccati carne propagati, damnationem veteri Homini debitam Sacramento ſpiritualis regenerationis evadunt*.

6. Animadvertamus hic etiam, ut Auguſtinus prout & alii Patres Baptiſmum generationi carnali, & ideo nativitati in utero, & non ex utero comparaverit: Eamdem doctrinam de neceſſitate Baptiſmatis in Filiis Chriſtianorum inculcat alibi. (c) *Sicuti generatio carnis peccati per unum Adam in condemnationem trahit omnes, qui eo modo generantur: ſic generatio ſpiritus gratiæ per unum Jeſum Chriſtum ad ſanctificationem vitæ æternæ ducit omnes, qui eo modo prædeſtinati regenerantur*. Ecce ut hic etiam Baptiſmum ſpiritualis regenerationis modum appellans, eum ad carnalem generationem potiùs, quàm ad nativitatem relationem habere demonſtrat: nam in illà quidem, non tamen in iſtà originali culpà fœdamur. *Baptiſmi porrò Sacramentum*, proſequitur Auguſtinus, *Sacramentum regenerationis eſt: quocirca ſicut Homo, qui non vixerit, mori non poteſt: & qui mortuus non fuerit reſurgere non poteſt; ita qui natus non fuerit, renaſci non poteſt. Ex quo conſicitur, neminem in ſuo Parente renaſci potuiſſe nonnatum: oportet autem, ut ſi natus fuerit, renaſcatur. Quia niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre Regnum Dei. Oportet igitur ut Sacramento regenerationis, ne ſine illo malè de hac vita exeat; etiam Parvulus imbuatur*.

7. Profectò locus iſte, qui primo aſpectu nimis favere creditur Adverſariis, ubi deinde intimum ejus ſenſum penetrabimus, ad noſtram reſponſionem, ac ſolutionem declarandam, confirmandamque valebit. Etenim primò ubi S. Doctor ait: *Qui natus non fuerit, renaſci non poteſt*, non de nativitate ex utero, ſed de nativitate in utero, ſeu generatione loqui videtur: cum ipſe, non minùs quàm alii Patres nativitatem, & generationem pro ſynonimis habeat. Quod autem reverà illud *natus* hic in ſignificatione ſimpliciter geniti accipiat, ex toto ejus orationis contextu rectiſſimè infertur. In ea enim ſemper de generatione, in qua originalis macula inuritur, ſermo eſt: & conſequenter de nativitate in utero, & non ex utero. At demus etiam Auguſtinum τὸ *natus* hic poſuiſſe, ad ſignificandam nativitatem ex utero, ut Adverſarii contendent; nihilominus id parùm refert, & contra noſtram opinionem nihil evincet: nam indubitabile ſemper erit verbum *natus* ab eo adhiberi quatenus nativitas ex utero ſupponit, imo connotat, & includit generationem ipſam, & quodammodo unum, & idem cum illa conſtituit, a qua ſuppoſitione tota

(a) Concil. Neocæſar. *c. 6*
(b) S. Auguſtin. *de Bapt. Parvulorum*.
(c) Idem *l. 2. de Peccat. merit. & remiſſ. c. 7*.

Digitized by Google

vis ejus argumenti dependet. Efficacia enim validiſſimæ rationis, quam Auguſtinus intorquet, in hoc ſita eſt: nimirùm Baptiſmus, inquit ipſe, eſt Sacramentum regenerationis: ergo aliam generationem antecedentem, & maculatam in Infante ſupponit, per quam Adæ Filius jam factus fuerit: ut inde renatus Chriſto, ſive regeneratus dici queat. Ergo Baptiſmus Matri collatus antequam ille in utero concipiatur, ac propterea antequam contrahat originale peccatum, imo ejus contrahendi ſit capax; nullum in Puero ipſo effectum creare poterit.

8. Hic eſt verus, & genuinus Auguſtini ſenſus: aliter ſi Sanctus Doctor, quod certè negamus, ex ſuis præmiſſis inferre voluiſſet, neceſſarium eſſe quod Puer jam ex utero natus ſit; argumentatio ejus enervis eſſet: cum enim ipſe dicat, peccatum inficere per carnalem generationem, & ſic per nativitatem in utero; ſolùm inde legitimè deducitur, Puerum, ſi nondum culpæ genitus fuit, nullum ipſius culpæ remedium conſequi poſſe: ſicuti, qui mortuus non eſt, ut ipſe etiam dicit, reviviſcere nequibit. Non tamen hoc aliud inferretur: ergo neceſſe eſt Infantem eſſe natum ex utero, ut verè dicamus eum Chriſto renaſci. Nam facilè reſpondebitur: ſufficere, quod Chriſto regeneretur, ſi ſecundùm Adam genitus tantùm erat: nec oportere neceſſariò illum renaſci Chriſto, ſi non adhuc Mundo ſit natus. Hic autem Sanctus Doctor argumentando procedit, ut ex conjunctione illativa *quocirca* evidens eſt; quod profectò non facit in Epiſtola ad Dardanum, de qua ſupra.

9. Certiora fiunt, quæ dicta ſunt, ſi perpendatur, errorem Pelagianorum, quem hic Auguſtinus confutabat; non fuiſſe circa tempus, in quo Baptiſmus poſſit, aut debeat Pueris adminiſtrari; ſcilicet utrum ante, an verò poſt ortum; ſed alius erat, & circa ſubſtantiam: nempe utrum eſſet neceſſarius an non, ex ſuppoſitione, quod Puerorum Parentes Chriſtianorum ſacris eſſent initiati. Auguſtinus itaque a controverſia noſtra omnino præſcindit: quamvis principia nobis referet, in quibus ejus oratio, atque argumentatio ſundatur, & ipſemet facem præbeat, qua commodè ipſius mentem in celebri ad Dardanum Epiſtola ſcrutari valeamus. Et ſanè Auguſtinus non ſolùm illum oppugnavit Pelagianorum errorem, prodeſſe videlicet Parvulo Baptiſmum Parentibus ante conceptionem ejus conceſſum; ſed contra Julianum (a) docuit; nequidem prodeſſe illi Baptiſmum graviditatis tempore a Matre ſuſceptum: ſcilicet concepto jam Puero, & materna viſcera inhabitante. Quod aſſumptum ſuum probat ex eo, quod Puer non ſit revera pars Matris [phiſica nimirum,] ſed ab ea diſtinctus & per ſe Homo, & conſequenter per ſe baptizandus: & ex Eccleſiæ praxi confirmat, quæ baptizare Parvulos non omittit, quorum Matres antea ſacram ablutionem geſtationis tempore perceperunt. *Si ad Matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet; ita ut ejus pars deputetur; non baptizaretur Infans, cujus Mater baptizata eſt aliquo mortis urgente periculo, cum eum geſtaret in utero: nunc verò cum etiam ipſe baptizetur; non utique bis baptizatus habetur: non utique ad maternum corpus, cum eſſet in utero, pertinebat.*

10. Ex his omnibus ergo Auguſtini locis inter ſe collatis, quinam ſit verus Epiſtolæ ad Dardanum ſenſus eruitur. Aliud ſcilicet ipſe adſtruere non intendit: quàm quod aliis in libris pervincere ſe velle apertiùs indicavit: nimirum Puero, quamquam Chriſtianorum Filio, Baptiſmum ad vitam æternam eſſe neceſſarium: cumque neceſſrium ſit etiam, ut in ſe ipſo baptizetur, nec ſufficiat Baptiſmus Matri adminiſtratus, quamvis iſta Filiolum utero gereret: neque plerumque poſſit in propria carne lavari materno in corpore ſubſiſtens: docet etiam requiri nativitatem Parvuli ex utero, ut Sacramentum in ſe ipſo recipiat. Quæ omnia quamquam certiſſima, ſententiæ noſtræ nullatenus opponuntur.

11. Quamobrem etſi Auguſtinus in dictâ Epiſtolâ, ad Pelagianos magis opprimendos, illud Chriſti Domini effatum

in-

(a) S. Auguſt. *contra Julian. l. 6. c. 5.*

Google

inculcans: *Niſi quis renatus fuerit &c.* Verbum illud *renatus* ad nativitatem ex utero, non verò ad ſimplicem generationem referat; hanc interpretationem dat obiter, eam ſolummodo ad probabile argumentum adducens; non veluti firmiſſimum Eccleſię Dogma proponens. Neque enim rationes omnes, quibus ad errores confutandos aliqui Patres utuntur, vel eorum reſponſa ad incidentes queſtiones ęquè ſunt etiam certa, & indubitabilia, ac ipſa dogmata, ad quæ comprobanda ab iiſdem aſſumuntur. *Profundiores verò, difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum*, ajebat S. Cœleſtinus Pontifex, (a) *quas latiùs pertractarunt, qui Hæreticis reſtiterunt*, ſcilicet Auguſtinus, aliique, *ſicuti non audemus contemnere; ita non neceſſe habemus adſtruere.* Hoc probè norunt & illi, qui Dogmaticam Theologiam vix leviter attigerunt. Diſtribuuntur ad profligandum Adverſarium a Perito, ac Sapienti Oratore, tamquam in Acie, argumenta omnia, quę poſſunt, demonſtrativa, & probabilia, ſimilitudines quoque, & congruentiæ: neſcit enim Orator utrum Hoſtis, qui fortioribus obſtinato animo reſtitit; cedat fortè minùs validis, victaſque det manus.

13. His addo Auguſtinum; quamvis ad Dardanum Sancti Joannis Textum de nativitate ex utero exponat: ipſum tamen in alio (b) de ſimplici nativitate in utero, hoc eſt, de ſola generatione interpretari, Neophytos enim appellat: *Germina ſanctitatis regenerata ex aqua, & Spiritu Sancto.* Ubi evidens eſt ad eumdem Sancti Joannis locum alludere. Cum cæteroqui hæc ſecunda explicatio, Sancti Doctoris in hac materia principiis magis conſonare videatur.

14. Verùm quorſus iſta? Jam enim ſupra Evangelici Textus elucidandi occaſione, ſatis abundè, claréque probavimus, ex ſimilibus Sacræ Scripturæ loquutionibus, Puerum, ubi membranis exemptus januam ſibi aperuerit, egreſſum tentans, ac ſenſibilem ſeſe, atque tractabilem Obſtetrici præſentaverit, ut poſſit ab ea in ſe ipſo lavari, quod eſt Auguſtini veriſſimum intentum; non ſolùm propriè, atque in toto rigore naſci cœpiſſe; verùm, quod ad rem attinet, inter verè natos eſſe recenſendum.

15. Profectò quis non apertiſſimè videat caſui noſtro aptari non poſſe Auguſtini doctrinam; cum is nunquam dixerit, Baptiſmum Parvuli nonnati eſſe nullum, quamvis in ſe ipſo lavari poſſit a imò ſemper illum ſupponat utero circumdatum? Cæterùm ſi omnino requireret id, quod in toto grammaticę rigore verbum *naſci* ſignificat; conſequens eſſet, invalidum quoque fore Baptiſmum Infantium a diſſectæ Matris viſceribus extractorum: hi enim propriè nati non ſunt: ac propter hoc ipſum Nonnati communiſſimè appellantur.

16. Atque hæc eſt differentia, quæ inter neceſſitatem nativitatis ex utero, & neceſſitatem nativitatis in utero, etiam a Sancto Auguſtino, uti ſupra notavimus, requiſitam, intercedit. Nativitas in utero præſupponi debet omnino, ut Homo verè dicatur exiſtere: ſicuti autem ſine hac exiſtentia incapax eſt cujuſcumque peccati ſive actualis, ſive originalis; ita etiam incapax erit cujuſcumque remedii, quo a peccatorum inquinamento, & miſeriâ liberetur: ineptus quoque gratię acquirendæ, aut recipiendæ, etiam per extraordinariam juſtificationem, qua dignatus eſt olim Domini Præcurſor. Nativitas verò ex utero neceſſaria tantùm eſt, ut Puer in ſe ipſo poſſit Baptiſmatia aquâ perfundi, ad quod ſufficiet non eſſe penitus materno in utero clauſum. Profectò ſi quis diceret, Infantis corpuſculum, dum in utero manet, ſi a Demone, Dei permiſſu, vulneraretur, nullâ poſſe chirurgicæ artis operatione ſanari. Hujuſmodi propoſitio in ſenſu congruo, uti par eſt, accepta veriſſima cenſeretur: ſupponeret enim Puerum curationi topicæ impervium, quia prorſus utero circumſeptum, qualia eſſe toto prægnationis tempore conſuevit. Cæterùm ſi inſtante partu, jam jam naſci-

[a] Cœleſtin. *1. ep. c.* 12. *apud Labbè t.* 3.
[b] D. Auguſt. *ſer.* 1. *in Octav. Paſch.*

ſciturus, maternum ſinum aperiret; ita ut Obſtetrix ejus vulnus tractare poſſet; quis unquam jure dubitabit poſſe illi quoquomodo ſalutare balſamum applicari? Atque hæc ipſa explicatio valdè naturalis, ac facilis Auguſtini verbis aptanda erit, ſi corporale vulnus a Diabolo inflictum, cum ſpirituali, ſcilicet cum peccato originis, balſamum verò cum Baptiſmate conſeramus.

CAPUT OCTAVUM.

Satisfit aliis Patribus, atque Doctoribus, & proponitur quæſtio de Baptiſmate Parvuli ſecundinis involuti.

1. QUæcumque ad Auguſtini Textum exponendum huc uſque tradidimus, ad aliorum Patrum, atque Doctorum interpetrationem æquè, ac ſine ulla variatione deſerviunt, Ac primò quidem occurrit Sanctus Iſidorus: (a) ejus verba, a Petro Lombardo ſuis diſtinctionibus inſerta, ſunt hæc: *Qui in maternis ſunt uteris, ideo cum Matre baptizari non poſſunt; quia, qui natus ſecundùm Adam non eſt, ſecundùm Chriſtum regenerari non poteſt: neque enim dici in eo regeneratio poteſt, quam generatio non præceſſit.*

2 Facilis eſt ad hunc locum ex ipſo contextu reſponſio. Docet ergo ſolummodo contra Pelagianos Iſidorus, Baptiſmum, Genitrici collatum, Filiolo non prodeſſe.. Videtur quidem nonnato Infanti negare abſolutè, ac ſine ulla diſtinctione Baptiſmum; at de eo loquitur, qui nec natus ſit, nec naſci ceperit: itaut eum non in ipſius corpuſculo, ſed tantùm in Matre, & cum Matre: hoc eſt per Matris Baptiſmum baptizare aliquis auderet. Cæterùm ille non minùs, ac alii Patres generationem, & nativitatem pro ſynonimis habet.

3. Albertus verò Magnus (b) duas apertè diſtinguit nativitates, unam in utero, ex utero aliam. Deinde ſtatuit poſſe Deum merè natos in utero ab originali peccato mundare, eos immediatè ad Præcurſoris Chriſti ſimilitudinem ſanctificando: at aſſerit Baptiſmum, quod eſt remedium ordinarium, eſſe tantùm Natorum ex utero. Hoc autem nemo vertit in dubium. In eodem tamen ſenſu erit intelligendum, quem Iſidoro attribuimus ex ipſius verbis exromptum.

4. Id etiam ex D. Thoma B. Alberti diſcipulo, quamvis contra nos allegato, & nunquam a Divi Auguſtini ſententiis diſcedente, magis, magiſque illuſtrabitur. *Non debet*, ait, (c) *aliquis baptizari priuſquam ex utero naſcatur*. Hanc autem dicti ſui rationem deſignat. *De neceſſitate Baptiſmi eſt, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum Baptiſmus ſit quædam ablutio, ut ſupra dictum eſt. Corpus autem Infantis antequam naſcatur ex utero, non poteſt aliquo modo ablui aqua: niſi fortè dicatur, quod ablutio baptiſmalis, qua corpus Matris lavatur, ad Filiolum in ventre exiſtentem perveniat: ſed hoc eſſe non poteſt, tum quia Anima Pueri, ad cujus ſanctificationem ordinatur Baptiſmus diſtincta eſt ab Anima Matris: tum quia corpus Pueri animati jam eſt formatum, & per conſequens a corpore Matris diſtinctum: & ideo Baptiſmus, quo Mater baptizatur, non redundat in Prolem in utero Matris exiſtentem: unde dicit Auguſtinus contra Julianum &c.* Et hic Auguſtini verba ſuperiùs allata recenſet. (d) Attendamus autem ad rationem, quam D. Thomas in textu luculenter expreſſit: *Non poteſt aliquo modo ablui aqua*, quod etiam alibi docuerat. (e) Ex illa enim patet, eumdem impoſſibilitatem Sacramen-

[a] S. Iſidor. *lib* 2. *Sent. c.* 22.
[b] Albert. Magn. *in* 3. *Artic.* 9.
[c] S. Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 11.
[d] *Hoc Lib.* 3. *c.* 7. *n.* 9.
[e] S. Thom. *in* 4. *diſt.* 6. & *diſt.* 24. *a* 2. *q.* 1. *ad* 2.

Digitized by Google

menti quo ad Nonnatos in impoſſibilitatem reſundere phiſicæ lotionis.

5. Nec diſſimilis eſt Divi Bonaventuræ ſententia: (a) docet is Parvulum in utero baptizari non poſſe: ſed tantùm extra ordinem a Deo immediatè ſanctificari; deinde varias pro data doctrina confirmanda rationes adducens, ac ſtatim improbans, illam quoque proponit; nempe quod Parvulus nondum ſit ortus. Hanc autem ipſam etſi primâ facie congruam videri dicat; attamen invalidam putat: ex ea enim ſequeretur nonnatum Puerum neque a Deo per Baptiſmum flaminis juſtificari poſſe: quod & ſupra notatum eſt: (b) ac ſoli denique impoſſibilitati phyſicæ ablutionis innititur. *Et hae quidem, ait, ratio bona eſt: maximè quia conſonat, & ortum habet a verbis Sanctorum: tamen adhuc per iſtam rationem poſſet oſtendi, quod Parvulus non deberet ſanctificari in utero, ſicut non baptizari. Et propterea eſt dicendum, quod ratio deſumenda eſt ex parte Sacramentalis remedii, quia enim Sacramentale remedium reſpicit operationem Eccleſiæ, & operatio Eccleſiæ non ſe extendit ad Parvulum, niſi extra uterum. In primo ſtatu, hoc eſt in utero; cum ſoli Deo notus ſit; poteſt per ejus voluntatem ſanctificari, non per noſtram cooperationem, cum non cognoſcat eum Eccleſia, nec ſit de foro ejus.* Aſſerit ergo D. Bonaventura Baptiſmum non eſſe Nonnatorum, quia cum Eccleſiæ cognitioni, & operationi non ſubſint, ad illius forum pertinere non poſſunt. Hoc verò ad ordinarium Nonnatorum ſtatum referendum eſt: ignorat enim Eccleſia, utrum qui tunc in utero latet, ſit inrationabile Monſtrum an Homo: imo utrum prægnatio ſit vera, vel illuſoria. Operatio quoque Eccleſiæ, ablutio ſcilicet, in eo ſtatu erit impoſſibilis. In noſtra tamen hipotheſi hæc omnia procul dubio ceſſant. Utero enim reſerato, Obſtetrix, quæ miniſtri Eccleſiæ munus gerit; & Fœtum cognoſcit, & ipſum contrectat, & abluere valet: proindeque is ad forum Eccleſiæ pertinebit. Cæteroqui veriſimile nequaquam eſt Sanctum Doctorem Parvulos noſtros a Baptiſmate repuliſſe; qui erga Pueros tantà fuit miſericordià ut etiam alibi dixerit: *Quando Puer deficit in manibus Sacerdotis credendum eſt, quod divina miſericordia, & Summus Sacerdos non dimittat imperfectum, quod inchoatum eſt.* (c) Quod aſſertum non ideò refero, quia verum exiſtimem: ſed ut Divi Bonaventuræ profuſiorem erga Pueros benignitatem oſtendam.

6. Malè autem contra noſtram opinionem laudatur Scotus, cum potiùs ipſi favere videatur. (d) *Ad quæſtionem, ait, dico, quod vel Puer ſecundùm omnes ſui partes eſt in utero Matris, vel ſecundum aliquam partem apparet extra uterum. Si primo modo: dico quod non poteſt baptizari, non propter rationem priorem, quia conjunctus eſt cauſæ conceptionis:* maternæ ſcilicet carni, ſecus enim, (ut ille ſubjungit, fuſiuſque perpendit;) Anima Pueri cum propriæ carni, (quæ contrahendi peccati cauſa immediata cenſetur,) magis unita ſit; nunquam poſſet juſtificari: *Sed quia Baptiſmus, eſt lotio, vel ablutio in aquâ: ſed Parvulus ſic in utero non poteſt lavari, quia nec immediatè tangi aquâ.* Ecce quomodo Scotus totam obſtaculi cauſam in phyſica lotionis impoſſibilitate reponit: porrò id animadvertit Inſignis ejus Commentator Iquæus. *Ratio autem eſt*, ait, *quia nequit ablui, aut tangi aquâ: quod ſi contrarium poſſet fieri, & ſalvari ſufficiens ablutio*: atque hic eſt caſus de quo loquimur: *validè baptizaretur a contrario ſenſu.* Quodque illationem iſtam Iquæus legitimè deduxerit clarè, liquet ex his, quæ Scotus ipſe immediatè ſubnectit: *Ex hoc ſequitur corollarium; quod ſi Parvulus corio includeretur, itaquod aqua non tangeret Corpus; non eſſet Baptizatus:*

ſed

(a) S. Bonaven. *in* 4. *diſtinct.* 6. *p.* 2. *Art.* 1. *q.* 1.
(b) Cap. anteced. *n.* 18.
(c) S. Bonav. *diſt.* 3. *p.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 2.
(d) Scot. *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 3.

ſed ſi tangeret; bene. Vide quoque pro majori hujus illationis dilucidatione Cavellum. [*a*] Scotus itaque nullam ſtatuit differentiam inter Natum, & Nonnatum: etenim juxta illum ſi neuter ablui poterit, nullum profectò erit in utroque Sacramentum: ſi verò ambo, quamvis Corio, vel Utero circumſepti, lavari poſſint; æquè validè baptizantur.

7. Cæteri verò Theologi, præſertim ex Antiquis, negantes Baptiſmum adminiſtrandum eſſe Nonnatis, pari modo veniunt explicandi: ſcilicet pro ſtatu ordinario, quo Pueri lotio eſt phyſicè impoſſibilis: non enim loquuntur de impoſſibilitate Sacramentali, ac Theologica. Hoc patet in Gabriele Biel celeberrimo ſæculi decimiquinti Theologo: aſſerit is quidem, nec inficior, Infantulum in utero baptizari non poſſe; quod autem deinde ſubjungit, omnià cumulatè reſtaurat. *Si verò, ut aliquibus placet, Puer adhuc latens in Utero Matris, quamvis Matri conjunctus, aquâ Corpus ejus tangente, ablueretur, vel aſpergeretur, cum debita intentione, & formâ; verè baptizaretur*. Nota hic hujus Doctoris ætate phyſicam Infantium in utero lotionem communiùs exiſtimatam fuiſſe impoſſibilem, quamvis Nonnulli (quod hodiè certum eſt Omnibus) poſſibilem adfirmarent: quod ſanè mirum videri non debet: nam Theophilus ipſe Rainaudus, Nonnatorum ſalutis amantiſſimus, quamquam proximo ſæculo ſcripſerit: nimirùm controverſiâ jam apertiùs, & diligentiùs agitatâ, expreſsè quidem docet, Baptiſmum iſtum fore ſine dubio validum, ſi poſſet adminiſtrari: at nihilominùs eſſe phyſicè impoſſibile manifeſtè arbitratur. Ita quondam Antipodas plurimi Auguſtino Duce, non dari putaverunt; at hodiè illos exiſtere ampliùs non ambigitur; innumeri proinde Apoſtolici Viri ad eos currunt illuminandos, & baptizandos.

8. Venio ad eximium Suarium, cui omninò eadem, ac Bielio tribuenda erit expoſitio: en ejus verba. (*b*) *Reſpondetur in primis expectandum eſſe, ut Infans ſit perfectè natus ex utero Matris; nam qui omninò natus non eſt, itaut aquâ contingi non poſſit; nullo modo baptizari poteſt: quia ut rectè dicit Auguſtinus* [*c*] *nec per ſe ablui poteſt, ut per ſe conſtat; nec per Matrem: cum revera ſit perſona ab illa diſtincta, & Animam habeat propriam, & diſtinctâ peccati maculâ affectam. Qui verò naſci incipit, baptizari interea non debet, donec integrè, & perfectè naſcatur: quia ordinariè non renaſcitur, niſi qui jam ſemel natus eſt, ut Auguſtinus dixit Epiſtolâ quinquageſimâ ſeptimâ, quæ eſt ad Dardanum. Hoc autem intelligendum eſt extra caſum neceſſitatis; tunc enim, & ad reverentiam Sacramenti, & ad Corporale commodum ipſius Infantis pertinet, ut aliquantulùm differatur Baptiſmus, & commodius tempus expectetur. Propter neceſſitatem verò baptizari poteſt, & debet Infans ante perfectam nativitatem ex utero, ut dicemus in Commentario articulo undecimo*.

Et in loco indicato dicit. *Hic articulus ferè expoſitus eſt in ſuperioribus: nam ſi Parvulus omninò clauſus eſt in utero Matris: conſtat non poſſe baptizari, quia neque aquâ tangi in ſe poſſit, neque per Matrem baptizari: nam cum ſit perſona ab illa diſtincta; ablutio Matris non poteſt ablutio Filii reputari, ut benè notavit Auguſtinus contra Julianum lib. 6. c. 1. & 6. & habetur* C. Si quidquid 35. *diſt. 4. de conſecr. Et ideo in Concilio Neocæſarienſi c. 6. dicitur Baptiſmum Mulieris Prægnantis non communicari, nec prodeſſe Filio. Oportet ergo ut priùs aliquo modo egrediatur ex utero: & quidem extra caſum neceſſitatis jam ſupra diximus expectandum eſſe, ut perfectè naſcatur: in neceſſitate verò baptizari poteſt, ſtatim ac ex utero exiit*

(a) Cavell. in Scot. Report.
(b) Suarez. in *3. p. q. 68. art.* 10. *Sect.* 2. *& art.* 11.
(c) S. Auguſt. contra Julianum. *lib.* 6. *cap.* 15.

pars Corporis, quæ ad Baptiſmum perficiendum ſufficit, ut ſuperiùs ſect. 2. dictum eſt.

Hic verò ſolùm addendum occurrit, cum dicitur debere Hominem priùs naſci ex utero vel omninò, vel ex parte, quàm baptizetur: non oportere intelligi de propriâ nativitate: quacumque enim ratione fieri poſſit, ut abluatur, id ſatis eſt ad valorem Baptiſmi, etiamſi propria nativitas humana non præcedat: quia ſubſtantia Sacramenti conſiſtit in ablutione cum debitâ formâ verborum. Unde ſi mortua ſit Mater habens Infantem in utero, & aperiatur, & detegatur Puer; illa non eſt propria Corporis nativitas, & tamen circa illum perfici poteſt Baptiſmus: nec ſolùm poteſt, ſed etiam debet, quando Mater priùs mortua eſt.

9. In verbis *detegatur Puer* Suarez ad eorum praxim alludit, qui, Dionyſio approbante, Parvulum ſecundinis detectum, antequam a diſſecto Genitricis ventre tollant, illico baptizant: decentiùs tamen eſt eum a Parocho non baptizari, niſi priùs extractum, dummodo imminentis mortis periculum deſit. Suarez igitur totam quæſtionem in eo tantùm collocavit: utrum ſcilicet Infans poſſit necne phyſicè ablui: quapropter ſententiæ noſtræ Fautoribus non autem Contrariis eſt accenſendus. Demum quod attinet ad Natalem ab Alexandro, Pontas, & Alios, qui contra nos afferuntur, eos lubenter omittimus: loquuntur enim non ſecus ac Veteres de ordinario ſtatu Nonnatorum in utero: cum ipſis curæ non fuerit exactiùs a Medicis, & Obſtetricibus indagare, utrum aliquo ſaltem caſu poſſit aqua ipſos abluere: quo factum eſt ut hypotheticæ hujus quæſtionis circumſtantias nequidem attigerint.

10. Ex hactenus dictis in aperto eſt, non bene rem trutinaſſe Comitolum, (a) cum docuit: *Sententia contraria videtur ſola poſſe defendi, quam Sotus in 4. diſp. 5. quæſt. unica art. 11. ait Sacris eſſe Canonibus definitam: Infantem non eſſe capacem Baptiſmi, niſi in lucem editum, & vitam cum reliquis degentem Hominibus, a quibus juvari poſſit ..... Nam licet aperiatur oſtium uteri, quando paritura eſt Mulier, & manibus tangi poſſit Obſtetricis, qui in eo incluſus eſt Infans; cerni tamen oculis nequit, ut mihi pro certò narravit perantiqua, & expertiſſima Obſtetrix*. At bonâ tanti Doctoris veniâ neceſſe non eſt Puerum conſpici, ſi, uti jam ipſe fatetur, tangi reverà poteſt: nam quis unquam affirmavit Sacramentorum Suſceptorem debere omnibus quinque corporeis Miniſtri ſenſibus exponi, fierique ſenſibilem? ſufficit procul dubio hujus operationi ſubjectum eſſe, itaut a Miniſtro, exempli gratiâ in Baptiſmi collatione, lavari valeat. Porrò quòd Parvuli quandoque in Puerperio non ſolùm tangi, ſed & ablui poſſint, pro comperto habendum eſt: quid ergo prohibet eos baptizari? Propterea Siculæ Obſtetrices Pueros nulla membrorum parte ex utero adhuc emiſsâ baptizant. Illud verò non laudo, quod paſſim factitatur ab imperitis: iſtos videlicet Infantes abſolutè baptizari: adjicienda enim eſt conditio propter contrariorum Doctorum auctoritatem: quam nulla ſanè infregit ſedis Apoſtolicæ definitio, cum cæteroqui Puerorum ſaluti, quam intendimus, eadem conditio nequaquam officiat. Miniſtrari etiam hujuſmodi Parvulis Baptiſmum in Galliis tradunt Bodovingerius, & Riolanus. Et idipſum in aliis Regionibus uſu frequentari nullatenus ambigitur. Adèo verum eſt Litteratis Viris de aliqua inter ſe quæſtione digladiantibus, praxim ſæpè quid veritati magis conſonum ſit, prejudicatâ quodammodo ſententiâ indigitare. Et profectò Sanctiſſimus Dominus noſter Benedictus XIV. cujus Apoſtolici zeli, atque doctrinæ ſublimitas faſtigium tantæ dignitatis adæquant; in ſuo celeberrimo de Diœceſana Synodo tractatu, tribuendum eſſe docet, quamquam ſub conditione Baptiſmum. *Ad Parochos verò*, ait

(a) Comitol. Reſponſ. moral. *l.* 1. *q.* 13.

nit, (a) *pertinebit, Obſtetrices inſtruere, ut cum caſus evenerit, in quo Infantem nulla adhuc ſui parte editum mox deceſſurum prudenter timeant, illum baptizent ſub conditione: ſub qua pariter erit iterum baptizandus, ſi periculum evadat, & foras prodeat. Quemadmodum poſt alios faciendum monet Tournely de Sacram. Bapt. q. 3. art. 3.*

11. Poſt hæc autem magna ex parte in prima Operis editione conſcripta incidi in Hiacintum Serryum, (*b*) qui noſtræ ſententiæ defenſores Scilderium, Gobatum, Clericatum, Benduniumque, Novatores pluries appellat, variis dicteriis apertè deridet, & acerrimè inſectatur. Propriam tamen aſſertionem ſub his verbis conceptam, probandamque proponit. *Baptiſma Puerorum in Matris utero omninò, & ex integro incluſorum impoſſibile, illicitum, & contrarium Eccleſiæ probatur, & evincitur.* Adſtruit itaque impoſſibile, quia dum uterus manet clauſus, & glutine conſtipatus, Infantulus nequit in ſeipſo lavari. At hæc uteri clauſura, quam ponit Serryus, ordinario Nonnatorum ſtatui ſolummodo congruit ante partum inceptum, non verò tempori partus, de quo tantùm Scilderius, ac Socii loquuti ſunt; non enim iſti, ut Pelagiani, Sacramentum hoc Pueris, quamquam in ſeipſis baptizari nequeant, miniſtrari poſſe ſomniarunt. Immò expreſsè clariſſimèque ſupponunt uterum puerperio adveniente reſerari. Id autem contemnit Serryus, & nihilominùs diſtinctionis hujuſmodi vim declinare cupiens, addit. *Ego quidem Medicis, ac Chirurgis judicandum relinquo, num ita, inſtante partu, os uteri dilatetur, ut vel manus intromitti, vel ſaltem Clyſteridium admoveri facilè poſſit: mihi Viro Theologo, ac Religioſo non licet eſſe tam curioſo. Sit ita tamen, ut volunt curioſi iſti Exploratores, hoc dico tamen, ne ſic quidem ablutionem, ad Baptiſmum neceſſariam, fieri poſſe: ac triplici quidem ex cauſa.* Nimirùm primò quod hanc ablutionem impediat ſuperioris uterini orificii ab inferiori diſtantia. Secundò quòd copioſi humores ab utero profluentes in deſcenſu aquam Baptiſmatis, ne intrare poſſit, validè repellant. Tertiò quòd ſaltem, utpotè fœtidi aquam ipſam inficiant; adeout lotioni faciendæ ſit impar.

12. His poſitis illicitum, immò nullum fore Baptiſmum ex Rituali Romano, Auguſtino; aliiſque Patribus firmare contendit. At optaſſem, ut Vir, cui certè neque præſtans ingenium neque abbundans eruditio deerat, a conviciis abſtinens pacatiori animo ſaltem Ritualis Romani verba, Adverſariorum ſuorum dicta, immò ſtatum ipſum controverſiæ conſideraſſet. Nam duo hic quæri poſſunt. Primum, an Puer imminente partu lavari Phyſicè queat? Secundum an etiam Sacramentaliter, ac validè? Prima quæſtio eſſet Chirurgica, Secunda tantùm eſt Theologica. Utramque autem miſcet, Serryus atque confundit. Nam Auctores noſtri, Baptiſmi quidem validitatem propugnant, ſed poſteaquam pro certo ex Chirurgorum, & Obſtetricum experientiâ præmiſerint, parturiendi horâ uterum eſſe apertum, & ablutionem phyſicè, & commodè perfici poſſe, Serryus verò extra lineam haſtiludii currens in eos, veluti in hoſtes ardentiùs invehitur: ſed incaſſum, totus enim eſt in probando ex Patribus Baptiſmum Parvulorum in utero prorsùs concluſorum, qui nimirum in ſeipſis ablui nequeunt, eſſe procul dubio nullum; idque neque Scilderus, cum ſociis, nec alius unquam ſanæ mentis huc uſque negavit. Et Patribus quidem ſuperiùs abundè ſatisfecimus. Illud verò nequaquam hic puto diſſimulandum; Serryum ſcilicet ſibi ipſi contradicere. Et profectò ejus doctrinæ ratio eſt, quia Baptiſmus, juxta Sancti Joannis noviſſima verba, eſt ſecunda nativitas: ideoque manifeſtè repugnat naturæ Baptiſmatis ante nativitatem conferri... deinde ſubdit: (*Neque obeſt lo-*

V 2

(a) Benedict. XIV. De Synod. Diæcel *l. 7. c. 5. n. 6. fol. 194.*
(b) Serry Prælect. Theol. *t. 4. prælect.* 19.

Google

lorus evangelicus de Virgine Prægnante: quod in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt:) *arbitraria quippe verſio illa eſt, qua porte Chriſtus conceptus in utero natus dicitur: maximè cum græca phraſis ambigua ſit, & anceps* τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου: *hoc eſt quid in ea conceptum eſt, formatum eſt, factum eſt, animatum, eſt de Spiritu Sancto eſt. Hæc etenim, omnia perinde ſonat vox græca* γεννηθέν.

At miror Serryum non animadvertere, ſe, dum Adverſariorum reſponſionem eludere tentat; propriæ ſententiæ fundamentum ex imo divellere. Si enim verbum γεννηθὲν ſignificat *factum*, ſeu *natum* ſimpliciter, non verò *renatum*; & æquè poteſt ſignificare *natum*, vel *factum*, vel conceptum, ſeu genitum; quomodo ex verbis Divi Joannis, qui eodem prorſus vocabulo utitur; demonſtrabit Nonnatorum Baptiſmum fore invalidum; eo quòd non eſſet propriè, & rigoroſè dicta ſecunda nativitas, & a generatione diverſa? Deinde Romani Ritualis Pauli V. verba non ea ſunt, quæ recitat Serryus; nimirum: *Puer in ventre Matris exiſtens, nec apparens extra, non eſt baptizandus*; ſed hæc alia: *Puer in utero prorſus clauſus non eſt baptizandus*: quod non cadit in controverſiam. Laudat etiam Serryus Rituale editum A. 1585., & aliud A. 1598. Hæc præ manibus habere non potui: conſtat autem ea privata quidem, non publica auctoritate, fuiſſe confecta.

13. Cæterùm quæ ipſe ablutionis opponit poſſibilitati ſunt prorſus evanida. Nam tempore, de quo agitur, ex Chirurgorum, & Obſtetricum teſtimonio non ſolùm uterus aperitur, ſed propter muſculorum contractionem bina uteri orificia in unum rediguntur, vaginâ intermediâ mirè abbreviata. Quamobrem Puer ab Obſtetrice manibus tractari poteſt, atque lavari. Inſuper aperto utero, ac diruptis reſpectivè ſecundinis, humores utro, bique contentos deſcendere, ac protinus exire neceſſe eſt. Egreſſi proindè obſtare nequeunt, quominùs aqua Syphunculo, vel manu ipſa introducatur. Nec aquam iſtam ullatenus conſpurcare valebunt.

14. Hæc ergo ante omnia, Chirurgos, & Obſtetrices interrogando, Serryus trutinare debuiſſet, ſi verum quæſtionis Theologicæ ſtatum, ut oportebat, exactè ponere voluiſſet, nec hoſtem fingere, quem feriret. *At*, inquit, *mihi Viro Theologo, ac Religioſo non licet eſſe tam curioſo*. Credendum ergo erat aliis Doctoribus æquè Theologis, & Religioſis, qui eadem a Peritis didicerunt; quoſque per injuriam *ipſe curioſos Exploratores* appellat. Fundamentum enim ſunt illa Theologicæ controverſiæ, & ad eam elucidandam penitus neceſſaria.

15. Et profectò, quod incredibile omninò videretur, ipſemet Serryus tandem aliquando non diffitetur, momenta a ſe contra hujuſmodi Baptiſmum allata, ejus validitati non officere: ex quo ſequitur illum fore validum; ſi modo Puer in ſeipſo baptizari queat. Quapropter ex eodem Serryo controverſia iſta jam non ad Theologos, ſed ad Chirurgos pertinebit. En ejus verba: (a) *Quamquam quid ego cum larvis depugno? Si vera ſunt, quæ ab iis Novatoribus ſuffugia quæruntur, ut Puerum in utero materno prorſus incluſum baptizari poſſe defendant: ab ipſo quæſtionis ſtatu deſiliunt, aliudque probant, quam quod illis probandum incumbit. Si enim inſtante partu os uteri ita apertum eſt, ac dilatatum, ut manus de facili poſſit intromitti, fœtuſque attrectari: ſi ſecundinæ aut naturæ impetu, aut etiam artè dilaceratæ ſunt; tunc certè Puer non cenſetur verè, ac propriè incluſus in utero, ſed in actu potiùs egrediendi ex utero. Uti profectò reus non cenſetur clauſus in carcere, dum ſtat ad hoſtium carceris apertum, ut egrediatur, quamquam nondum pedes foras extulerit. Nos porrò de Pueris in utero* Ma-

(a) Loc. cit. vide etiam *t. 3. diſp. 1. prælect. 3.*

Matris prorſùs incluſis in præſentia diſputamus, num ne in eo ſtatu baptizari poſſint inquirimus: a ſtatu itaque quæſtionis procul abſcedant. Manifeſtè hic aberrationem a ſcopo Serryus Adverſariis ſuis appingit. Cæterùm Lector ex dictis facilè judicabit num revera noſtri, an Serryus a quæſtionis Theologicę ſtatu procul abſceſſerit?

16. Sed Bodovvingerium audiamus: *Hanc etiam ſententiam*, ait ille, (a) *ex Sorbonicorum Doctorum conſenſu in praxi eſſe receptam, patet ex his Joannis Riolani Galliarum Reginæ, & Academiæ Pariſienſis Medici Primarii verbis.* (Ut extinctæ Matris ſuperſtes Infans Baptiſmi particeps fiat, & ad Cælos rediens in Beatorum ſedibus Dei conſpectu fruatur; nunc Pariſiis conſuevimus in moribundis, atque etiam in mortuis Gravidis, ſi digito in ſinum pudoris intruſo, Caput Infantis hianti oſculo Matricis oppoſitum deprehendatur; (hic enim ſitus maximè naturalis eſt, & obvius,) aqua benedicta aſpergere, vel digito intincto rigare, prolatis verbis Baptiſmi. Improbat nihilominus Bodovvingerius & Syphunculi uſum, & Chirurgici cujuſcumque inſtrumenti; lotionem ſemper manibus perficiendam eſſe contendens: at cum nullam adducat differentiæ rationem; quæ certè inveniri non poterit; non eſt cur in eo quoque impugnando diutiùs immoremur. Ex adverſo tamen Roncaglia Baptiſmum per inſtrumentum dilucidè ac fidenter admittit. *Placet omninò aſſerere Puerum exiſtentem in utero Matris eſſe ſaltem ſub conditione baptizandum, ſi aliquo modo, ſaltem mediante inſtrumento, ablui aquâ poſſit.* Vide etiam Sorbonæ reſponſionem ad Chirurgum obſtetricantem, & inventorem novi inſtrumenti pro pueris in utero baptizandis, quam Jacobus Joannes Bruhier ab Albaincourt Pariſienſis Facultatis Doctor integram edidit in adnotationibus ad Deventerium.

17. Si liquet ergo licere ſub conditione modo prædicto Baptiſmum periclitantibus Pueris miniſtrare; ſequitur inde peccari lethaliter ſi miniſtratio hæc omittatur. Et reverà Divus Thomas, ubi nihil aliud præter pedem lavari poſſet Infanti; docuit in pede ſaltem eſſe baptizandum, quamvis ipſius ævo, uti Sanctus Antoninus retulit. (b) Scholaſtici Theologi communiùs hujuſmodi Baptiſmum invalidum eſſe cenſerent: *quoniam*, ajebat ille, *non nocet ..... & divina miſericordia non eſt arctanda.* Imo hodiè Baptiſmus in pede, vel manu apud omnes pro ferè certè valido reputatur, poſtquam Romanum Pauli Quinti Rituale ad illius validitatem maximè propendit. Res enim decurſu temporis, & concertatione magis, magiſque clareſcunt.

Eccleſiæ verò ſive Græci, ſive Latini ritus, quæ in baptizando trinâ utuntur immerſione; probè ſciunt hanc non eſſe de ſubſtantia Sacramenti: quarè parùm intereſt, an in hujuſmodi caſibus; ubi Parvulus nullum membrum emiſit, immerſio, & multò magis trina, ſit impoſſibilis: ſufficiet phyſicam ablutionem, unam vel ternam eo modo, quo potuerit, adhiberi.

18. Quæres utrum validè Baptiſmum ſuſcipiat Puer ſecundinis involutus? Affirmant profectò multi quà veteres, quà recentiores Theologi, (c) qui membranas has tamquam ipſius Infantuli partes agnoſcunt: cum eodem enim connectuntur, imo continuantur, cum eo vegetant, ejus arterias, venaſque continent, & ad ipſius vitam, ſanguiniſque

(a) Bodovving. Ventilabr. *p.2.q.20.*
Joann. Riolan. Anthropol. *lib.6. c.8.*
(b) S. Antonin. *3.p.tit.14.c.15.§.1.*
S. Thomas *in 4. diſt.6.art.1.q.6.ad 3.*
(c) Sylveſter v. Bapt. *4.qu.1.*
Vaſquez *in 3.part.2.diſp.145.cap.4.n.31.*
Diana *tom. 1. tract. 1. reſol. 76.*
Caſtropal. *p.4.tract.19.pun.4.n.8.*

que traſmutationem, atque circuitum neceſſariæ demonſtrantur. Quocirca vaſa umbelicalia, Placenta, & Secundinæ *unum quid* cum fœtu ipſo conſtituunt: maximè quia eorum adauctio, & motus non à Matre, ut Priſci Medici ſentiebant; ſed ab Infantis Anima dependet. Baptiſmum tamen ſub conditione tribuendum admonet Roncaglia (*a*) propter multorum etiam Theologorum diſſenſum. Attamen quæſtio pro caſu præſenti, in quo non de fœtibus minimis, ſed de maturia, & nativitati proximis agitur; eſt purè ſpeculativa, & ad praxim nullius penè momenti. Etenim ſi ſupponimus Infantem jam natum; non video quare ſub conditione baptizare debeamus membrania involutum, & non potiùs his ante diruptis, abſolutè. Si tamen adhùc in ventre manet, apertum eſt autem ſuperius Matricis orificium; & tunc vel ipſe Puer jam ſecundinas dilaceravit; vel facillimè eas didilacerabit Obſtetrix. Conditionato itaque Baptiſmate, non opus erit, niſi eum aperto jam utero, membranæ diſcindi non poſſent, & periculum inſtaret, ne Infans interea moreretur: qui caſus, eum non niſi ſemel Bergomi eveniſſe noverimus, (*b*) rariſſimum fore arbitramur.

CAPUT NONUM.

De Monſtris baptizandis.

1. DE Nonnatis in partu difficili adjuvandis agentes, oportet ut aliqua ſaltem breviter de monſtris addamus: ea enim non tantùm in Abortu verùm etiam in Partus difficultate frequentiùs prodire conſpiciuntur: cum ipſa ſæpè Abortum, & Partuum deſperatorum, & mortis Gravidarum cauſæ cenſeantur.

2. Monſtra quidèm prolixè Paræus, Licetus, Palfinus, Tulpius, Aliique deſcripſerunt. Plures autem ſunt illorum ſpecies: nam alia ſunt Bruta, etſi à Muliere orta, alia ſemihomines, & ſemibruta, alia Homines, at membris aliquibus redundantibus, turpia: v. g. Caudati, Auriti, Elingues, Aſthomi, Brachiſtomi, ſine ſe u, vel anu: alia duplicia, ex pluribus nempè fœtibus inter ſe unitis coagmentata.

3. Diverſæ quoque ſunt cauſæ Monſtrorum. Et primò virilis ſeminis pravitàs. Secundò Embryonis in ovo fœmineo, naturà ludente, inſolita conformatio. Tertiò Mulierum phantaſia tenellum Embryonem immutans. Quartò uterus ipſe, qui cum non benè diſtenderetur, illius partes confudit, & implicavit, ne ritè germinarent. Quintò aliorum Animalium ovula fortè in Mulieris Matricem pervenientia. Sextò varia molarum vel corporum polypoſorum, in utero configuratio. Septimò inordinati concubitus, ac nimia conjugum luxuria, ex quibus Monſtra certis in regionibus frequentiora naſci creduntur. Octavò demùm divina miracula.

4. Non vacat omnia expendere: ſatis erit duas tantummodò quæſtiones extricare ad Baptiſmum pertinentes. Prima eſt quandonam Monſtrum reputari debeat Animà rationali informatum, ut illud legitimè baptizemus? Altera quandonam Anima ſit una, vel duplex, ut unum, vel plura Baptiſmata conferamus? In utriuſque, ſcilicet quæſtionis, caſibus ex Ritualia Doctrinà Baptiſmo vel abſoluto, vel conditionato, juxta rei certitudinem, vel incertitudinem utentes.

5. Et quod ad primum attinet; pro regula ſtatuimus: id, quod ex utero muliebri, & ex ovulo humano generatum oritur; ubi ſufficiens ratio contrarium non ſuadeat; Animà rationali præditum eſſe præſumendum: mandavit enim Deus ab initio plantas ipſas, & arbores unam quam-

(a) Roncaglia *t.2.tract.17.de Bapt c.4.q.4.n.1.*
(a) Bartholin. apud Bonet.Medic.Sept.*t.2.l.4.ſect.7.obſerv.30.*

Digitized by Google

quamque juxta ſuum genus fructum, ſementemque producere. Nihilominus impoſſibile non eſt, Bruta in Mulieris utero interdum generari: Etenim poterit alteriùs Animalia ovulum, cum cibis ingeſtum, illius corpus intrare: quod ſi fortè non corruptum, neque alteratum, ſed motu ſanguinis ad inferiora propulſum in Matricem deſcenderit; poterit ibi tamquam in loco ſatis idoneo, quandoque ſaltem germinare: præſertim cum in ipſis Marium viſceribus aliquando Serpentes, aliaque Animalia procreentur. Si igitur ex Muliere naſcatur Animal, quod Brutum eſſe deprebendatur; de Baptiſmo, cujus eſt planè incapax, cogitare non oportebit. Quid tamen ſi quod naſcitur ex parte Homo, ex parte Brutum videatur, maximè ſi ex copula cum Beſtiis originem ducit? Profectò ex his damnatis congreſſibus Priſci Centauros ſuos, Hippocentauros, Onocentauros, Satyros, & Faunos derivabant: quos aliqui Dæmonum præſtigia, alii fabuloſa Monſtra opinantur. Quidquid tamen de illis fuerit; in Indiis Mulieres quandoque ex Simiis concepiſſe tradunt Recentiores. Item in Italia ex Muliere, & Cane A.1493. Uolaterranus, Cardanus, atque Paræus natum enarrant monſtrum ſemihominem, & Semicanem, ab ejuſdem Uolaterrani Fratre Pontifici Romano relatum. (a) Aliqui ſuſpicantur hujuſmodi monſtra caſu quidem, ſeu Naturà ludente, fuiſſe generata: copulam verò cum Beſtia deinde ſubſequutam erroris occaſionem præbuiſſe; vel poſt conceptum ex Viro Hominem, in ſecundo cum Beſtia congreſſu Mulieris phantaſiam Embryonem immutando tantam deformitatem effeciſſe. In his tamen caſibus, ubi Monſtrum Caput habeat humanum, & in ejus Corporis ideà conformatio humana prævaleat; ſaltem ſub conditione *ſi es Homo* baptizabitur. Homo enim videtur eſſe, atque ab Adamo ex parte medià concupiſcentià carnali deſcendens.

6. Difficilior videtur caſus, in quo Mater Bellua ex Viro concipiat: cum enim humani Embryones ex Mulieris ovo a ſemine virili agitato, oriantur; nequaquam elucet, quomodo ex belluinis ovis Homunculi emergere umquam poſſint. Cæterùm Eruditiſſimi Auctores teſtantur & id aliquando eveniſſe. (b) Mitto Nefrendem Semihominem, & Semiſuem tradente Lycoſtene A. 1110. in Eburonum Pago natum: ſimilemque A. 1564. Bruxellis, cujus figuram habes apud Paræum, ac tertium, ſed ex Capra, & Homine, referentibus Aliis: Licetus narrat Nefarium quemdam ſe Vaccæ commiſcuiſſe, & ex ea Puerum generaſſe, (c) qui baptizatus pietatem coluit, quamquam ſolitus prata paſcere, herbaſque ruminare. Si facta hæc vera ſunt; dicamus neceſſe eſt, virile ſemen, quod cæteroqui particulis ad humanam configurationem aptabilibus abundat; tantà fuiſſe efficacià, ut brutini ovuli partes ad humanam ideàm ac ſimilitudinem tranſtulerit: vel Deum in ſceleris vindictam, & indelebilem Auctoris infamiam eodem tempore ovulum ſuo miraculo immutaſſe, vel illud antea humanæ generationi aptum ſuà præſcientià præparaſſe. Quò verò ad Baptiſmum idem etio, ac in caſu, præcedenti judicium: ſcilicet ſi Caput eſt humanum, & in Corpore humana forma prævaleat; adjectà conditione tribuetur.

7. Verùm ſi Monſtrum biforme naſcitur ex Muliere; per virile ſemen genitum fuiſſe præſumitur: in eo autem ſi Caput humanum, reliqua verò Membra ſint belluina, quod pluries eveniſſe Licetus eſt Auctor; probabilius quidem creditur, Animam ineſſe rationalem. Cæterùm cum humana forma reſpectu totius corporis non certò prævalere videatur; Baptiſmus ſub conditione miniſtrabitur. (d) Idem dicendum ſi viceverſa Corpus eſt humanum, Caput verò bel-

(a) Philolog. *l.* 24. *in fin.* Paræus *l.* 23. *c.* 12.
(b) Paræus *loc. cit.*
(c) Licet. de Monſt. *l.* 2. *c.* 68.
(d) Ritual. Rom. *tit. de Bapt. Parvul.*

Digitized by Google

belluinum , ut in Cynocephalis , (*a*) ideſt Capite Canino formatis : qui , eodem Liceto perhibente , (*b*) multoties viſi : fortaſſis enim interna cerebri textura humanæ ſimilis erit , & Animæ Rationalis functionibus accommodata .

8. Hæc tamen ad marinos Homines, ſeu Tritones , atque Sirenes , quamvis Hominibus supernè ſimillimos , non extendimus : Baptiſmi enim capaces non ſunt , utpote non Adæ Filii, imo nec Homines : quod ſi cum Hominibus coirent ; (nam extra aquas dicuntur aliquandiù in vivis perduraſſe ,) & ex eis Animal , formam ex parte humanam oſtendens , naſceretur ; Baptiſmus conditionatus omitti non debet . Cæterùm an illud unquam acciderit neſcio : quæ enim in hac materià circumferuntur exempla, partim ſuſpecta judicamus , partim ad apertas fabulas meritò rejicienda .

9. Narrant quamplurimi Pueros fædiſſimos ex Muliere ſuccuba , & Dæmone incubo , medio tamen virili ſemine aliunde ſcilicet allato, progenitos ; quod quidem rectæ philoſophiæ nequaquam repugnat . Alii hæc facta reputant commentitia , vel ad exempla reſpondent . Mulieres illas , Dæmonibus quidem incubis aſſuetas , ex alia tamen copula cum Viro concepiſſe . Quidquid ſit : ſi Fœtus eſt humanus , quamquam adeo monſtroſus , Baptiſmo fraudandus non erit : ac multò magis ſi non ope Dæmonis , ſed ex naturali cum Viro congreſſu ortum fuiſſe credamus .

10. Monſtrum , ubi humana ſit ipſius idèa , quamvis membra habeat maximè turpia, etiam ſi Diabolicam figuram referat item ſi aliquibus partibus careat;dummodo non deſit Caput, ſine dubitatione baptizetur : apparet enim certò natum ex ovo Muliebri , a virili ſemine fœcundato . Defectus autem vel deformitates frequenter a Matris phantaſià , vel alià cauſà mechanicà oriuntur . Uterus enim quandoque , Fœtu creſcente , non ſatis , aut ſaltem non æquè diſtenditur : quapropter aliquæ Embryonis partes non germinant , vel non benè ſeſe explicant , quæ deinde curſu temporis abolitæ , vel deformatæ ipſum mutilum , aut diſtortum , ac turpem reddere conſueverunt. Ita quamvis frumenti granum plurimas habeat gemmulas ; non tamen omnes pullulant , ſæpè a circumjacentium glebarum lapillis compreſſæ , & impeditæ.

11. Acephala Monſtra dicuntur , quæ Capite ſunt manca : hujuſmodi nonnunquam dari oſtendit Licetus , (*c*) Aliique. Paræus ex illorum numero quoddam exhibet natum *Villæfrancæ* A. 1562. [*d*] Acephalum igitur quamvis reliqua humana membra poſſideat ; non abſolutè baptizatur : cum deſit Caput prima nimirum ſedes Animæ Rationalis . At non denegatur illi Baptiſmus conditionatus ; res enim eſt dubia : (*e*) nam fortè internam aliquam habet Corpuſculi partem , quæ cerebri vice fungatur . Præterquam quòd poterit fortè Rationalis Anima in corde principatum , ſi non ad ratiocinium , ad vitalia tamen munia, motumque Syſtolicum , & Diaſtolicum promovendum exercere . In *Acephalis* non computantur quæ Caput habent , quamquam ſine oculis , & naribus , levigatum , & planum : quale fuit illud a D.Franciſco Paulano miraculo reformatum. [*f*] Celeberrimum autem inter verè Acephala eſt Monſtrum Bononienſe , quod adhuc viſitur , humanum quidem, at ſine Capite , ſine Thorace , ſine Corde , ſine Pulmonibus , Sanguiferiſque vaſis majoribus , imò & nonnullis aliis partibus ; a Vallisnerio , Bianchio , & Aliis memoratum , quod vivum ad nonum uſque menſem pervenerat . [*g*] Huj-

(a) Clericat. de Bapt. *decif.* 46. *dub.* 5. vide etiam *decif.* 51. *dub.* 20. *n.* 5.
[b] Licet. de Monſt. *l.* 2. *c.* 58.
(c] Licet. *Ibid. c.* 20.
(d) Paræus *l.* 23. *c.* 7.
(e] Cleric. de Bapt. *decif.* 51. *dub.* 20. *n.* 5.
(f) Perrimezzi vita di S. Fran. *l.* 2. *c.* 2.
[g) Bianchi *de nat. generat. p.* 245.

Digitized by Google

juſmodi quoque, ſi viva egrediantur, baptizanda erunt præmiſſa conditione: cum ex idea corporis ad humanam ſpeciem clarè pertineant: quamvis, quomodo vivant, neſciamus.

12. Si verò quod naſcitur omni formà deficiat; Baptiſmum non tribuemus: mola enim, vel falſum germen, vel polypus, non Fœtus erit. Mirabile tamen eſt quod in Sancti Elzearii hiſtoria traditur. (a) Amphibiſia Elzearii propinqus, & Grimoaldi Viri Principis Uxor, poſt efferatiſſimos dolores Monſtrum effudit, quod continuo motu ſuo Aſtantes perterrebat. Humanum non videbatur, cum humanà ſpecie careret; ſed neque belluinum, quia Bruti ſimilitudinem non præſeferens: erat enim omni formà deſtitutum. Elzearius, qui fortè aderat, conjugum lachrymantium miſeratione commotus, ac fervidiſſimè flexis genibus orans, carneam hanc molem in Infantem inſolitæ pulcritudinis convertit, ad cujus vagitum cæteri divinam potentiam admiraturi accurrerunt. Prædixit inſuper olim fore, ut Infans ad ſummum Pontificatum aſſumeretur: & reverà Pontifex ille factus Urbani V. nomine celebratur. Simile prorſus miraculum de informi carne in venuſtiſſimum Parvulum converſa à D. Vincentio Ferrerio patratum, ejus vitæ Scriptores enarrarunt. (b) Itaque aſſerere oportet, maſſas illas aliquam, internam ſaltem, configurationem habuiſſe, vel caſus fuiſſe penitus extra ordinem, nec trahendos in exemplum: maſſæ enim carneæ informes molæ ſunt, vel concretiones polypoſæ, vel ſimilia, non autem Homunculi; diſſecandæ tamen ut appareat num fortè in ſe ipſis Fœtum contineant, quod pluries evenisſe notavimus. (c)

13. Sed ad principalem alteram quæſtionem deſcendamus: utrum ſcilicet Anima ſit una, vel plures. Hic autem in memoriam revocandum eſt, quod alibi diximus: nimirùm ubi duo quidem ovula maturitatem ſimul fuerint aſſequuta; utrumque eodem tempore à virili ſemine fœcundari: quapropter Gemelli naſcentur. Itaque ſi ovulis his tenuiſſimæ ſecundinulæ caſu rumpantur; Embryònes, quamvis uterque propriam Animam fortè priùs acceperit; viciniores inter ſe fiunt, & quandoque ob uteri preſſionem conglutinantur, atque invicem inſeparabiliter concreſcunt. Id etiam accidere poteſt in Fœtibus, quorum alter ſuperfœtatione ſit genitus. At majus eſt hujus mali periculum, ſi duo veri Gemelli ſub iiſdem membranulis germinent: eo enim caſu de facili Monſtra duplicia oriuntur: ita duo ſeminum vegetabilium granula in avenacea fiſtula, vel ſimili tubulo incluſi cohærent, & uniuntur, floribus indè duplicatis enaſcentibus. Ita etiam ex diverſarum Arborum inſitione fructus monſtroſi, & duplices pariuntur. Equidem ea ratione Palmæ Amygdalas vidi, quarum nucleus amygdalinus, cortex verò mali perſici, ſeu duracini. Imo nonnunquam vulneratis, decorticatiſque digitis, ac balſamo illitis, ligamenta impoſita id effecerunt, ut ipſis deinde ſolutis, ex duobus inter ſe cohærentibus unus jam digitus evaſiſſe videretur.

14. Si ergo Monſtrum duo habet corpora, quamvis unita, quorum unumquodque propriis gaudeat membris; qualia ſanè apud Paræum obſervare licebit; duplici Baptiſmo, eoque diſtincto, donatur: (d) cum certò duo ſint Homines, ac duæ ſimiliter Animæ: niſi imminens mortis periculum, dum utrumque lavamus, unicam formam adhibere nos cogat, dicendo: *Ego vos baptizo &c.*

15. Aliquando in Monſtro duo Capita, duoque pectora conſpiciuntur, etſi

(a) Borelli vita S. Elzearii *cap.* 7.
Prinſivall. vita ejuſdem *l.* 1. *c.* 13. *n.* 4. *& lib.* 4. *c.* 10.
(b) Valdec. *l.* 3. *c.* 44. Soveges *in vita*
Tioli in vita *l.* 3. *tract.* 2. *c.* 16. *n.* 6.
(c) Lib. 1. *c.* 12. *n.* 14. *& lib.* 2. *c.* 4. *n.* 12.
(d) Ritual. Rom., & S. Carol. Inſtr. pro Bapt.

Digitized by Google

cætera membra non ſint duplicata. Et hic tamen duplex adminiſtratur Baptiſmus: (*a*) cum ex Rituali Romano ambigi non poſſit, duos eſſe Homines principalibus membris inſtructos.

16. Ubi verò in uno corpore duplex eſt Caput, quod Animæ ſedes eſt maximè præcipua; probabilius quidem cenſetur, duos eſſe homines. Verùm cum inter Philoſophos de hoc non conveniat; unum ex capitibus abſolutè, alterum cum conditione, *ſi es alius Homo*; baptizatur: quod ſi duo illa Capita eſſent inæqualia; principaliùs abſolutè, alterum adjectâ conditione luſtrabitur. (*b*)

17. Si tamen ſub uno Capite plura ſint pectora, vel etiam Corpora; unus eſſe videtur Homo, ut Divus Carolus docet: (*c*) Cæterùm cum etiam Acephali vivi aliquando reperti ſint, ejus opinio dubitationem patitur. Igitur, ut plerique alii Theologi ſentiunt, baptizandum eſt primò abſolutè Caput, deinde ſub conditione pectus illud, quod Capiti non corriſpondet, quodque fortaſſe poterit ad alterum Hominem pertinere. (*d*) Idem dicendum de Polycephalis, ſeu pluſquam duo Capita habentibus. (*e*) Hujuſmodi Monſtrum cum ſeptem Capitibus, totidemque brachiis Novaræ natum A. 1587. Aliudque ſimile Pordenone apud Forum Julium A. 1685. dedere Schottus, & Aldovrandus. (*f*)

18. Atque hæc de Baptiſmate Monſtrorum ſummatim dicta ſint: id tamen moneant Parochi: Monſtra non occidenda, ſed Parochis ipſis accerſitis oſtendenda: ut ii de Baptiſmo adminiſtrando decernant; & ſi opus fuerit Peritos, imo etiam ſi tempus fortè ſuppetat; Epiſcopum conſulant. Ubi autem illa Rationali Animâ informata credantur; neque poſt ipſum Baptiſmum interimenda erunt: imo ſi vitalia appareant, ut Nani, Gibboſi, ac ſimiles, ea Parochi educari jubebunt: ſi autem omninò turpis viſu, & prorſus horrifica, ſponte ſua morientur: hujuſmodi enim vitalia eſſe non ſolent: ad ſummum ergo hæc ultima jam baptizata de ſe mori ſinantur, cum ea poſitivè perimere nequaquam liceat. In perilluſtri hujus Regni Civitate bis mihi contigit eorum admirari ſævitiam, qui Monſtroſos occiderant Fœtus, nihil interea de eorum Baptiſmate cogitantes. Profectò Romani, ex Lege duodecim Tabularum ab Athenienſibus mutuata, Monſtra in Tiberim projiciebant. Proclive ergo erit etiam noſtræ ætatis Hominibus, præſertim rudibus, qui ob inſtitutionis catechiſticæ defectum, ſæpe vix ab Ethnicis, niſi charactere, ac nomine Chriſtiano diſcriminantur; ea ipſa factitare, quæ olim honeſta videri potuerunt Legiſlatoribus tam Sapientibus, ac à Populis tam cultis pro Lege ſervari. Atque ea ratio fuit cur in novo Siculi Regni Statuto, nuper condito, [*g*] expreſsè de Monſtris non occidendis, ſed Parocho præſentandis miſericordi, ac ſalutari providentiâ ſancitum ſit.

CA-

---

[a] S. Carol. ibidem.
[b] Clericat. de Bapt. *decif.* 51. *dub.* 9. *n.* 6. & *dub.* 20. *n.* 5.
[c] S. Carol. in Inſtr. pro Bapt.
(d) Cleric. de Bapt. *decif.* 51. *dub.* 20. *n.* 5.
Roncaglia de Bapt. *c.* 4. *cum Bonacina*, & *Aliis*.
(e) Ex Gobat, de Bapt. *n.* 276. & *Cleric. deciſ.* 47. *dub.* 9. *n.* 6.
(f) Schott. in Phyſ. *cur. c.* 5. §. 1. 2. & 3.
(g) In Append. Monum. IV. *n.* 13.

CAPUT DECIMUM.

Naſcentes Pueros frequenter Aſphyxiâ corripi, & mortuorum ſpecie apparere.

1. ETſi quamplurima huc uſque pro æterna Infantulorum ſalute dixerimus; neſcio utrum aliquid majoris momenti adduci potuerit, quam quod præſenti capituloædituri ſumus: eos nimirum in partu præſertim difficili naſcentes planè defunctos interdum videri, & aliquando diutiùs, quum tamen reipſa vivant, nec niſi continuatis auxiliis ad ſe redire. Ita Facultas Medica Vittembergenſis, (a) ita Bohnius, ita Bruhierius, ita Deventerius: ita demum innumerabilibus adacti experimentis Obſtetrices omnes, Medici, atque Chirurgi, qui de partu ſcripſerunt. Juvabit hic aliqua ex Bruhierio collecta exempla ſummatim attingere. Is tomo primo Infantulum habet, qui nullum vitæ ſignum præbuerat, quamvis per tres a nativitate horas multa in eo excitando pertentata fuiſſent experimenta, & nihilominus deinde recuperatus eſt. Secundo verò tomo ſeptem alios recenſet: his autem quatuor addit in ſupplemento, & alibi plures, quamquam in Genere, tum ab Hannemanno, tum a Grubelio memoratos. (b)

2. Hæc præterea perfecta mortis imago non ſolùm in Naſcentibus, verùm etiam in Pueris aliis, licet adultioribus, non raró conſurgit. Et ſanè qui a ſexto ætatis anno, & infra tantùm ab eodem Bruhierio referuntur, id ſatis evincunt. Nam tomo primo (c) quatuor indicat Parvulos, qui ſubmerſi fuerant: quorum unus deinde ſolo linteo coopertus, ac intenſiſſimo frigori expoſitus, per decem horas pro verè defuncto eſt habitus: quibus alios quinque Pueros adjungit variis morbis labefactatos. In ſupplemento vero hiſtoriarum ejuſdem tomi, quos antea retulerat iterum deſcribit, ac tres alios prætera ſuper addit. Ex his unus anniculus erat, ac ſub mortui figura tredecim horis vità omninò latente permanſit. Alius, ut videbatur, a frigore enectus, quindecim horis in feretro perduravit.

Mirabiliora tamen alibi exempla ſubminiſtrat, Pueri ſcilicet ex Valentino, (d) qui nonnullos planè dies atrociſſimà Syncope detentus ſub mortui figura tranſegit. Aliud ex Chergerio, [e] in quo Parvulus putabatur extinctus a frigore, qui tamen poſt quatuor dies ad ignem calefactus tandem aliquando revixit.

Demum hæc ipſa prodigia in aliis quoque tradit obſervari Animalibus tenerioris ætatis. Germanus enim Scriptor de arte revocandi ſubmerſos ad vitam, ab eo relatus, duos Gallinaceos pullos aere inſuflato vitæ muneribus reſtituit, qui penitus mortui æſtimabantur. Et hæc ſanè Bruhierius.

3. At ipſe nonnulla hujuſmodi facta, nequaquam contemnenda teſtabor. Et

X 2 quod

(a) In conſult. *ſup. Proceſs. apud Bohnium de Relat. diſſ. 1.*
Bruhier. *t.* 2. *c.* 4.
(b) Hannemann. in Miſcellan. *Nat. Curioſ. Decad.* 2. *Anno* 7. *Obſervat.* 67.
Grubel. in Miſcell. *Nat. Cur. Decad.* 2. *Anno* 10. *Obſervat.* 44.
(c) Cap. 1. §. 8.
[d] Acta Nat. *Curioſ. t.* 1. *Obſerv.* 30. *Valent.*
Bruhier. *t.* 2 *c.* 5. *fol.* 303.
(e) Cherger. de Ferm. *ſect.* 1. *c.* 6.
Bruhier. *tom.* 2. *c.* 5. *fol.* 313.

quod attinet ad Pueros non recenter exortos; Conſobrinus quidam meus triennis jam de more compoſitus fuerat, & in feretro pro jam exanimi collocatus, cum tamen, uti poſtea detectum eſt, interea certiſſimè viveret.

Alius Palmæ, quo in Oppido Parochus olim fui, ad Sepulturam cum biennis deferretur; inopinato gemitu edocuit, quàm malè ipſius humationem Domeſtici falſa ducti opinione decreverint. Tèrtius Monte-Regali, non multò antequam ibi Generalis Vicarii munus iniiſſem; in ſepulchralem foveam immiſſus fuerat, qui vagitu deinde ſe planè viventem oſtendit.

Item Palmæ Infantulus ad Eccleſiam ante delatus, & in ſede confeſſionibus deſtinata poſitus, quouſque divina ſalmodià perſolutà, ſepulturæ tempus advenisſet; vivus tandem ab Æditùo invenitur. Populari errore putabat iſte Mortuos, qui fortaſſe reſurgant, eſſe Cruce protinus occidendos, vitali ſcilicet ſigno in ferale mortis inſtrumentum commutato. Verùm hic dubitavit, utrum grandiori Cruce, quæ Adultorum, an minori, quæ Parvulorum funus ducere conſuevit, Infantem occidi oporteret. Itaque mirabilis hujuſmodi Scrupulus Infantuli mortem remoratus eſt. Æditùus enim de re conſulturus, ad Parochum Anteceſſorem meum feſtinè cucurrit, qui eum a nefario facinore deterruit.

4. De Pullis verò domeſticum exhibebo experimentum. Mures duorum Pipionum nidum, ante dies octo natorum, invaſerant, eoſdem fauciaverant, exanimeſque reliquerant. Famula gelidos, rigidos, immobileſque, ac ſine ulla vitali functione repertos, ad quiſquilias dejecerat. Sed Sorore mea jubente denuò recepti, & ab eà ad ignem admoti brevi revixerunt. Ex his unus perfectè convaluit, adoleviqtue: alter qui a Muribus variis fuerat in partibus fœdè corroſus, & ſi balſamo linitus, atque curatus, poſt menſem objit, lentà emaciatione conſumptus.

5. Nunc venio ad Parvulos in ipſa nativitate conſideratos. Panormi non multis ab hinc annis Puerulus cum ortus eſſet, viſus eſt omninò, mortuus. At Paulus Puccius Presbiter & Medicus arte magiſtra de hujuſce mortis veritate nihilominus dubitans, ipſum ſub conditione baptizavit: & ecce aqua frigida Sacræ lotionis aſperſa, eumdem continuò revocavit ad vitam.

Aliæ Diœceſis Cephalœdenſis Oppido Margarita de Michaele accelerato ex terrore partu, ac doloribus per biduum productis 16. Cal. Octobris Anno 1756. Infantem peperit. Is aliquas habebat Corpuſculi partes planè lividas, pedes verò, atque crura excoriata: imo ubicumq; ipſius cutis attingeretur dehiſcebat, & a carne ſeparabatur. Cum autem nullum interea vitæ argumentum ſuppeditaret; mortuus Obſtetrici non minùs quam Adſtantibus creditus eſt. Verùm quia Stephanus Berardi Parochus, me inſinuante, Obſtetrices antea permonuerat: ne Parvulos naſcentes, quamquam in ſpeciem defunctos, negligerent, ſed adjuvare ſtuderent; Parochum accerſivit. Accurrens ille Domeſticorum animos erexit, & ſiniſtram Parvuli papillam exugi præcepit. Ad hoc ille colorem pro majori Corporis parte album in obſcurum, & nigreſcentem convertit, deinde in balneum calidum depoſitus brachia diſtendere cepit, ac motibus indicare præſentis Animæ vim. Parochus igitur illum citò baptizat, & umbilicalem funiculum adhuc ventri adhærentem torreri jubet. Quo facto Infantulus vitę munia recuperavit: deinde poſt 12. horaria minuta mortali ſarcinà liberatus. In eodem Aliæ Oppido Nuntia Salerno 17. Cal. Maji Anno 1757. Tergeminos enixa eſt. Primum ex his, atque ſecundum valentes ac vegetos, tertium verò duobus quidem dentibus in ſuperiori maxilla, totidemque aliis in inferiori præmaturè inſtructum, ſed macrum, ac lividum. Eum Obſtetrix diligentiſſimè perſcrutata omni pulſatione, motuque, ac omnibus vitæ indiciis deſtitutum reperit: proinde jam antea materno in ventre demortuum, & baptiſmatis incapacem judicavit. Cum tamen accurati Parochi objurgationes pertimeſceret, poſt horam ferè dimidiam rem illi denuntiari mandavit. Venit ille, tentataque Parvuli jam gelidi arterià, pulſum

Digitized by Google

in ea quamvis debilem, redeuntem tamen adinvenit; cumque aliud non haberet ad manus, corpuſculum aquâ frigidâ inſpergit. Exinde Parvulus os, & oculos aperire, artubuſque moveri, ac paulatim convaleſcere viſus: deinde in Eccleſia cum Sociis baptizatus, non ante 12. Calendas Maji defunctus eſt: & Fraterculi quidem & ſi vividi exorti, quartum nihilominus vitæ diem non exceſſerunt: ipſe quinto etiam ſuperato, poſt trigeſimam ſcilicet horam ab ultimi deceſſu, evolavit ad Superos.

6. Neapoli 3. nonas Maji Anno 1755. Infantulum a moriente Matre manu Chirurgica extractum, cum per omnia exanimis videretur, nudum in ſtabulum Domeſtici projecerant: Medici enim Sacerdotes, Obſtetriceſque duos ante dies vitâ ſpoliatum fuiſſe judicaverant. At cum Cajetani Bonanni Equitis Hieroſolymitani, quem nominaſſe laudaſſe eſt, eximia charitas ab Euſtachio Staſutio de Animarum ſalute benemerito, mihique amiciſſimo conquiri, & iterum examinari curavit. Staſutius in ejus corde duas vel tres tantùm pulſationes obſervavit, corde poſt eas penitus quieſcente. Ipſum igitur baptizavit ſed ſub conditione, veritus ne fortè poſt ultimam pulſationem Infantulus Animam exhalaſſet. At ejus vitæ dum baptizaretur duratio non ita multò poſt evidenter eluxit: nam ex ipſius fonte pulſatili breviſſima oſcillatio emerſit, quæ tamen poſt pauciſſimos ictus diſparuit numquam ampliùs reditura. Tria hic poſſem ſubjungere exempla Panormitana duorum ſcilicet Puerorum in ſtabulo, alterius vero alio in loco projectorum; ſed cum præcedenti ſint valde ſimilia, quartum ſanè relatu dignius expromam.

7. Agrigenti Benedicta Ingrao Villica ex Parochia Cathedralis Eccleſiæ 14. Cal. Aprilis 1757. temporanei partus dolores per horas fermè 21. toleraverat, ac ſolitæ jam aquæ manaverant; cum tertia Italici Horologii horâ ſiniſtrum brachium Infantulus emiſit. Obſtetrix illud in uterum retrudere conata, cum nihil conſequeretur, & ex hoc ipſo difficultatem partus conjiceret; ac ex motu manus, & digitorum, ex calore, ſenſu, ac pulſatione arteriæ illius vitam apertè cognoſceret; ipſum baptizavit,

Reliquum exinde noctis, at fruſtra, in dirigendo partu, et ſi Juvenis, ac robuſta conſumpſit: nam Pueri brachium in uterum reponere nequaquam valuit: ſed circa horam nonam, cum Parturiens rigoribus, vomitu, contorſionibuſque ſeviſſimè divexaretur; brachium verò Parvuli pulſationem, ſenſum, calorem, & motum amiſiſſet, imo gelidum, ac tumidum effectum eſſet; Puerum quidem jam penitus defunctum, Puerperam in vehementi mortis diſcrimine conſtitutam cenſuit. Igitur eam ultimis Eccleſiæ Sacramentis muniri juſſit: quod ſummo Dominicæ diei mane factum eſt: deinde pro violenta Fœtus extractione Chirurgum Antoninum Riccium advocari mandavit. Is qui artem ſuam in quindecim aut ſexdecim hujuſmodi extractionibus inſigni Civitati probaverat; hora 15. præfatæ diei venit, & brachii retruſionem iterum, iterumque tentavit at ſemper incaſſum; præſertim viis jam alteratis, & aquis ad faciliorem reddendam partum deſtinatis multò antea delapſis. Brachium interea ipſum obſervavit gelidum, ac omni ſenſu, motu, pulſatione privatum; quocirca, & ipſe mortuum judicavit Infantem. Nihilominus quo ſitum illius & latentem fortè vitam diligentiùs exploraret: manum propriam ſummâ tamen cum difficultate intromiſit; eamque retulit meconio conſpurcatam; ac propterea de Pueri morte judicium fidentiùs confirmavit. Mater interea vomitibus rigoribus aliiſque ſymptomatibus adauctis ad interitum properabat, Igitur Chirurgus ad violentam Parvuli extractionem devenire decrevit: ac primò hora 16. ſiniſtrum illius brachium ad ſcapulam uſque præcidit, ex quo non multò plus quam duæ cruoris unciæ defluxerunt: ſanguine ſcilicet ex motus defectu ad coagulationem diſpoſito. Deinde ut reliquum corpuſculum convenienti ſitu componeret, quo poſtea vel totum ſimul uncino, vel manu; vel in fruſta demum erueret, non parum temporis inſumpſit. Delaſſatus autem Obſtetricis alternam operam petiit, & cum illà tandem aliquando poſt duas contentionis horas, licet ægerrimè, Infantulum extraxit.

Egreſſum omnes cum nullum in eo motum vidiſſent, certiſſimè defunctum pu-

pu-

putavere: quamquam ex materno uteri calore adhuc tepidum, & in cubiculi angulo ſepoſitum dereliquerunt. Chirurgus in ea domo per dimidiam horam Puerperam, ut fit, ſolaturus permanſerat, ſed hora 18. cum dimidia dum diſceſſum inde pararet, caſu circumſpicit, ac motum in ſcapulis jacentis Parvuli cernit. Quapropter vivum intelligens, pannis calefactis illico fovet. Exinde apertè ille reſpirare cepit. Igitur a Chirurgo iterum ſub conditione baptizatus eſt, ac vulnere curato, adeo paulò poſt ſe vividum, & florentem exhibuit; ut modico temporis intervallo, nimirum ipſius diei hora 20. eum ad Eccleſiam pro cæremoniarum ſuppletione deduxerint. Deinde ſenſim languescens, ad horam duodecimam feriæ tertiæ ſequentis æternum victurus occubuit; eodem die cum pompâ, & populi acclamatione ſepultus. Ex quibus conſtat Parvulum iſtum ſub verè demortui veſte per horas ferme novem cum dimidia perſtitiſſe: nimirum ab hora nonâ Dominicæ, uſque ad decimam octavam ejuſdem cum dimidia; quamvis interim hora 16. brachio Ipſi truculenter amputato, quod illi mortem creare, vel ſaltem accelerare debuerat: nec niſi poſt quadrageſimam ſecundam ab extractione horam obiiſſe: quæ omnia Petrus Antonius Cicero Cathedralis Eccleſiæ Agrigentinæ Canonicus, & Parochus, Puerperà, Obſtetrice, Chirurgo, atque Præsbitero adjutore ſuo, quàm diligentiſſimè, ac minutiſſimè pluriesque examinatis, mihi de ſcripto vehementer mirabundus pro veteri amicitia communicavit.

7. Conſonat autem his quotidiana Obſtetricum, præſertim diligentiorum experientia, & non improbabile Teſtimonium. Plures enim ex illis mihi ſunt ſaſſæ Infantes, qui primo intuitu veluti exanimes prodeunt, ac deinde ſive Naturæ ſolius beneficio, ſive adjumentis externis, quamquam leviter, ac veluti ſuperficie tenus ferè ſemper adhibitis, ad ſe revertuntur; ſi putrefactos a computo excipias; majori eſſe numero præ iis, qui nequaquam ampliùs ad uſuram vitæ reſurgunt. Præterea totum hoc Opus conſimilibus undequaque ſcatet hiſtoriis, quæ hallucinationis facilitatem in hac materia Lectorum prudentiæ comprobabunt. (a)

7. Et quidem communia, & regularia mortis indicia ſunt privatio motûs, reſpirationis, & ſenſus. Hæc autem non rarò in apoplexia, lethargo, catalepſi, extaſi naturali, ſimilibusque decepere: præſertim verò in syncope ſeu deliquio. Tres hujus revera ſpecies a Medicis numerantur: quamquam omnes communi etiam syncopis vocabulo ſoleant appellari. Prima eſt Lipothymia, ſeu Lipopſychia, in qua ſenſus, calor, pulſus, corporiſque vigor valde Homini affecto minuuntur. Secunda propriè dicitur Syncope, in qua prædicta omnia eum ipſo motu propemodum delentur, frigidi ſudores emanant, & Infirmus magis mortuo, quàm viventi ſimilis evadit. Tertia demùm Aſphyxia, ſive perfecta, & validiſſima Syncope, quæ totalem, & periculoſiſſimam infert antedictarum facultatum, & reſpirationis ipſius privationem; adeo ut Æger defuncti ſimilitudinem penitus referat. (b)

8. Hoc malum nihil eſt aliud, quàm ceſſatio motus in corde, ex qua ſequitur ceſſatio motus arteriarum, & reſpirationis: pallet pro inde vultus, ad cadaveris formam, (c) calor præterea fugit, ſubintrat frigus, & in corpore univerſo perfectè quieſcente mortis imago depingitur: quocirca rectiùs Acineſia quam Aſphyxia diceretur. Ita motu horologii quamvis integri, & benè compacti, ob aliquod, & ſi tenue, obſtaculum intermiſſo, rotæ omnes, & inſtrumen-

(a) Embryol. Sacr. *lib. 1. cap. 2. n. 3. & c. 3. n. 7. & cap. 12. a n. 3. ad 7. & lib. 2. c. 2. n. 14. & cap. 3. per tot. & c. 4. n. 9. & cap. 13. n. 1. & 3. & lib. 3. cap. 4. n. 1.*

(b) Sylv. *l. 17. Prax. c. 345. 5. 68. Ettmuller. t. 2. ſect. XVI. c. 3. f. 751. de Lipot. Syncope &c.* Boerahav. Patholog. *n. 829. ubi Haller.*

(c) Nimann. de Apoplect. *c. 31.*

menta ſiſtuntur, ac ſi confractum illud eſſet, ac labefactatum: ad levem nihilominùs tactum priſtinum curſum quandoque inſtauraturum.

9. Profectò tertiæ ſpeciei deliquio detenti, uti celebres Boerahavius, & Hoffmannus (a) cum innumeris Aliis noſtri ſeculi Medicis docuere: inter vitam, & mortem in ſtatu veluti medio conſiſtunt: nimirum vivunt quidem, quòd eorum anima etiamnum corpori ſit unita, & mortui quodammodo ſunt, quia nullum habent, ſenſibile ſaltem, vitalium facultatum exercitium; revera deinde morituri, ſi cor adipe ſuo interim condenſato, mobilitatis jacturam faciat, (b) vel ſi illi nimis diu in Aſphyxia perſeverant. Cum enim in eo ſtatu ceſſet quoque tranſpiratio; particulæ excrementitiæ non ampliùs è liquidis ſegregantur: quidquid igitur impuri ſtagnat in vaſis, non ſolùm liquida incipit vitiare, ſed etiam ipſa organa motus ad ſanguinis præſertim circulationem ordinata, quæ propterea inpoſterùm redintegrari nequibit.

10. At verò ſi nondùm perniciosi hujuſmodi effectus conſecuti ſunt, vita reſurgere poterit: ac multò magis, quia cor, quod primum eſt mobile, ac præ omnibus corporis partibus irritabile, motum ſuum facillimè reſumere, eumque ſanguini, pulmonibus, inteſtinis, totique machinæ communicare ſolet: quod non ſolùm Harvæi, & Guarinonij experimenta, ſed ultima etiam ab Hallerio facta, & in ſuo opuſculo de Irritabilitate, & Senſibilitate partium relata confirmant. (c)

11. Deliquium ſi cauſa ipſius inquiratur, Ettmullero adnotante, paſſim oritur ex diſſipatione, vel concentratione ſpirituum: ſi enim iſti non ampliùs ad machinæ corporalis regimen, cordiſque ſufficiant; cor ipſum ſiſtitur, & cum eo motus, & actiones omnes: ideoque arteriæ, ſenſus, reſpiratio conquieſcunt: indeque frigus, ac mortis pallor exoritur; & eò faciliùs, ut is Auctor admonuit, in moleſtiſſimum hunc paroſiſmum incurrit Homo, quò rarioris eſt, ac delicatioris texturæ, & quò mobiliores habet ſpiritus, magiſque propterea diſſipabiles.

12. Cœterùm Aſphyxia, & ipſa tres habet gradus. *Primus* eſt, cum Spiritus diſſipati non ſunt, ſed concentrati, quod ſæpe accidit in Extaticis: aut ſaltem non in magna copia diſſipati: & in hoc ſtatu Infirmus à ſemetipſo ad vitæ functiones regredi poteſt: ſive quia ſpiritus concentrati ſe expediant, ſuique juris evadant, ſive quia ſpiritus illi, qui poſt aliorum diſperſionem, ac fugam in ſanguine perſtiterunt, vim ſuam aliquando exerentes novum impetum faciant: præſertim ſi liquida, ut in quibuſdam ſit, ad priſtinum curſum reſumendum ſint proniora. Atque ita contigiſſe credendum eſt Infantibus illis, qui pro mortuis derelicti, denique ſine aliorum auxilio redierunt. Idemque dicendum de plurimis Adultis non ſolùm Aſphyxiâ proſtratis, vel Apoplecticis; ſed carbone, ſimilibuſque, vel etiam, quod certè mirabilius eſt, laquei conſtrictione præfocatis; (d) quibus præter obſtaculum, quo reſpiratio, cordiſque motus intercluditur; violenta ſupervenit Apoplexia. (e) Secundus gradus eorum eſt, qui recuperari non poſſunt, niſi artis Medicæ induſtria, & adjumentis, & quandoque

---

(a) Boeraha. Phiſiol. *n. 42. ubi Haller. fol.* 54.
Hoffman. Medic. rat. *l.* 1. *ſect.* 1. *c.* 2.
(b) Haller de irrit. & ſenſib. part. *p.* 2. *fol.* 120.
(c) Haller. ibid. *p.* 2. *fol.* 120.
Vuolvar. apud ipſum.
(d) Bruhier *t.* 2. *c.* 3. *fol.* 247. *& ſeq.*
Ranchin. de *morb. ſubit. c.* 1.
Lanciſ. de *morte ſubit. lib.* 1. *c.* 53.
(e) Loviſ, *de cert. ſign. mort.* memor. de Subm.
Bruhier. *t.* 2. *c.* 6. *fol.* 378.

Digitized by Google

que diù, continuatis. (a) Ex his quamplurimos, omnis ætatis, præſertim verò naſcentes Parvulos perire neceſſe eſt; cum enim eos Conſanguinei ac Familiares abſque dubio defunctos exiſtiment; propter inſcitiam cum incuria conjunctam derelinquunt: imo ſi Parvuli ſint, & paulò ante nati, etiam nudos eò interdum abjiciunt, ubi a domeſticis canibus diſcerpuntur. Tertius tandem gradus ad eos pertinet, in quibus, animalibus ſpiritibus jam conſumptis, coagulari cœpit ſanguis, & in procinctu eſt, ad vaſa propria quàm citiùs alteranda. Hi phyſicè vivi, moraliter mortui cenſendi ſunt, veluti qui lethale, & inſanabile vulnus acceperint, vel qui ab altiſſima turri dejecti per aerem irreparabili ruina volutantur. Infantulos autem in nativitate huic tertio Aſphyxiæ gradui præ omnibus Natis frequentiſſimè obnoxios infra luculenter, & abundè probabimus.

13. Interdùm verò magna deliquia Naturæ ſunt artes, quæ peritiſſimi Ducis more ſpiritibus diſgregatis, atque diſperſis, receptui veluti canit, ut eos iterùm congreget, quo majori deinde impetu inimicum invadat atque debellet. Conſtat enim ipſam poſt graviſſima deliquia, quod etiam quandoque obſervatum eſt in Extaticis; perfectam de morbo victoriam ſæpe retuliſſe.

CAPUT UNDECIMUM.

Quomodo vita ſine reſpiratione, & ſanguinis circulatione, ſaltem apparenti, quandoque ſubſiſtat?

1. AT indagandum quonam pacto Homo in Aſphyxia quamquam cordis motu, vitalibuſque functionibus, quæ ab hoc motu pendent, ac præſertim ſanguinis circulatione privatus, vita non cadat? Nonnulli Galeno Duce (b) putant Hominem, vel in violentiſſimo hujuſmodi Paroxiſmo, cordis motum prorſus non amittere: manere tamen in hoc organo exiliſſimum quaſi tremorem, qui ſenſus noſtros omninò fugiat: & conſequenter proſequi etiam debiliſſimam reſpirationem, & circulationem ſanguinis inſenſibilem, ſine qua Æger à morte in inſtanti opprimeretur. Atque ita quidem Pitcarnius. (c) Alii verò nexum inter circulationem, a cordis motu procedentem, & vitam non adeò inſolubilem arbitrantur, ut primà ſemel intermiſsà, illico, & in inſtanti ceſſet neceſſariò ſecunda: ſed rem eſſe moraliter accipiendam. Itaque poſſe per aliquod temporis ſpatium, in quibuſdam ſaltem circumſtantiis, durare vitam, quamvis circulatione interruptà; tùm verò ligamen inter Corpus & Animam naturæ lege diſſolvi, cum non ſolùm quieverit ſanguis, ſed in eam quoque diſpoſitionem deciderit, ut ad motum ſuum repetendum aſſurgere deinde non poſſit. Cœterùm ſi quamvis modò ipſe non decurrat, poſſit nihilominùs iter ſuum brevi reſumere; Hominem non prorſus exanimari, ſed inter vitam, & mortem veluti pendere ſuſpenſum, quouſque ſanguis vel ad ſolitum curſum redeat, vel in fatali illa quiete relictus, & corrumpi jam incipiat, & circuli ſui organa corrumpere, motuſque armonici reſtaurationem impoſſibilem reddere; ideoque tunc, & non ante humanæ vitæ ſtamina penitus infringi.

2. At quis non videat ad hæc omnia notabile ſpatium temporis requiri? quapropter in malis hujuſmodi repentinis non

(a) Eſſais & Obſerv. de Medic. de la Societ. di Edimb. art. 77. apud Bruhier *t.* 1. *c.* 1. §. 12. *f.* 325.
(b) Galen. de. præſag. ex puls. *l.* 1. *c.* 3. *fol.* 106.
(c) Pitcarn. *p.* 2. *diſſert. de cauſ. div. mol.* §. 20. & 21.

Digitized by Google

non difficilè contingit, ut non ſolùm antedicta motùs organa, ſed ipſa liquida illibata remaneant, quo poſſit in poſterùm circulatio interrupta reſtitui: ſecus ac accidit in ejuſdem circuli ceſſatione poſt morbum graviorem, qui per gradus Infirmum ad mortem uſque perduxerit: eo enim ſæviente, mobile, ſcilicet ſanguis, paulatim corrumpitur, viæ, per quas movetur, notabiliter alterantur, ac ipſum præterea movens (animales nimirùm ſpiritus) omninò tandem extinguitur; quocirca priſtina circulatio nequibit iterari. Harvæus cum Aliis pro hac ſecunda ſtat opinione, atque arbitratur, motum cordis in Syncopticis, eorumque reſpirationem penitus intercipi. Crederem, quod ſicuti in Quibuſdam cordis motus, nobis licet occultus, perſeverat; ita veriſimillimum ſit in Aliis omninò intermitti. Ut ut ſit, id non admodum intererit: quandoquidem ferè idem eſt pro dignoſcenda hominis morte, vel vita, eum vitali motu prorſus carere, vel habere quidem illum, ſed nobis penitus imperceptum.

3. Hoc autem in comperto eſt apud Omnes, manere ſcilicet vitam quouſque maneat lenta ſaltem, & inſenſibilis circulatio; & benè poſſe hanc ipſam in Syncopis, licet efferatioribus, perdurare, quamquam nullum ejus veſtigium internoſcatur. Ponamus, ut benè perpendit Pitcarnius, (a) pectus ad inſtar ſphæroidis, habere in ſua minori diametro quindecim digitos, viginti verò in majori; ſed minorem dilatari ſaltem pro centeſima parte digiti: ejus cavum ad tres digitos cubicos procul dubiò augebitur: quia verò eodem tempore non ſolùm major pectoris diameter ad abdomen protenſa non minuetur, ſed etiam neceſſariò excreſcet propter motum diaphragmatis verſùs abdomen; eo caſu quamquam ſtatuamus hanc aliam dilatationem fieri pro tenuiſſima parte prædictæ majoris diametri; poterit nihilominùs in thoracem ſatis magna moles aëris irruere; ac tantillùm proinde pulmones ampliare, nullo interim motu in pectore obſervato: ita ut poſſit etiam inſenſibilis reſpiratio, ac tenuiſſima ſanguinis circulatio conſervari. Et profectò ſi in vitreo canaliculo includantur Piſciculi, quamvis primo intuitu planè demortui cenſeantur, & motu deſtituti; deprehendetur nihilominùs per microſcopium eorum ſanguinis circulatio. (b) Cæteroqui non dubitatur Syncopticos, Hiſtericas, Apoplecticos, Catalepticos, hiſque ſimiles abſque minimo arteriarum ſenſibili motu per tempus valdè notabile in vivis perſiſtere; hanc verò eorum vitam tenuiſſimæ ſanguinis circulationi ab occultiſſimo cordis tremore dependenti eſſe adſcribendam. Cor enim in affectionibus repentinis, ac violentis non facilè motum ſuum penitus amittit. Id Caramuel (c) in corde Porcelli expertus eſt. Hoc ſanè quamvis à corpore divulſum, attamen ſyſtolem ſuam, atque diaſtolem per horæ dimidium languidiùs, ac languidiùs alternabat. Et Joannes Baptiſta Hodierna (d) in corde Viperæ ſimili modo exciſo per duas horas tremulam pulſationem obſervavit. In Ranis tamen vidit Baglivus non ſolum per ſemihoram, & aliquando per horam extirpati cordis ordinatum ſyſtoles, atque diaſtoles motum; ſed etiam corde avulſo, & in fruſtula diſſecto, in fruſtulis ipſis: quod ſi aliquoties elangueſcerent motiones; ipſo corde, vel ejus fruſtulis acu punctis, vel halitu, Solive calore confotis, brevi renovabantur. (e)

4. Verùm ſupponamus, cordis organum ne quidem lentè moveri, ſed ex toto quieſcere; nihilominùs tum in Natis, tùm in Nonnatis poterit ex ſolo arteriarum, & venarum mechaniſmo perdurare le-

(a) Pitcarn. *p. 2. Diſſert. de Cauſ. Diu. Mol.* §. 21.
(b) Bruhier. *t. 2. c. 5 fol.* 521.
(c) Caramuel *in Theol. fundam. Moral. fundam.* 66. *n.* 14.
(d) Joannes Bapt. Hodierna *Anatom. dent. viper. fol.* 10.
(e) Bagliv. *diſſert. de exper. Anatom. exp.* 11.

ta ſanguinis circulatio. Arteriæ namque juxta Verehjenium (a) ab earum tunica muſculari, ſeu fibrata, quandam periſtaltici motus veluti ſpeciem recipiunt, qui proprius illarum eſt, neque à cordis ſyſtole, atque diaſtole mutuatus: ac ſimili motu exercentur venæ æquali tunica inſtructæ, & ad ſanguinem ulteriùs in ſua circulatione ſemper propellendum comparata. Nam ſola ſyſtolica, atque diaſtolica vis cordis nequaquam ſufficeret, ut ſanguinem ad cor ipſum à corporis extremitatibus venæ reportarent. Et quidem nonnulli reperti ſunt Monſtroſi Fœtus, qui corde penitus carebant, cum nihilominus ipſa circulatio ſanguinis non deeſſet: quandoquidem creſcentes ad nativitatem uſque vixerunt. Ita ſanè accidit non ſolum Bononienſi monſtro a Valliſnerio deſcripto, ſed & aliis tribus à Winslovio memoratis. (b) In his igitur ſanguinis circulus ex ſola tunicarum muſcularium virtute procedebat. Haller etiam in quodam Piſce ſanguinis curſum quamquam cordis motu prorsùs finito permanentem ſe vidiſſe Auctor eſt. Idemque in alio Piſce, atque in Rana, quibus ipſe cor extirpaverat, perſpexiſſe. (c) Rana verò Baglivo teſte, atque obſervatore, quamquam corde, ac viſceribus omnibus naturalibus exciſſis, non ſolum vivit ad horas aliquot, & capite, ac toto corpore movetur; ſed & ſaltat, & natat: & interea in ejus ſanguine ſolita circulatio clariſſimè, commodiſſiméque ſpectatur. (d)

5. Quod ſi ſupponere placeat Syncopen, aliudve ſimile malum fuiſſe atrociſſimum, & ſanguinem omni motu circulari ſenſibili, & inſenſibili ſpoliaſſe, non ideò neceſſariò, ac ſtatim Hominis vita ceſſaret: poſſet enim, his non obſtantibus, in eo conſervari motus ille, quem Medicinæ Scriptores inteſtinum appellant, quique a blanda, & naturali particularum ſanguinis eterogenearum fermentatione procedit; iſque ſufficiet ad naturalem calorem, & vitam ſaltem in intimis corporis partibus interea conſervandam, [e] & ad circulationem per idonea remedia revocandam. Uno verbo manet non rarò in humani corporis liquidis, cum ſpes omnis abſumpta eſt, quoddam operationis animalis occultum reſiduum, ac veluti vitæ ſemen, atque ſcintilla, quæ tempeſtivè confota ad vitæ lumen iterum accendendum, & ad vitales omnes functiones in integrum reſtituendas aliquando valebit. Semen etiam, ſive ſcintilla vitæ dicendi ſunt reſidui ſpiritus animales, præſertim in tubulis cerebri remanentes: indèque fit interdum, ut Ægri ad ſe redeuntes mirabilia, dum mortui crediti ſunt ſeſe vidiſſe, teſtentur: quod ſicuti quandoque ſupernaturali cauſæ meritò adſcribitur, ita & non rarò ab ipſius animæ virtute phantáſiæ imagines perlegentis, & contemplantis proveniſſe dicendum eſt: quamvis enim ſpiritus antedicti ad circulationis, & reſpirationis inſtrumenta movenda pro eo ſtatu ſint planè impares; ſufficiunt nihilominùs ad idòla illa efformanda, vel ſaltem revolvenda & diſponenda, quæ menti eo tempore obverſantur. Cum autem Anima poſſit etiam in his circumſtantiis aliqua ſaltem cogitare, quod eſt ejus præcipuum, & maximè naturale munus; & non ſolùm integra quoque maneant reliqua vitæ organa; ſed & ſanguis ad circulum reſumendum idoneus; non eſt cur illa de corpore migrare compellatur. Itaque ſive

(a) Verehjen. *Anatom. t. 1. tract. 1. cap. 4. & tom. 2. tract. 4. c. 4. & 6.*
(b) Valliſnier. *de Gener. anim.*
Winſlov. *t. 6. Opuſc. obſerv. Anatom. fol.* 202.
(c) Haller. *de partib. irritab. & ſenſib. ſect. 2 fol.* 101.
(d) Bagliv. *Diſſert. de exp. Anatom. exp.* 11.
(e) Peclin. de Aër. & alim. def. *lib.* 1. c. 1. & 3.
Verehjen. *Anatom. l. 2. tract 4. c. 5. & Alii.*

Digitized by Google

ſive aliqua ſuperſit adhuc, & ſi lenta ſanguinis circulatio, ſive ſaltem ejuſdem motus inteſtinus, & quædam animalium ſpirituum cerebro præſertim inſidens portio; Æger quamvis in ſpeciem defunctus, interea vivet: adeo tamen abſconditè, ut ad ſenſus deinde rediens à mortuis reſurrexiſſe videatur. (*Manent interdùm Spiritus*, ait Fulgoſius, *corporibus humanis incluſi, ſed motus occulti ſunt, devinctique ſenſus adeo, ut vivantne, an non ejuſmodi corpora non facilè intelligatur.*(a) Quod quidem, ut luculentiùs percipi queat, variis obſervationibus ex toto naturæ regno collectis confirmabimus.

6. Profectò quot Plantæ, quot Arbores, hyeme ingraveſcente, ſiccantur, ac veluti mortuæ cernuntur? Cum enim frigus nutritivi ſucci ad ſuperiores partes aſcenſum prohibeat; illas areſcere neceſſe eſt, foliis decidentibus. Interim verò ipſarum vita in radicibus, & bulbis incluſa, & circumvallata ſervatur.

Papiliones quoque hyemem veluti exanimatæ ſub Chryſalidum figura traducunt, verùm Atmoſphæræ frigus nunquam ſatis erit ad earum liquores ita coagulandos, ut ſaltem circa valdè modicum centrum agitari non poſſint: quò certè fit, ut vel exiguus Veris calor ultimam in ipſis metamorphoſim efficaciter deinde moliatur.

7. Idem notare licet in aliis tum terreſtribus, tum aquaticis Inſectis: ac præſertim in Ranis, atque Buſonibus: qui äere frigeſcente in ſtagna ſeſe demergunt, ibique manent per hyemem tamquam vità deſtituti, nec niſi ad mitiores auras aliquando ſurrecturi. (*b*) Idemque Hiſtorici tradunt de Piſcibus illis, qui marinas ingreſſi cavernas, per idem tempus ibidem veluti mortui deliteſcunt: exanimes quoque apparent fluviatiles, ſi quando à congelatis fluminibus eruantur.

Theophraſtus addit in Ponto Piſces, præſertim Gobios, de ſub glacie tamquam mortuos eductos, & igni approximatos vitam reſumere: at hanc intempeſtivam quaſi reſurrectionem ipſis veram, & inevitabilem ſanè mortem afferre.

8. Nec ſimilia naturæ miracula in Volatilibus deſiderantur. Hirundines temperatis in regionibus hyeme appetente in cavernarum penetralia, ſixuraſque Arborum, ac Montium, vel ſaxorum mari vicinorum, uti Ripariæ ſolent, ſeſe obtrudunt. Ibi exutæ pennis, ac veluti exanimes, atque conſepultæ amicum veris adventum ad vitam, ſeſe revocaturum expectant: Quod eſt etiam aliis Volucribus uſitatum. At Vicelinus Paſſer contrario planè ritu æſtate ſæviente roſtri aciem arbori infigit, ex eoque veluti cadaver ad autumnum uſque dependet. (*c*)

9. Serpentes verò, & multi quadrupedum Harvæo (*d*) referente, prædictas hirundines imitantur, ac motum cordis, & ſanguinis circulationem, & quæcumque alia vitæ munia dimittunt: quæ ſimiliter Alii de Gliris, Herinaciis, & alpinis quoque Muribus tradidere. Nec prætereundum eſt hoc Harvæi teſtimonium tantò gravioris ponderis exiſtimandum, quanta majori cura egregius hic Auctor pro ſanguinis circulatione vulganda, ejuſque neceſſitate ſtabilienda pugnavit.

10. Porrò quòd natura in prædictis Animalibus, hoc in Hominibus Aſphyxia, ſimileſve morbi, aut circumſtantiæ operantur. Et quidem de cœteris morbis, puta Apoplexia, Catalepſia, & ſimilibus innumera poſſem hic exempla

 con-

(a) Fulgoſ. *lib. de Mirac. tit. de Mort. ad vit. ſuſcit. c. 6.*
(b) Plin. Hiſt. natur. *l. 12. c. 25.*
Chircher. mund. ſubterr. *l. 8. ſect. 4. c. 1.*
(c) Piſon. Hyſt. medic. *c. 21.*
Cardan. *l. 7. de rer. variet. c. 36.*
(d) Harvæus *lib. de Gener. anim. exercit. 50.*
Bruhier. *t. 2. c. 2. fol. 144.*

congerere; ſed his omiſſis, aliud referre placet materiæ noſtræ propinquius: vel enim ad ſtatum prædictorum animalium profundiori ſomno ſimilem, vel ad Aſphyxiam pertinet: Puella (a) a Parentibus malè habita, deſperationeque agitata in Sylvam ſeſe proripuit. Ibi poſt ſeptem dies in terra jacentem, omnique motu vitali prorſus orbatam repererunt. Vultus viſcoſa pituità, & mucore oblinitus, & coopertus, cui folia ab arboribus delapſa inhærebant: nares, & os occluſa penitus mucco ſiccíſſimo: ſenſus nullus, pulſus nullus, reſpiratio nulla: omnia demùm ſolita oſtentabat cadaverum ſigna. Sed Medicus cum ejus membra flexibilia deprehendiſſet, latère vitam ſuſpicatus, detergit illi, aperitque nares, & os, & aquam vitæ faucibus inſtillans, ad vitæ officia magna omnium gratulatione reducit.

CAPUT DUODECIMUM.

Aſphyxiam ex defatigatione in Parvulis, quocumque modo naſcantur, frequentiſſimè obſervari.

1 ASphyxia quidem, ſeu perfectiſſima Syncope nequaquam rara credenda eſt in Adultis, quamquam robuſta eorum conſtitutio validiùs aëris tempeſtatibus, morbiſque reſiſtat Certè Lanciſius cum Platero eam ſæpè Homines invadere affirmat: (*b*) Foreſtus (*c*) autem compluries illam ſeſe obſervaſſe teſtatur. Et verò illa in cauſa fuit, quare, ut omnes Medici perhibent, quamplurimi revera viventes, non ſolùm mortui reputati, ſed ſepulturæ contraditi fuerint, de quibus tamen animadvertit Miſſonius [*d*] plures nihilominus eſſe, qui lateant. Propterea innumeri docent, ne quos in hujuſmodi morbum ruiſſe credimus, aut ſubdubitamus; propter ſolum ſenſus, reſpirationis, motuſque defectum, niſi poſt 72. horas, humemus.

2. Quo verò ad Infantes, dum in lucem progrediuntur, ſupremus deliquii gradus eſt maximè obvius. Diximus jam ſupra cum Ettmullero, Syncopen ex diſſipatione, vel concentratione ſpirituum oriri, & eò faciliùs Hominem in ipſam delabi (uti videmus in Fœmінis) quo flaccidioris, rarioris, ac delicatioris erit ille texturæ, vel quò ſpiritus habebit mobiliores, ideòque magis diſſipabiles. Et ſanè patet omnibus, quòd ſicuti nemo tenerioris texturæ, ſpiritibuſque agilioribus præ Pueris naſcentibus dici poteſt; ita difficile eſt, majorem defatigationem mente concipere prę illa, quæ ipſos labefactare ſolet, cum per Abortum emittuntur, vel proprio niſu in lucem prodeunt, vel Chirurgica manu extrahuntur. Quocirca quæ *cauſæ* in Adultis non niſi fortè aliquam *lipothymiam* inducerent, non difficulter in Naſcentibus vel Syncopen, vel etiam Aphyxiam generabunt.

3. Duæ profectò ſunt graviores luctæ, quas natura cogitur ſuſtinere, mortis nimirùm, & nativitatis. In Natis quidem, ne vitâ cadant: in Nonnatis, ut oriantur vita liberiore fruituri. Certè nativitas eſt ſuprema, & præcipua, imò, & unica functio Nonnatorum, in qua omnes eorum vires quodammodò exhauriri neceſſe eſt. Et ecce qua-

(a) Daniel Ludov. Miſcel. Nat. cur. *A.* 8. *obſerv.* 67.
(b) Lanciſius de Mort Sub. *l.* 1. *c.* 13.
Plater. apud Bruhier. *t.* 2. *c.* 2. *fol.* 113.
(c) Foreſt. apud Bruhier. *t.* 2. *c.* 6. §. 5. *fol.* 432
(d) Miſſon. Iter. Ital. *t.* 1. *ep.* 5.

quare Aſphyxiæ paroxiſmus locum ſibi vendicare valet in omnibus naſcendi modis, etiam in Partubus, qui vulgò faciles appellantur.

4. Sex autem numerantur modi, quibus Infantes oriri poſſunt; nimirum vel primò per Abortum, vel ſecundò per Partum difficilem, ſed naturalem; vel tertiò per extractionem Chirurgicam, ſive manu, ſive inſtrumento aliquo factam; vel quartò per viventis Matris Cęſaream Sectionem, vel quintò per ſimilem Sectionem, ſed Matris defunctæ, vel tandem ſextò per Partum naturalem, ac facilem.

5. Igitur ut ex Abortu exordiamur, quis non intelliget, hanc nativitatem eſſe præmaturam, ac violentam, ac in ingenti illo corporis tumultu miſero Fœtui neceſſariò maximam ſpirituum ſubeundam eſſe jacturam? Recolitæ quæ ſupra de Fœtu illo quadragenario diximus, (a) quem Medicus omninò mortuum, ut apparebat, reputans, diſſecuit, & ritmico motu cordis præditum invenit, ac baptizavit. Idcircò hic repetendum cenſeo, quod alibi cum Florentinio de Abortivis animadverti, nimirùm quò imperfectiores iidem ſunt, eò diutiùs quandoque in his deliquiis vitam retinere, idque ex rationibus, & experimentis tùm Guerinonii, tùm Harvæi, qui addit illos nunc omni motu carentes videri prorsùs extinctos, mox verò cum motu vitales functiones repetere; quod etiam cum experimentis ab Hallerio ſuperrimè vulgatis planè concordat.

6. Si verò Partus, quamvis naturalis, difficilis tamen extiterit; accidet interdùm, ut Infans in oriendi conatibus mechonium totum demittat, & hæc ipſa evacuatio ad inducendum deliquium, licet ſola, ſufficiet: Id enim ex Ettmulleri doctrina generale eſt in dejectionibus copioſis.

7. Verùm & ſi non omnes Parvuli mechonio ante ortum exonerentur, evidens tamen eſt, omnes propter immanem defatigationem ex Partu difficili, parvo negotio, ut habet Stephanus (b) in pernicioſiſſimam ſyncopem labi poſſe, & exanimes ſeſe oſtendere; ac multo magis ubi tanta fuerit difficultas, ut ad operationem chirurgicam ſive manu, ſive inſtrumento, ſive etiam Matris viventis Sectione faciendam confugere oportuerit: quod ex propriis experimentis & Horſtius, & Schenchius expreſsè monuere.

8. Quòd ſi de Partu cæſareo Matris defunctæ ſermo ſit; quis ignoraverit, ea moriente, deficere illi maternorum ſpirituum adjumentum? Cum igitur ipſe aliquatenus ſaltem Prægnantis morbo debilitatus merito ſupponatur, facilè delabetur in Syncopen.

9. Id & ego alio loco præmonui, & Mauriceaus, aliique Doctores cum Paræo paſſim adnotarunt: (c) [*Hunc Fœtum*, ait hic, *ſæpe immotum intueberis, ac tanquam mortuum, non quidem quòd verè mortuus ſit, ſed quòd, matre mortua, ſpirituum afflatu deſtitutus imbecillitatem magnam contraxerit.*] Quid ergo mirùm ſi deliquium iſtud quandoq; in completiſſimam Aſphyxiam convertatur? Id etiam admonitum legitur tùm in Edicto perpetuo Protomedici Siculi de Partu cæſareo, tùm in Edicto Pactenſis Epiſcopi de eadem quoque materia Statuentis. (d)

10. Quid verò dicendum, ſi Puer naturali, ac facili Partu egrediatur? Et primà facie videtur, eum, ubi mortuus appareat, pro verè mortuo judicandum; ſed contra: nam eo caſu multò magis, quàm aliàs cum fundamento ſperandum erit illum reipſa vivere.

11. Et profectò preterquamquòd aliquando etiam in partu facili putato Infans naſcendi in impetu mechonium dejicit, quod ſummi laboris indicium eſt; conſiderandum eſt etiam Puerperii actionem magis a Filiolo, quàm à Matre pendere. Et quidem

(a) Embryol. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 3.
(b) Steph. *de Partu diffic. l.* 3. *c.* 1.
(c) Paræus *lib.* 23. *c.* 13.
Mauric. de morb. Gravid. *l.* 2. *c.* 32.
[d] *U.c in Append. ad lib.* 4.

dem Parvulus eſt, qui juſtâ magnitudine adauctua, & perfectis jam reſpirationis inſtrumentis, materni carceris anguſtiâ premitur, & aërem quærit liberiorem: ille eſt, qui copioſiori indiget alimento: ille tandem eſt, qui à mechonio inter ejus viſcera congeſto ſollicitatus, ad egreſſum feſtinat: qua propter januam vi ſibi adaperit, & eff æni ſe jactans impetu ſecundinas dilacerat, viam ſibi parat, & foras erumpit. Non negamus Matrem quoque Puerperio cooperari; ſed quidquid egerit illa, hoc ab impulſu, & conatibua Filioli, qui eam doloribus vexat, & urget laceſſita molitur. Contra verò Fœtu in utero moriente, Partus difficillimus, & quandoque impoſſibilis evadit.

12. Porrò quoties Puerperii dolores, extincto Fœtu, ceſſarunt, matre quieſcente, quouſque tandem putreſcens Parvulus illam denuò ſtimulaverit? Si quando tamen Infantes à corruptione fuere immunea, uti aliàs dictum eſt; in Matris ventre ſine illius detrimento ad plures annos innoxii permanſerunt. Parvulum Bonetus (a) retulit ſexdecim annis in maternis viſceribus incorruptum; ſed illúſtrior hac noſtra ætate fuit Vitembergenſis Fœtus abſq; moleſtia per 46. annoa a Matre geſtatus. (b) Imò nonnulli temporia decurſu lapidis naturam induerunt; puta Muſſipontanus a Matris abdomine poſt plurimos annos erutus; Toloſanus poſt quinque luſtra, & Senonenſis à Simonio (c) relatus, poſt 38. annos ab utero tandem eductus. (d)

13. His præmiſſis, ubi ſupponamus, Partum fuiſſe facilem, ac propterea brevi perfectum; oportet dicere Fœtum proprio egreſſui operam ſuam contuliſſe: unde neceſſariò ſequitur, eum uſque ad tempus, quo poſtremos edidit conatus, fuiſſe in vivis. Igitur ſi paulò poſt in ortu apparet exanimis, veriſimillimum quoque eſt, ejus labefactationem à Syncope, non à morte prevenire; cum enim non fiat ab extremo ad extremum tranſitus abſque medio; credendum eſt Pueros à vita ad mortem non traduci ſine aliquo ſtatu intermedio perfecti deliquii, de utraque nimirum participante.

14. Neque objicias facilem Partum non debuiſſe tàm gravem Sycopem inferre naſcenti: nam in quibuſcumque Puerperiis, etiam ſi particulares Matris circumſtantiæ illa reddant faciliora; Fœtus laborare non eſt negandum. Quapropter juxta varias eorum diſpoſitionea & poterit labor in ſe minor Infantem omninò ſpiritibus depauperare, & effectum adeò funeſtum poſt ſe trahere, qui fortaſſe in Aliis à conatu valdè majori non traheretur: ita impenſæ quamvis tenuiſſimæ, quæ à Divitibus contemnuntur; Pauperes in extremam quandoqne miſeriam ſine ullæ dubitatione conjiciunt. Præterea & alia ſubeſt ratio pro Partu regulari: in hoc enim Infans, dum lucis oſtia pulſat, prono capite in exitum nititur, ejuſque cranium cętero-qui molle à viarum anguſtia ita interdum initio premitur: ut quamquam Partus è facilioribus extimetur; tumido, & veluti contuſo capite nihilominùa oriatur. Preſſo capite comprimi ſimul poteſt nervorum paris octavi ſeu vagi truncus, qui juxta ſinus laterales duræ matris egrediens; & Æſophago adhærens, per collum, & thoracem ramulos ſuos ad laryngem, & pharyngem, & ad pulmones, & cor, cœteraque majoris uſus organa diſtribuit, quæ conſequenter debità ſpirituum, ſeu ſucci nervei irradiatione fraudantur, & ecce Aſphyxiæ paroxiſmua. Cœterùm ſemper erit intellectu facilius à Partu minùs laborioſo Fœtum in Aſphyxiam fuiſſe dejectum, quàm vitâ repentè ſpoliatum.

CA-

[a] Bonet. Medic. Septen. *l. 4. de Mulier. affect. ſect. 6. obſerv.* 10. Boucardi.
(b) Simon. Memor. R. Acad. Chirurg. *p. 2. in hiſt. Acad. in princip. fol.* 2.
[c] Simon. Memor. R. Acad. Chirurg. *p. 2. fol.* 149. *Memor. Lovis.*
(d) Ruiſch. *Adv. Anat. dec.* 11.
Bianch. *de Natur. & vit. gener. p. 2. fol.* 101. *&* 138. *& apud Ipſum* Strauſſius, Baile, Batthol. Schench. Mauric. Azouch. Augen. Hertoghe, Gaſſarua, & Alii.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Speciales exponuntur cauſæ, ex quibus Parvuli nonnati magis, quàm nati Aſphyxiæ ſubjiciuntur.

1. VErùm præter antedictas rationes à depauperatione ſpirituum, ex naſcendi niſibus, & capitis preſſione deſumptas, aliæ quoque ſunt cauſæ Fœtibus omninò propriæ, quæ maximoperè conferunt, ut illi non ſolùm in Syncopem, ſed & in Aſphyxiam quandoque ruant, quam, uti dictum eſt, ſenſuum, pulſuum, & reſpirationis deſtitutio comitatur.

2. Et ſenè Infantes, dùm in utero manent, reſpiratione, vel nullà quidem, vel ea admodùm tenui, & inſenſibili utuntur. Itaque ſi reſpirationis ſaltem ſenſibilis privatio in ipſis naturalis eſt; non opus erit Syncope, ut mortis in iiſdem ſimilitudo conſurgat.

3. In Natis certè, cum ſanguis à dextero cordis ventriculo ad pulmones fluere debeat, ut inde ad ſiniſtrum cordis ventriculum reducatur; neceſſarius eſt pulmonum motus, & reſpiratio. Ea igitur intermiſsà, intermittitur etiam ſanguinis circulus; & ecce præ foribus mors; quo circa mortem deſignat reſpirationis ceſſatio, quia mortis eſt Cauſa. At in Nonnatis ex communi Anatomicorum omnium ſenſu diverſo itinere, ac modo circulatio procedit. Magna enim ſanguinis copia ex dextero cordis ventriculo ad ſiniſtrum per foramen ovale commigrat: alia vero magna quoque ipſius portio ab eodem ventriculo dextro primò in arteriam pulmonarem ingreſſa, deinde per canalem arterialem in Aortam illabitur, omiſſo Pulmonum diverticulo; cumque in Fœtibus tùm prædictum foramen, tùm etiam Canalis, tubi ſint ſatis amplæ capacitatis; liberrimè per eos diſcurret ſanguis, reſpirationis impedimento nequaquam obſtante.

4. Atque hæc eſt ratio, quare Nonnati quamquàm ſyncope non oppreſſi vel penitus non reſpirant, vel ſolùm reſpiratione inſenſibili agitantur: atque inde fit etiam, ut Fœtus juxta Boileana experimenta in machina pneumatica, licet vacuà poſitus, vitam retineat. Quod etiam Meryus in Fœle, (a) Pitcarnius in Catulo perſpexerunt. Ex quo patet reſpirationis defectum, qui in Natis eſt mortis indicium, quamquam cæteroqui in Syncope, ſimilibuſque morbis valdè fallibile; in Nonnatis nullo modo inter vera mortis argumenta eſſe recenſendum. Si eos igitur Syncope demerſos arbitramur, quid vetat, quominus vitæ curſum, paroxiſmo durante, quamquam ſine reſpiratione proſequi poſſint, quemadmodùm ſine illa vivebant, cum primùm in utero à paroxiſmo impeterentur?

5. Inde eſt, ut ſi in naſcentibus Parvulis, quamvis deliquio non detentis, apertum ſufficienter maneat foramen ovale, & canalis arterioſus; vitam interdùm retinere queant, etiam reſpiratione interrupta; idque ſentiendum, etiam ſi prius aëris reciprocatione jam gaudere cœpiſſent. Ita Boerahavius experientià edoctus. Hic autem caſus multò cenſendus eſt difficilior. Sanè aër ſemel pulmones ingreſſus eos illicò eximiè diſtendit, tantam illis expanſionem tribuens, quantam ſuſtinere valebunt; quapropter adeò in poſterùm dilatati remanent, ut foramen ovale, & canalis arterioſus inde compri-

(a) Apud Hall. in Boerah. *t.* 5. *p.* 2. *n.* 691. *in not. verſa mutatur n.* 13. Pitcarn. *p.* 2. *de Cauſ. div. mol.* §. 5.
(b) Verchjen. Anat. *t.* 2. *tract.* 5. *c.* 20. Pitcarn. *p.* 2. *de Cauſ. div. mol.* §. 13. *& ſeq.*

Digitized by Google

mentur. Sanguis itaque per eas vias magnâ, uti ſolitus erat, copiâ pertranſire nequibit: quæ cauſa eſt, cur illæ occludi exinde incipiant: ac propterea deinceps neceſſaria omninò evadat reſpirationis continuatio. (a) At non defuere Infantes, qui non ſolùm ſine Syncopes veſtigio, ſed etiam ſani, ac vivaces nati poſtquam etiam aëris affluxum, & refluxum delibaſſent; ab inhumanis Matribus vivi ſepulti ſunt, ac terrâ cooperti, & ideò prædictæ alternationis uſu prohibiti: & nihilominus poſt plures, ac plures horas adhuc vivere deprehenſi. Bina ex iſtis illuſtria exempla debemus Bohnio, quæ alibi expoſuimus: (b) aliud recentius Muratorio: aliud Boerahavio: verùm quot alia fortè illuſtriora deliteſcunt?

6. Quod autem ad ſanguinis circulationem ſpectat; hæc in Nonnatis naturâ ſuâ lentior eſt. (c) Si ſpiritus igitur paulò magis minuantur, evadet inſenſibilis. Duæ ſunt cauſæ, propter quas in Natis bona valetudine fruentibus circulatio ſanguinis emicat in pulſibus. Prima eſt cordis eximia vis nunc ſeſe aperientis, nunc ſeſe claudentis, ac ſanguinem per diaſtolem recipientis, & per ſyſtolem expellentis. Secunda eſt aëris affluxus, qui mediâ inſpiratione pulmones ingreditur: complet enim ſanguinem activis, elaſticiſque principiis, ejuſque motum adauget. At hæ ipſæ cauſæ in Nonnatis vix locum habere perſpicuum judicamus: Et ſanè quo ad ultimam, ſi Fœtus dum uterum inhabitat reſpiratione ſaltem plena, & ſenſibili non gaudet, jam deerit ſanguini libera exterioris præſertim aëris inundatio: quo circa ex hac parte ſanguinis motus nequit eſſe robuſtus: quo tamen ad primam cauſam, ſanguis in Natis influit totus in Aörtam, & a ſiniſtro tantùm cordis ventriculo; qui cum præ dextero ſit majori numero fibrarum motricium inſtructus; majori quoque vi, & efficacia ſanguinem impellit. (d)

7 In Fœtu verò magna ſanguinis pars à dextro ventriculo egrediens arteriam pulmonariam intrat, deinde pertranſit in Canalem arterioſum, poſtremò influit in Aörtam. Porrò quamvis ventriculus dexter in Fœtu ſit mole major ſiniſtro; nihilominus quia minori pollet fibrarum motricium numero, motum ſanguini tribuit multo minorem illo, qui ſimiliter ſanguini à ventriculo ſiniſtro impertitur: nam juxta Anatomicos hic proportionem ſervat unius ad tria. (e) Propterea ſi fortè ſanguis in Natis vigeat sex admodùm gradibus, motus in Nonnatis non niſi quatuor gradibus vigebit: nimirùm tres habebit ob impetum communicatum rivo, qui a ventriculo ſiniſtro deſcendit, unum verò impreſſum rivo, qui emanat à dextero. Ex quibus omnibus evidens eſt, ſanguinem in Nonnatis minori vi, & impetu, quàm conſpiciamus in Natis impelli, & currere.

8. Quapropter ſi naturali huic lentitudini ſpirituum diſſipatio accedat, *quis* dubitabit circulationem neceſſariò evaſuram eſſe tardiorem, ac propterea inſenſibilem? Si ergo Pueri cor deliquio fortaſſe opprimatur; ſicque in totum vel in partem à motu deſiſtat; conſequens erit, ut in illo ſanguinis quoque motus & curſus

---

(a) Verehjen. Anat. *t.* 2. *tract.* 5. *c.* 20.
Pitcarn. *p.* 2. *de Cauſ. Div. Mol.* §. 13. *& ſeq.*
[b] Bohn. *tract. de relat. vuln. læthal.*
Boerah. *Prælect. t.* 5. *p.* 2. *n.* 691. *in not. v. mutatur. u.* 13.
Muratori Stor. del Persg. *t.* 2.
Pitcarn. *loc. cit.* §. 18.
[c] Verchjen. *t.* 2. *in reſp. ad Mery cap.* 2.
(d) Verchjen. *Anat. t.* 2. *n.* 4. *c.* 6. *fol.* 214.
(e) Verch. *Anat. t.* 1. *n.* 3. *c.* 8. *de Cord. & tom.* 2. *n.* 4. *c.* 6. *& in Reſp. ad Mery cap.* 2 *ad* 1. *& cap.* 3. *& cap.* 6. *ad prop.* 1. 2. *&* 12. *& tract.* 5. *c.* 21.
Winslov. *Anat. tom.* 6. *in Opuſc. fol.* 85.
Bohault, & Alii.

ſus valde remaneat diminutus vitæ quidem ſubſtentandæ, in Infante præſertim ſufficiens, nobis tamen interim occultus.

9. Demùm quod attinet ad ſenſuum amiſſionem, Pueri non nati, vel recens nati, quamquam ſani propter perpetuam ad ſomnum propenſionem ex humidi abundantiâ procedentem, ſenſus naturaliter habent non admodùm vigiles, ſed quodammodò ſtupidos; quocirca ſæpiſſimè vel dormiunt, vel ſaltem dormitant. Quàm faciliùs ergo a ſenſuum uſu ceſſabunt, ſi ſpirituum adjumento, ac miniſterio deſerantur? Quòd ſi omnes Aſphyxia detenti, ac nonnulli ex Catalepticis, Apoplecticis, Hyſtericis, ac ſimilibus, quamquàm ſenſibus deſtituti, vivere nihilominus pergunt; quantò magis Infantuli noſtri, ſi quando in Aſphyxiam delabantur, vivere poſſe dicendi ſunt; quos cœteroqui ad ſenſuum privationem natura ipſa diſpoſuit? Quomodò ergo ex hac ipſa privatione eorum mortis certitudinem ſtatuemus?

Cœterùm quis unquam nos fide ſua certos eſſe jubebit, Parvulum ſyncope defixum, quamquam neque clamore, neque gemitu, neque motu mala ſua indicare valeat, revera interno ſenſu carere? quoties contrarium in ipſis Adultis accidiſſe compertum eſt? [a] Sorbonicus Doctor, qui ſenſu, reſpiratione, motuque deſtitutus, & quaſi omninò mortuus jacuerat, cum demùm rediiſſet; Adſtantibus retulit, ſe eo tempore ſenſibus fuiſſe præditum, quamvis id oſtendere nequaquam poſſet: imò tanta mentis claritate, ac Voluntatis libertate valuiſſe, quantam fortaſſe nunquàm anteà expertus eſſet. [b]

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Præſumendum potiùs naſcentes Parvulos eſſe Aſphyxiâ correptos, quàm vitâ defunctos, eoſque in Aſphyxia vitam præ Natis faciliùs retinere.

1. Ex particulari ergo Corporis œconomia Nonnatos frequentiſſimè in Aſphyxiam ruere neceſſe eſt. Plùs verò dicam: præſumendum eſt Infantem, qui naſcendo ſub ſpecie mortui egreditur, ſi à putrefactione, ejuſque principio comparet immunis, & nullo valdè lethali vulnere ſaucius: ſique nullum aliud indubitabile mortis ſignum intercedat; præſumendum eſt inquam, potiùs eſſe profundiori Deliquio ſeu Syncope abſorptum, quàm verè defunctum.

2. Et profectò poſſumus vel à cauſis repentinis, vel à morbis regularibus vità ſpoliari. At Infantes dùm in utero latent, huic ſecundæ malorum ſpeciei, quæ ſcilicet ab intrinſeco manant, non admodùm obnoxii reputantur: maximè ſi perfectionem adepti, jam partui ſunt maturi. Nam ſi cauſa fuerit ipſis intrinſeca, uſque ad nativitatis tempora non pervenient, ſed per Abortum multò priùs exibunt: uti quotidie in conceptionibus vitioſis, & prava ſolidorum, & liquidorum Fœtus conſtitutione videmus.

3. At ſi Parvulus jam à natura corroboratus, uſque ad Puerperii diem creverat; nentiquam timendum eſt, eum ab intrinſeco lethalem ægritudinem contraxiſſe, ac talem ægritudinem, quę pari paſſu cum graviditate ſemper inceſſerit; ita ut, & iſta Infirmo nativitatem,

Z

[a] Bruhier. *t.* 1. *c.* 1. §. 7.
[b] Bruhier. *tom.* 2. *in ſupplem.*

Digitized by Google

tem, & illa mortem unà ſimul attulerit. Et profectò, quod ſupra notavimus, Nonnati aëris inclementiæ, ac tempeſtatum variationibus non ſubduntur: in dieta non errant, ab animi pathematibus eximuntur; alimenta ingerunt adeò ante præparata, imò digeſta, ut excrementis ferè careant: liquidorum in ipſis motus blandus, ac temperatus: per omnia denique naturæ magiſterio gubernantur: qua propter ubi vità deficiunt, id non ab interno aliquo malo, ſed potiùs ab externo, & à Matre ſaltem proveniente contingit: puta ex ejus ab alto ruina, ex terrore, vulnere, aut alià ſimili calamitate, vel ex ejuſdem gravi morbo, ſeu morte naturali, aut violenta. Quę cum ita ſint, veroſimilius eſt, Infantes hoſce non eſſe mortuos, & ſi tales videantur, ſed potiùs ex naſcendi anxietate, & contentione in duriſſimam deliquii ſpeciem fuiſſe prolapſos.

4. Neque dicas, fortè Parvulum ex labore quidem in Aſphyxiam, ex Aſphyxia denique in mortem incidiſſe: nam ſi Nati, atque Adulti pluries, ut communiter Medici experientià dictante ſcripſerunt, in Aſphyxià vità conite per 72. horas quandoque perdurant: quantò faciliùs vivus manere poterit Infans per ſolum Puerperii tempus, quod regulariter breviori ſpatio concluditur? Porrò Nonnati non ſolum antedictis privilegiis gaudent, quorum præſidio ægritudines ab intrinſeco ſuborientes faciliùs evitant, ſed aliis etiam, quibus in lethalibus ipſis deliquiis multò commodiùs à mortis jaculo, quàm Nati proteguntur.

5. Et primò in Natis, uti ſupra dictum eſt, reſpiratione ceſſante, ceſſat etiam ſanguinis circulatio, cum hic tranſire per minima pulmonum vaſcula ſine aëris ope nequaquam poſſit: quapropter Syncope, quæ reſpirationem prohibet, eos facillimè præfocabit. Non idem eſt in Nonnatis, in quibus ejuſdem ſanguinis circulatio, pulmonibus prætermiſſis, aliis omninò viis manifeſtè peragitur: per ovale ſcilicet foramen ductumque arterialem.

6. Poterit ergo in Nonnatis, qui Aſphyxià occupantur, faciliùs quàm in Natis, circuitum ſuum proſequi ſanguis, lentiſſimo ſaltem decurſu, reſpirationis defectu nequaquam obſtante. Cæterùm & ſi morbus iſte adeò vehemens ingrueret, ut non ſolùm omnem cordis motum, omnemque licet inſenſibilem ſanguinis circulationem à Syſtole, & Diaſtole cordis dependentem interrumperet; ſed illam etiam, quæ per arteriarum, atque venarum fibras muſculares fieri poſſe dictum eſt; nihilominus in his ipſis circumſtantiis, Nonnatorum vita diutiùs, quàm Natorum cum morte conflictaretur. In Natis quidem aëris rigiditas citò corporis calorem, & conſequenter inteſtinum ſanguinis motum reſtinguit: nec ſolùm humorum ſegregationem prohibet; ſed & inſenſibilem quoque tranſpirationem naturæ à particulis excrementitiis exonerandæ prorſus neceſſariam: imò paulatim liquorea ipſos coagulat, ac ad intermiſſam circulationem reſumendam reddit ineptos: quodque pejus eſt, in eoſdem prętenaturalem, & vitioſam quamdam fermentationem corruptionis, & mortis Genitricem inducit. Verùm in Nonnatis, quamquam deliquio afflictis, maternus uteri calor motum ſanguinis inteſtinum conſervare potis eſt: nec ipſi aëris actioni ſubjiciuntur, ex qua fune-ſti hujuſmodi effectus emanant. Quocirca diutiùs, & faciliùs in vita poterunt conſervari præ Natis. Aër eſt enim ex Verulamio, aliiſque Philoſophis tùm conſumptionis, tùm corruptionis inſigne maximumque principium: compoſiti nimirum particulas deprædando, & agitando. Et hæc eſt cauſa, cur aliqui Fœtus, uti ſupra narravimus, in Matris ventre, quaſi balſamo, vel oleo immerſi, quamquam verè mortui, mirè incorrupti permaneant, alii verò in lapidem convertantur.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Signa Mortis in Naſcentibus eſſe regulariter incertiſſima.

1. Cum igitur tàm rationabilis, ac fundata ſuſpicio ſubſit Infantem, qui naſcendo mortuus appareat, eſſe tantùm Aſphyxia oppreſſum; pro comperto cenſeri debet, communia mortis ſigna ad exanimationis dubium extricandum nequaquam ſufficere. Si enim in Adultis hac ſuprema ſyncope defixis tam ſæpè fallunt, quantò magis in hujuſmodi Infantulis ambigere licet eſſe mendacia? Ad omnem igitur dubitationem eliminandam, neceſſarium omninò erit, ut ad alia indicia diſquirenda dirigamus obtutum.

2. Bruhierius in ſuo celebri libro generatim opinatur ſolam putrefactionem eſſe mortis caracteriſticum ſignum, præſertim in Syncopticis, Apoplecticis, Catalepticis, ſuffocatis aquâ, laqueo, vel fumo carbonum. Item in Extaticis, de Cœlo tactis, ac ſimilibus, quibus expreſsè adjungit Infantes, qui ſub ortum omninò exanimes videantur. (a) Tota Medicorum Schola fatetur quidem in Syncopticis, aliiſque memoratis regularia extinctæ vitæ ſigna pro incertis habenda eſſe. Non omnes tamen Medici Bruhierio adſtipulantur in affirmando putrefactionem eſſe unicum indubitatæ mortis indicium. Profectò ejus antagoniſta Loviſius, cujus ſententiam ſuperiùs amplexi ſumus, etiam pro repentinis morbis adſtruxit, alia quoque ſigna mortis caracteriſtica inveniri. Verùm hæc ipſa regulariter in Parvulis, dum oriuntur, pro certis judicari non poſſunt. Idcircò niſi aliqua ſpecialis urgeat circumſtantia, puta enormis corpuſculi contuſio, vitalis partis mortifera vulneratio, vel quid ſimile, quod cum vita componi ſit impoſſibile; tenenda erit favore Parvulorum Bruhierii doctrina, cui quo ad hanc partem, neque Loviſius, neque Alii refragantur.

3. Sanè alio in loco diximus, Natorum mortem in ſubitaneis poſt aliquod temporis ſpatium ex membrorum rigiditate, præſertim frigori, & ponderi conjuncta; ex panno vitreo oculis innaſcente, ac ipſorum oculorum flacciditate poſſe proculdubiò comprobari. Ea enim, juxta Loviſium, ſunt certiſſimi veræ mortis effectus; quapropter ſi in Infantibus cum privatione ſenſus, motus, ac reſpirationis copulata inveniantur; pro morte ſententia ferenda eſſet. Verùm etſi ſupponamus Parvulum pluribus ante ipſius ortum horis fuiſſe in utero exanimatum, hæc ipſa in eo deprehendi nequirent. Et quidem nequit in eo obſervari frigiditas; materni enim uteri calor Infantis cadaveri calorem conſervat, & certè impedit, quo minùs frigus, niſi poſt nativitatem, & cum aliqua temporis mora ſubintret: atque hic ipſe calor communicatus à Matre ſimili ratione rigiditatem, nimiumque pondus impediet: imò Corpuſculo flexibilitatem, mollitiemque tuebitur: & profectò hujuſmodi Parvuli mollitie goſſipium imitantur.

4. Scripſit quidem Nonnemo Fœtum in utero mortuum ibidem frigeſcere, ſed præter allatam rationem ei contradicit experientia. Franciſca Diez Obſtetrix mihi narravit, ſe quinque Parvulos non ſolùm extinctos, ſed putrefactos quinque partubus enixam: nunquam verò, (etſi ſatis in arte perita & ſagax illa ſit) hujuſmodi frigus percepiſſe. Quocirca ſi quando Pueri exanimes certè nati, frigidi obſervati ſunt; hoc frigus non in Matris ute-

(a) Bruhier. t. 1. in Idea Statuti in fine *fol.* 580. & *t.* 2. *c.* 4. *fol.* 282.

utero nec in ipſa morte contraxerunt, ſed extra, & cum aliquo temporis intervallo: paulatim ſcilicet calore ipſis à Matre communicato deſerveſcente. Ceterùm & ſi aliquando frigidus ab initio exiret Infans; nihil impediret quo minùs ejus frigiditas Aſphyxiæ ſimiliter, ut in Natis, attribui poſſit. Quia verò Fœtus clauſis oculis vivere ſolitus eſt, nequibunt oculi ſub ipſum ortum paſſi flaccidique apparere, neque tàm citò vitreum pannum exerere, qui Natis in ipſo mortis agone formatur. Præterea Nonnati ſive in abdomine, ſive in utero manentes, vel ex toto, vel magna ſaltem ex parte, ab aëris actione proteguntur, quod, ab ipſis corruptionem, aliquando ſaltem, arcere conſuevit.

5. Porrò ex Bianchio (a) Fœtus Catharinæ Rubeæ Taurinenſis in utero defunctus, inde circa decimumquintum menſem à morte, incorruptus egreſſus eſt: *Hujus univerſum fermè corpus ſanum, & integrum*, ait Bianchius, *molleſque velut in recenti Mortuo carnes erant, optimèque ſervata integumenta ſingula: ſolus venter ad recentem livedinem vergere videbatur; quodque magis etiam notandum, poſt mortem ipſam materni caloris ope quatuor jam dentes, iidemque inciſores, emerſerant.*

6. Alium Fœtum Margaritæ Galeratæ dat Bianchius [b] in proprio Muſæo conſervatum. Poſt mortem ille propè 15. annos in Matris ventre delituerat: adeo tamen flexibilis eductus, ut ſi paulò ante expiraſſet; imò, quod viventis eſt, oculi adhuc ſua luce fulgebant. *Splendentes oculi, & quamvis aquoſo humore deſtituti, aliorum tamen humorum ſupplemento pleni, & convexi, Nares apertæ, lingua flexibilis, mollis, & rubra. Summè mirandum eſt, hoc Fœtus Cadaver ultra 14. annos in Matris ventre incorruptum, humidum, flexile, molle, & carne plenum extitiſſe, ac ſi Fœtus horâ, antequam extraheretur, extinctus eſſet.*

Porrò, quæſo te, ſi Fœtus iſti, aliique memorati poſt mortem illicò ex utero exiiſſent; quam ſpem habuiſſes in eis characteriſtica mortis indicia reperiendi?

Quomodo ergo niſi notabile aliquod tempus à nativitate labatur, & corruptionis initium, aut aliud infallibile ſignum ſeſe prodat pro certa exanimatione pronunciabimus?

7. Dices, Paræum [c] exiſtimaſſe Puerum ubi moriatur propter calorem, & humiditatem faciliùs in utero corrumpi, quàm extra. Verùm reſpondeo id ex antedictis videri falſum, aut ſaltem non ſemper eſſe verum: cum non ſemper, ipſo inſtante partu, aëris actio in corpuſcula propter variam eorum diſpoſitionem ad corruptelam excitandam ſufficiat. Sit autem perpetuò verum; quid inde? Ex hoc ipſo propoſitio noſtra validiſſimè firmaretur. Si enim corruptio in Nonnatis tam promptè ſequitur mortem, ii, qui neque corrupti ſunt, neque aliquod habent corruptionis initium, de quibus tantùm aſſertio noſtra procedit; probabiliùs cenſendi ſunt vivi. Nigredo ipſa, ſcilicet livor, qui in Natis vehementiſſimum inceptæ putrefactionis eſt argumentum, in his, qui naſcuntur, non niſi omninò æquivocum reputatur.

8. Nam ut de violenta uteri compreſſione taceamus; ingens exeundi conatus, ac vix tentandæ inverſo capite labor, ſatis eſt ad magnam ſanguinis copiam in ipſum Caput congregandam; ex quo livor in facie neceſſariò conſequitur. Id certè non diſſimili ratione quotidie experimur in iis, qui laqueo ſuſpenduntur. [d] Sanè ego ipſe plures inſpexi Parvulos funeſto illo colore deformatos, qui tamen certiſſimè clariſſimèque vivebant.

9. Panormi 3. Cal. Decembris Anno 1756. Abortivum Fœtum dedit ſeptimo nondum completo menſe Roſa Baleſtrina morbo regio ante ſex dies laceſſita. Filiolus emiſſus eſt vivus: totus tamen ulceribus, ac livore veſtitus cum puſtu-

la

(a) Bianch. de Natur. & vit. generat. *p.* 2. *f.* 142.
(b) Bianch. *loc. cit. fol.* 168. 173. & 235.
(c) Paræus *l.* 23. *c.* 25.
(d) Bruhiſ. *t.* 2. *c.* 3. *fol.* 239.

Digitized by Google

la in genitalibus, qui recepto illico Baptiſmate per horam deinde ſupervixit. Præterea Maria Veſca eodem Anno, & ibidem ante ſextum graviditatis menſem hæmorragiam paſſa eſt a 13. Cal. Maji ad tertium Cal. Menſis ejuſdem: qua deinde maximè adaucta, ligatis venis, Eccleſiaſticis munita fuit Sacramentis: Medicis interea Fœtum periiſſe judicantibus, Attamen Calendis Maji exivit Puellula. Hæc tota livida erat, ac tumefacta, fronte inſuper excoriato, & bubunculo ſub Axilla ſiniſtra elato, & ſi non maturato: & quamvis fœtore cadaverico reverè careret, ventrem tamen oſtendebat variis lineis ulceratis diſtinctum quaſi jam ex putrefactione dirumperetur. At quamvis ex his omnibus mortua videri poſſet, ex pulſu tamen arteriarum umbilicalium, totiuſque Corporis motu manifeſtè vivens agnita, & baptizata non niſi poſt horæ quadrantem exceſſit e vita.

10. Hic verò duo prorſùs neceſſaria monenda ducimus: Primum eſt, quandoque fœtorem à Materno ſanguine liquoribuſque uteri putreſcentibus, non à Fœtu corrupto provenire. Idque in cauſa eſt, cur interdùm Obſtetrices mortuum Fœtum arbitrentur, qui deinde vivus egreditur. Quod certè maximè præ oculis habere oportebit.

11. Secundum eſt partialem vivorum Gangrænam, qua ex aliquo caſu fortè laborat Puer, quæque ad fœtorem inducendum ſatis eſt, & olim fefellit Hildanum, (a) eſſe à Mortuorum putrefactione diſtinguendam. Porrò ex Loviſii doctrina ſunt illæ penitùs diverſæ. *Gangræna enim ſicca in Mortuo dari non poteſt: nam neque calor in eo viget, neque vaſorum actio, quibus humores dureſcere, & in maſſam ſolidis homogeneam converti valeant, quæ cruſtam gignit, quam eſcharam nuncupamus. Putrefactio verò Mortuorum corpora invadens eſt ſemper Gangræna humida, ſpecies nimirùm, ſive initium diſſolutionis, ac valdè differt ab illa, quæ vivum corpus aggreditur. In vivo enim obſervatur quædam tumefactio, tenſio, ac rubedo, quæ mortuam partem ſeparat a vivente. Cuticula a cute divellitur, veſiculaſque producit feroſitate refertas. Contra tamen in Mortuis neque tenſio, neque rubor apparet; cuticula criſpatur, cutis initio pallet, & coloris evadit cinericei, albi ſcilicet obſcuri. Mutationes deinde ſubit majores; cæruleum enim obſcurum induit, & vergentem ad viridem: poſtea cæruleum obſcuriorem, & ad nigrum inclinantem, qui ſeſe viſibilem ex cute præbet, quæ & ipſa tandem hunc ultimum colorem aſſumit. Hæ notæ à natura ipſius obſervatione deſumptæ ſunt:* huc uſque Loviſius. (b)

12. Ex defectu igitur diſtinctionis hujuſmodi Gangrænarum Fabritius Hildanus Infantem ulcere in capite infectum, ac fœtidum pro mortuo extraxit, quem deinde vivum invenit,

CA-

(a) Supra *l.* 2. *c.* 13. *n.* 3.
(b) Lovis de cert. ſign. *Ep.* 5. *fol.* 164.

CAPUT DECIMUM SEXTUM

Remedia tentanda pro Parvulis, qui mortuorum ſpeciem imitantur.

1. SI Parvulus igitur veluti exanimis apparet, non idcirco derelinquamus ipſum, ſed omni contentione, & induſtriâ recreare tentabimus. Plurima ſunt remedia, uſitata Obſtetricibus ad Pueros, qui Moribundi exeunt, confortandos, & ex ipſa illis, qui mortui omninò videntur, putanda ſunt æquè ſalutaria. Item quæ ad Mulieres paſſione hiſterica vel ſimili ſubitaneo malo depreſſas reſtituendas jam ſupra notavimus, magna ſaltem ex parte, etiam in caſu de quo nunc agimus, experienda cenſemus. His nihilominus nonnulla ſubjiciam, quæ pro Parvulis mortuorum figuram præ ſeferentibus efficaciſſima exiſtimantur.

2. Atque ante omnia Inſuflari poterit per tubulum in Puerorum os humanus halitus calidus: *a)* obturandæ ſunt verò interim Nares, ne immiſſus aër per illas erumpat, ac fugiat: aër enim calidus, & à pulmonibus hominis benè valentis excluſus virtute præſtat inſtaurandi motum cordis, atque pulmonum: ſpiritibus enim eſt plenus, ad ſpiritus in corpore Puerorum torpentes excitandos, propter naturæ ſimilitudinem aptiſſimus. Hoc remedium ob feliciſſimos eventus valde carum, & familiare habent Germanæ Obſtetrices, præſertim Altembourgi: ſed egregium eſt etiam in Adultis, ac maximè in Suſpenſis: imò ex Academiæ Londinenſis experimentis à Croone Hoochio, & Needamio factis, celebratur in Brutis. (*b*)

3. Secundò prodeſt mammarum papillas in Parvulo ſugere: ſenſu enim ſunt exquiſitiſſimo, ac mirum in modum ſpiritus animales irritantes: nervi prætereà mediatè cum plexu cardiaco, & pulmonario communicant; & conſequenter cum ramificationibus nervorum paris octavi, ſeu vagi, vibrationeſque proinde ſuas cerebro tranſmittunt, univerſi corporis machinæ quamdam veluti concuſſionem inferentes. Hannemannus (*c*) Obſtetricem perhibet, quæ proſpero ſucceſſu hoc ſubſidium in duobus Infantibus, quorum vita nullo indicio prodebatur, adhibuit. Alteram addit, quæ paucis ante diebus conſimili artificio duos Puerulos penè mortuos recreaverat, quæque narrabat, ſe generaliter eo uti ſolitam in Infantibus, qui prorſus exanimes viderentur: de Alia demùm tradit, Infantulos tres ad vitæ uſuram tali adjumento revocaſſe. Hannemanno concinit Ledelius (*d*) bina ſimilia exempla de Pueris, quorum nulla erat præſentis vitæ ſuſpicio, ſubminiſtrans. Siniſtram papillam ultra montes

(a) Grubel in Miſcel. Nat. cur. *dec.* 2. *A.* 10. *obſerv.* 44.
Bruhier. *t.* 2. *c.* 4. *fol.* 291.
(b) Tranſact Philoſoph R. Societ. London. *n.* 28.
Borell. Hiſtor. *Centur.* 3 *obſerv.* 59.
Haller diſſert. de Part. irritab. & ſenſib.
Bruhier. *t.* 2. c. 3. *fol.* 245. *ubi citat. Becher. & c.* 4. *fol.* 291.
Ranchin de *morb. ſubit. c.* 12.
(c) Hanneman. Ephim. Nat. cur. *dec.* 2. *A.* 5. *obſerv.* 121. *& Miſcell. dec.* 2. *A.* 7. *obſerv.* 67.
(d) Ledel. in Miſcel. Nat. cur. *dec.* 2. *A.* 6. *obſer.* 69.

tes exſugere ſolent Obſtetrices: arbitratur autem Bruhierius dexterę ſuctionem pari modo profuturam.

3. Tertio plantas pedum ſollicitare penicillo: quod etiam in Adultorum deliquiis Medici laudaverunt. (b)

4. Quartò calentis aquæ balneum additis aromaticis malorum Aſſiriorum vulgò Aurantiorum, roſmarini, lauri, ac ſimilium herbarum frondibus, vino, aliiſque ſpiritnoſis liquoribus: in quo Balneo collo tenus Puerulus immergatur. (b] Juvabit etiam ſimplicis aquæ frigidæ, præſertim gelidę, aſperſio: ea enim non ſolum quotidie Syncopticos excitat; ſed non ſemel & Infantulos, & Adultos verè defunctos creditos a veterno illo mortis excuſſit.

5. Quintò prope Parvulum ipſius placentam, ſecundinas, funemque umbilicalem comburere: cum enim Fœtus paulò ante fuerint partes, quæ illius venas, arteriaſque in ſe implantatas ac ejuſdem ſanguine, ſpiritibuſque refertas, continebant: ſi ſpiritus iſti jam ignis virtute acuantur, & exaltentur, Infantem exſuſcitabunt. Præſtat autem funiculum umbilicalem ab Infante non recidere: ita enim propter immediatam vaſorum communicationem remedium celeriùs, ac tutiùs operabitur.

6. Sexto fumus tabacci in inteſtina (uti fit in Submerſis, & Apoplecticis) introductus: irritat enim eorum periſtalticum motum, qui diaphragmati, pulmonibus, & cordi participatur: & ecce ſanguinis circulum, aëriſque alternum acceſſum, & receſſum brevi reſtitutos. Peculiare inſtrumentum coriaceum ad id Britanni excogitarunt: cujus imaginem dedere Bartholinus, atque Loviſius: utilius autem, commodiuſque reddidit Muſſembroecchius: nam quo calidior intrabit fumus, eò (c) erit efficacior. Huic inſtrumento, ſi deſit; aliud valde ſimile ſubſtituetur, nempe tubulus, quo ad tabacci fumum inſpirandum utuntur, vulgò Pipa: ſed tunc afflabit Obſtetrix ex parte foci, papyro forata cooperti: poterunt quoque ſubrogari duo hujuſmodi tubuli, unus integer, alter verò detracto foco. Primus etenim ad fumum attrahendum, ſecundus ad eumdem in inteſtina immittendum adhibebitur.

Siculæ Obſtetrices Gallinæ viventis roſtrum in Infantis inteſtinum introducunt, eam, ne fugiat detinentes: quod fortaſſe à Ciconiis, juxta relata nimirum à Fulgoſio, deſumptum eſt. (d)

7. Porrò Franciſca Diez Obſtetrix, de qua ſupra, ſextum Filium pepererat ſine motu, ſine reſpiratione, ſine pulſu: Gallinam nihilominùs modo prędicto applicuit, ſecundinas, placentam, & umbilicalem funiculum non reſectos à Fœtu in Tegano aptavit, & frixit, eumque mirabiliter liberavit.

8. Propterea pro re habeo indubitata, majori numero detegendos fore vivos Fœtus, qui ſub mortuorum larva oriuntur, ſi in uſum prædicta, & ſimilia tentamenta venirent. Oportet autem (e) (quod Medici de Submerſis monerę ſolent) animum non remittere, ſi quando res non citò ſuccedat ex voto, ſed per duas, tres, imò quatuor horas remediis inſiſtere, ſi verè Infantulorum ſalutem inquirimus. Non enim deſunt exempla id egregiè confirmantia: (f) imò Bruberius ad octo dies, & ampliùs cura-

---

(a) Deventer apud Bruhier. *t.* 1. *c.* 4. §. 2.

(b) Chundeman. Acta Nat. cur. *t.* 2. *obſerv.* 150.
Bruhier. *t.* 1. *c.* 1. §. 8. *n.* 11. *fol.* 205. & *n.* 12. *fol.* 206.

(c) Joly apud Bruhier. *tom.* 2. *c.* 1 *fol.* 188.
Et Bruhier. *dicto t.* 2. *c.* 6. *f.* 383.

(d) Fulgos. *l.* 1. *c. de Avib. mirab.*
Bruhier. *t. c. c.* 2. *f.* 132. & *ſeq.*

(e) Miſſon. apud Bruhier. *t.* 1. *c.* 2. *f.* 21.

(f) Bruhier. *t.* 1. *c.* 1. §. 7. *f.* 509. & 513.

Digitized by Google

curationis tempus extendit, eamque dimitti prohibet, quouſque inſurgat putrefactio, quæ ipſi, uti diximus, unicum eſt amiſſæ vitæ indubitabile ſignum:

9. Extraxerat manu 6. Id. Auguſti 1748. à Matre, mortuâ putatâ, Chirurgus Riguardus (a) Infantem, qui & ipſe animâ jam exutus apparebat: ille cum ſciret, quàm ambigua ſint in his Pueris communia mortis argumenta; Aſtantibus Mulieribus præcepit, ne eum pro mortuo derelinquerent, ſed refocillare ſatagerent. Id eò libentiùs præſtiterunt, quò Puerum eleganti præditum formâ perſpexerant. Verùm poſt curam per tres horas fruſtra, ut videbatur, impenſam, animum deſpondentes, eum certè mortuum judicarunt: dùm itaque ipſum pro ſepultura componunt, os ille aperit. Nova ergo ſpe, ac zelo animatæ ſubſidia renovant, vinum, acetum, Reginæ aquam admovent, quibus ille demùm excitatus manifeſta vitæ oſtendit indicia. Advocatur propterea iterùm Chirurgus, qui poſt quartam horę portionem perveniens, Puerculum plorantem reperit, eorum more, qui ſani vividique oriuntur. Ex his Chirurgus in ſpem denique erigitur, Matrem non ſecus, ac acciderat Filio, quamquam ſub mortis imagine, fortaſſe vivere. Eam igitur arcæ mortuariæ jam incluſam reviſit: cumque poſt ſeptem à morte apparente horas adhuc flexibilem inveniſſet; ſpiritu ſalis ammoniaci, licet in caſſum ſuſcitare tentavit. Hoc non obſtante, Familiaribus jubet, ne Puerperam terræ mandent, niſi prius brachiis, cruribuſque rigentibus: ſed interim frictionibus ad manus, oculos, nares, totumque vultum, aceto, & aquâ Reginæ irritare ſolertiſſimè ſtudeant. Hiſce ſubſidiis illa tandem expergefacta ſurrexit, ac diù cum Filio quamquam ſurda, muta, & paralitica ſupervixit.

10. Joannes quoque, Roccafortiùs, agnomine, mortis eluſor „ *Trompe la mort* „ 4. ætatis Anno, mori viſus, & arcæ mortuariæ illatus fuerat, Parochialis Eccleſiæ campano ære ad ejus funus perſonante: ſed Mater contra cæterorum omnium judicium ſibi ſuadere nequibat eum revera obiiſſe. Igitur quamvis à Domeſticis aliiſque amentiæ damnaretur, Puerum variis auxiliis juvare contendit: nec eam fefellit eventus: nam ille poſt quatuor diligentiſſimæ curationis horas vitæ indicia præbuit amanti Genitrici, & priſtinam (b) deinde ſanitatem recuperavit. Quocirca repetere non gravabor: ſi debitas induſtrias conferremus, innumeri, ex hujuſmodi Parvulis ad vitæ munia reverterentur. Ut ut autem ſit, ubi caſus evenerit expediet omnino a ſpe non excidere; ſed æquo, & conſtanti animo fortunam ſemper & accuratiſſimè experiri.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Utrum Baptiſmus conditionatus conferri poſſit Infantibus, de quibus juxta dicta ſuſpicari poſſumus Aſphyxiâ detineri?

1. QUæ cum ita ſint, oritur inde dubium, utrum Parvulus, qui naſcendo, mortuus apparet, ſi non eſt contuſus, lacer, aut vulneratus, vel corruptus: neque corruptionis præfefert initia: nec aliud habet indubitabile mortis indicium; veniat juxta peritarum Obſtetricum praxim

(a) Bruhier. *t.* 2. *c.* 5. §. 3. *fol.* 537.
(b) Bruhier *t.* 1. *c.* 1. §. 7. *fol.* 165.

xim ſub conditione baptizandus? Et affirmandum cenſeo: ob prælectas enim rationes, tot experimentis comprobatas, merus reſpirationis, motûs, ſenſuſque defectus poteſt in eo facillimè cum vita componi; ac dubium ſubeſt non mendicatum, neque remotum, ſed prudens, verèque probabile, Infantem hujuſmodi non eſſe mortuum, ſed syncope ferociori defixum. Et profectò ſi expertis Obſtetricibus à me diligenter examinatis credendum eſt; numerus Parvulorum à corruptione prorsùs immunium, qui ſub mortuorum larva in lucem veniunt, ac deinde recuperantur, ſuperat primò eorum numerum, ſanè non exiguum, qui propter putrefactionem, vel ejus initium certò mortui dicendi ſunt. Secundò, quod gravioris eſt momenti, & ſupra judicavimus; major Infantium pars, quos nondùm invaſit corruptio, remedjis, quamquam ut plurimùm perſunctoriè applicatis, ad vitæ uſum revertitur. Quot ergo alii redirent, si ſeriò res iſta perageretur, & per prolixè continuata præſidia in illos recreandos incumberemus? Mitto, quod fortè, ut olim ſuſpicatus fuiſſe videtur Mabillonius, [a] cujus verba ſuperius attuli; [b] nonnulli etiam ex Pueris, quorum mors non ſatis erat conteſtata, & reſurrexiſſe à Mulierculis dicti ſunt, ſolùm ab Aſphyxiæ veterno evigilarunt.

2. Cæterùm ubi de putrefactione dubium ſit, diſcutiendum, uti diximus, utrum fœtor à Filiolo, an à ſanguine Matris, ejuſque liquoribus corruptis oriatur; utrum Pueri Gangræna ſit ſicca, vel humida quidem, ſed cum rubore conjuncta: hujuſmodi enim Gangrenæ Vivorum eſſent, non Mortuorum.

3. Oporteret profectò, ubi dubium aliquod mortis intellectui obverſaretur, veritatem per experimenta diſquirere, & extricare: ſed id in præſenti themate locum obtinere non poterit, periculum enim eſt in mora. Quocirca ſi priùs tàm exactæ probationes faciendæ eſſent, ac poſtea dato aliquo vitæ indicio, hujuſmodi Infantes baptizari deberent; non pauci eorum, recipiendi baptiſmatis elapsà opportunitate, inexpiati decederent. Naſcentium enim egreſſio in liberum aërem, ſicuti vitæ conditionem mutare valet in meliùs, eoſque relevare: ita poteſt & in pejus convertere, eoſdemque penitùs interimere. Non enim novum eſt flammas nunc a ſpirantibus auris foveri, & extolli, nunc verò prorsùs extingui.

4. Expedit ergo, ut, antequàm prælaudata remedia adhibeantur, Pueros ob prudens eorum vitæ dubium, ſub conditione baptizemus, ipſorum recreationem, ſi fortè benè cedat, paulò poſt commodiùs aggreſſuri. Nam, uti ſupra diximus, Aſphyxia tribus gradibus diſtinguitur. Quidam illà correpti aliquando ex ſe ipſis, & ſine aliorum auxilio ad vitæ munia remigrant; Alii nequaquam recuperantur ſine ſubſidiis, & quandoque diù continuatis, Alii tandem quamvis adhuc vivi, nulla prorsùs arte juvari, ac retineri poſſunt, quominùs in interitum certiſſimè ruant. Propterea & ſi Pluribus inutilis erit curatio, quia reipſa mortuis; Aliis tamen quia vivis, & ſanabilibus, evadet ſalutaris: Alii poſtremò, quorum vita adeò jacet labefactata, ut nullo humano ſubſidio relevari poſſit; cum tamen eorum Anima nondùm ſit a corpore ſeparata; & Baptiſmus eos revera viventes inveniat; æternam ſaltem proculdubiò ſalutem conſequentur.

(a) Mabillon. *t. 5. op. in Epiſt. ſub nom.* Euſeb. Monac. *de cultu SS. Ignot.* n. 18.
(b) Embriol. *l. 1. c. 12. n. 3.*

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Aſſertio de conditionato Baptiſmate hujuſmodi Parvulis tribuendo, ex Medicis, Theologiſque confirmatur.

1. ROmanum quidem Rituale in titulo de baptizandis Parvulis nihil de præſenti caſu diſponit, ſed tantùm præcipit dandum eſſe Baptiſmum, ubi Puer in partu periclitatur, & motum vitalem oſtendat. Sanè motus iſte vitalis eſt motus ab intrinſeco ex. gr. pulſus arteriarum; à motu naſcendi, quo neceſſariò Infantes omnes, quamvis defuncti, moveri ſolent, dum actu egrediantur; planè diverſus: nemo enim oriri poterit ſine aliquo motu, qui à Matre ſaltem parturiendi conatibus communicetur: In hoc autem Baptiſmate Rituale non apponit conditionem, *ſi tu es vivus*: ubi enim vitalis ineſt motus, de vità non erit ambigendum. Cum igitur nihil ſtatuat de Baptiſmate Parvulis concedendo, ubi de eorum vita oporteat dubitari, rem ipſam Theologorum, & Medicorum judicio permittit. Hos ergo audiamus.

2. Et è Medicis quidem ſeligo Bruhierium, qui præ Cœteris materiam de mortis indiciis copioſiùs pertractavit. Hic in operis coronide generaliter monet: Omnibus, qui repentino aliquo malo mortui videantur, ſine caracteriſtico mortis ſigno, quod illi eſt ſola putrefactio, vel ejus initium; præſidia ſpiritualia, quorum capaces exiſtunt, eſſe tribuenda: eò quòd rectè ſuſpicari poſſimus eos aliqua syncope fuiſſe proſtratos. In his autem expreſſè recenſet Pueros, qui ſub defunctorum figura in lucem prodeunt, ob plurima ſcilicet experimenta, in quibus ſæpè vivere detecti ſunt. *Ex his*, *ait ille*, *obſervationibus ſequitur, quòd uſquequo mors indubitabilis non evadat, conferenda ſint Homini ſpiritualia illa præſidia, quæ recipere pro ſtatu præſenti volebit. Inſuper cavendum eſſe, ne in conclavi ſermones miſceantur, qui Ægreto diſplicerent, ſi ab eo fortè audirentur.*

3. Et quamquam, uti probavimus, in Adultis præter corruptionem alia contra Bruhierii mentem, ut plurimùm ſaltem, ſint ſigna mortem comprobantia; Medicum tamen illius judicium maximi faciendum eſt in Parvulis motu in Nativitate carentibus: quia & Syncope in illis vehementior, & frequentior eſt, & mors per alia characteriſtica ſigna, ſi putrefactionem tollas, regulariter ſaltem, agnoſci non poteſt.

4. Nunc verò ad Theologos veniendum. In univerſum ipſi clamant, ubi neceſſitas urget, & miniſtrandi Sacramenti valor eſt dubius, deberi illud ſub conditione miniſtrari, quàm magis expediat homini vel dubio auxilio ſuccurrere, quàm nullo; præponderante ſcilicet Hominis probabili utilitate probabili Sacramenti fruſtrationi: quod etiam ipſe Morinus ex Doctrinis S. S. Patrum admittit, vir cæteroqui nequaquàm laxæ Diſciplinæ ſuſpectus: *Salus enim* (ait) *populi ſuprema lex eſt. & propter populi ſalutem inſtituta ſunt Sacramenta. Ideò concurrente utraque probabilitate, ſalutis procurandæ probabilitas, aliâ valere juſsò, eligenda eſt.* Hieronymus Florentinius, [a] ut alibi diximus, in Diſputatione ſecunda Romæ poſt diligentiſſimum examen, & Superiorum permiſſionem editâ, docet: Abortivos etiam primo graviditatis tempore, niſi manifeſtè ſint mortui, eſſe ſub conditione baptizandos. Pro indicio tamen mortis indubitabili, non motus defectum, ſed Compreſſionem, & Contuſionem aſſignat. *Suppoſita*, *ait*

(a) Florent. de Hom. dub. *diſp.* 2. *ſect.* 6. *n.* 5. *f.* 124. *&* *diſp.* 4. *ſect.* 14. *n.* 9. *&* 20.

aito ſententiâ probabili animationis, prudenti judicio exiſtimandus eſt vivus, niſi per accidens, & ex cauſa alicujus compreſſionis, aut contuſionis evidenter appareat mortuus. Abſtinet autem à deſignando, pro mortis argumento, motus defectu, quia ut ex Harvæo, & Guarinonio ipſe retulit, ſæpè in minimis Abortivis cordis motûs, intermittitur vita certè durante.

5. Florentinium ſequitur Conſtantinus Roncaglia [a] ex eadem Religioſa familia, clari nominis vir: maximè namque commendat illius librum, & ſententiam: docetque ſimiliter minimos Abortivos, niſi certò ſint mortui, eſſe conditionatè baptizandos. Additque, dum dubitatur, utrum Fœtus ſit vivus, an non, eſſe baptizandum, præmiſſa conditione, *ſi es vivus*. Id autem locum habere nequibit, niſi quando Fœtus egreditur ſaltem ad ſenſum reſpiratione, omnique vitali, ſeu rithmico motu privatus: unumquodque enim iſtorum vitam redderet planè certiſſimam: nec ullo pacto poſſet cum mortis dubitatione concurrere. Id ipſum nonnulli Antiſtites in ſuis de Partu Cæſareo, & Abortu graviſſimis Edictis expreſsè monuerunt: nimirùm Archiepiſcopi Panormitanus, & Monregalenſis, Epiſcopi Liparitanus, & Cremonenſis, Archimandrita Meſſanenſis, & Abbas S. Luciæ. Quæ autem Doctores, ac Præſules iſti de Abortivis luculenter affirmant, ex iiſdem, ſimilibuſque rationibus, ad alios naſcentes Pueros extendenda proculdubio veniunt, in quibus characteriſtica deſunt mortis indicia, nimirùm ſive ii ex Abortu, ſive ex Partu Cæſareo, vel difficili, aut etiam facili jam perfecti oriantur. Imò etiam à fortiori: de his enim conſtat anima rationali fuiſſe olim informatos: & ſolùm ambigitur, utrum hæc animà permaneat adhuc in corpore, an inde migraverit. Favetque præter Defunctum hodiernus ac præclariſſimus Epiſcopus Liparitanus Archiepiſcopus Peleuſienſis, qui de Fœtu primorum dierum quamquam imperfectiſſimè figurato loquens, ait. *Si motum oſtendat illico ſub conditione baptizetur: quod ſi motum non oſtendat (dummodo tamen humanus eſſe Fœtus appareat: & neque contuſus ille ſit, neque corruptus) graves Doctores volunt conditionato Baptiſmate donandum eſſe. Atque ita monemus faciendum. Poterit enim eſſe vivus, & ob aliquod fortè Deliquium quieſcere. Cui Deliquio ſicuti ex innumerabilibus conſtat experimentis frequenter in naſcendo Fœtus omnes etiam ortui maturi æquè ſubjiciuntur*.

6. Verùm quæ de naſcentibus Parvulis huc uſque diximus, de omnibus in quibus Deliquium ſuſpicari licet, tradidit Joannes Caramuel. [b] Ejus Doctrinam, quam additis etiam proprii experimentis, in plures concluſiones ipſe diſtribuit, compendio perſtringam. Aſſerit ergo in caſibus repentinis poſſe, ac deberi à Parochis ex juſtitia, ab Aliis verò Sacerdotibus ex charitate, ſub gravi proinde peccato, abſolvi: (intellige ſemper conditionatè: *ſi es vivus, & es capax*) qui per communia ſigna mortuus apparet, ſi mors aliunde non conſtet: cum enim poſſeſſio ſtet pro vita, hæc ipſa poſſeſſio majori efficacia nos adigit ad vitam præſumendam, quàm alia fortaſſe præſtaret probabilis ratio, vel etiam probabilior. Arbitratur autem hujuſmodi ſigna nil aliud efficere poſſe, quam vitam antea certam reddere modò incertam, ac dubiam: at in dubiis, ac probabilitatibus ex utraque parte pugnantibus, favendum eſſe Animæ: ideòq; propendendum ad vitam. Sentit etiam cum Feifôo, ut infra videbimus, non ſolùm in caſibus repentinis, verùm etiam in aliis regularibus morbis fortè

A a 2 Ho-

(a) Roncaglia Theol. *mor. t. 2. tr. 17. de Baptiſm. c. 4. q. 4. reſp. 3.*
(b) Joan. Caram. Theol. mor. *fundam. 66. p. 541. n. 14.*

Hominem priùs apparere mortuum, quàm talis revera ſit. Deinde ait:

7. *Octavò, non eſt evidens, tunc mori Hominem, cùm ultimo ſenſu privatur. Rem edisſero Solent Ægri in deliquia profundiſſima incidere, & mortui putari, quo uſque paulatim ſe recuperent, & ad ſe redeant.*

Sed quid fieret illi, qui diceret nexum animæ, & corporis eſſe ſubſtantialem, fortiſſimum, & fideliſſimum, nec rumpi tàm citò, quàm putamus? Omnes ad unum Moribundos ad mortem per gradus tranſire; è valetudine ad morbum, è morbo ad deliquium, & è deliquio ad mortem? An non innumeri caſus ſunt in Hiſtoriis, qui hanc veritatem perſuadebunt? Legimus ſæpè Ægros in cordis deliquium lapſos, & mortuos creditos miſerrimè fuiſſe ſepultos. Legimus ex illis Nonnullos ſpeciali Dei miſericordiâ ab ipſis ſepulchris ereptos: quid ergo vetat dicere: Omnes priùs à ſenſibus, & poſtea ab ipſa Anima deſeri? Quid vetat addere ex deſertis à ſenſibus Alios ad ſe rediiſſe, & Alios non? An non ſunt Leges publicæ in Communitatibus multis, quibus eſt cautum, ne ante vigeſimam quartam a morte horam ſepeliantur cadavera, ſi fortè ad ſe redire poſſint? An non eadem ratio, quæ urget, ne ſepeliantur, urgebit, ut abſolvi poſſint?

Hic autem Caramuel de caſu loquitur, in quo ſigna characteriſtica deſunt. Præterea (quidquid Ille circa repentinos morbos vel dubitaverit vel crediderit,) non ſic intelligendus eſt, quaſi dicat, in morbis periodicis, poſſe, qui mortuus videtur, abſolvi, per totum id tempus, quo manet ad cautelam inſepultus: Ita enim dubium de vita ipſius evaderet valde remotum. Intelligendus eſt ergo de tempore tantùm exanimationi proximo, relatè ſcilicet ad fundamentalem ejus rationem: quia nimirum ſuſpicatur, inter agoniam, & mortem ſemper intercedere Syncopem; quæ tamen cum corpori jàm penitùs labefactato, & immediatè morituro, veluti mortis prodroma, ſupervenire ſupponatur, non niſi breviſſima eſſe poterit. Hoc proinde tempus Feiſóus ceteroqui in morbis repentinis largior, in periodicis cautè monet non extendendum, niſi ad horæ quadrantem, vel ad ſummùm ad horæ dimidium. (a) Per hoc enim ſolummodo ſpatium, ubi mortis comprobatio facta non ſit, quæ tamen in Gravidis nunquam omittitur; poſſet in illa hypotheſi aliqua vitæ veriſimilis dubitatio permanere.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Feiſous, aliique Doctores prædicto Baptiſmati favent.

Feiſous Theatr. Crit. t. 5. de Signis Mortis actual. diſc. 6. §. 9.

1. Celeberrimus hic Auctor olim in Hiſpaniis Benedictini Ordinis Generalis Antiſtes, in inſigni ſuo Critico Theatro, Caramuelis doctrinam, quæ tamen ejus oculos, vel memoriam ſaltem fugerat, luculentiùs expoſuit, & latiùs confirmavit.

§. IX.

XXXIII. „ Ex his, quæ huc uſque, „ uti Phyſici examinavimus, *ait ille*, „ reliquum eſt, ut quamdam illationem

(a) Feiſ. loc. inſ. cit. n. 31. 42. & 43.

„ nem maximæ utilitatis tamquam Theologi deducamus. Illud profectò jam in principio præſentis diſſertationis indicavi: ſcilicet in quamplurimis eventibus, in quibus Sacerdotes abſolutionem denegant, poſſe, & debere illam ſub conditione tribuere. Certum eſt, Mortuo, ſi talem eſſe conſtet, veluti Sacramentalis abſolutionis incapaci, ne quidem ſub conditione poſſe illam concedi: verùm poteſt, ac debet, ubi dubium eſt, utrum vivat, an mortuus ſit, ſi ab eo abſolutionis petitio formalis, aut virtualis præceſſerit. Hæc enim habetur pro confeſſione in communi vel formali, vel interpretativa, ac per eam dolor ſenſibilis evadit. Hæc ſaltem eſt ſententia apud Recentiores obvia. Statuamus ergo hujuſmodi caſum, qui multoties evenit. Quidam cum ſe feroci morbo invadi ſenſit, qui ſumma vi, ac velocitate vitales ipſi facultates proſternit, confeſſionem inclamat. Aliquis ex Adſtantibus Sacerdotem quæſiturus abſcedit; verùm eum hic deinde ſupervenit, eum reperit ſenſu, motu, ac reſpiratione penitus deſtitutum: quod juxta communem exiſtimationem idem eſt, ac mortuum. Quid aget Sacerdos? quamvis a tempore, quo æger in deliquium inciderit, non niſi horæ quadrans effluxerit, domum ſuam repetit, dicens, ipſum abſolvere non poſſe: ac rectè quidem, uti Theologus, verùm errabit ut Phyſicus.

„ Conſtanter igitur affirmo, in propoſito caſu, poſſe illum abſolvere ſub conditione, quamvis pluſquàm una, vel duæ horæ elapſæ ſint. Id ineluctabiliter probo. Debet illum abſolvere, dum dubitari debet, utrum vivat, an mortuus ſit. Sed ita eſt, nimirum, quòd quamvis pluſquàm duæ horæ ſint præterlapſæ, nihilominùs dubitandum venit, utrum vivat, an obierit. Ergo. Major conſtat ex ſuppoſitione ipſa: quæ certa eſt apud Theologos. Minorem ita probo. Dubitari debet, utrum vivat, àn mortuus ſit, dum nulla viget certitudo neque phyſica, neque moralis ipſum obiiſſe. Sed ſic eſt, quòd elapſis pluſquàm duabus horis, nulla neque phyſica, neque moralis viget certitudo, ipſum obiiſſe. Ergo. Conſequentia ſequitur. Major eſt per ſe nota, Minor conſtat evidenter ex his omnibus, quæ ſupra allegavimus, quæque pro majori claritate propoſito caſui aptabimus, ea, quæ neceſſaria videbuntur, addentes.

XXXIV. „ Peto, quænam ratio nos impellit ad hunc Hominem poſt duas, vel tres horas à funeſto illo caſu, defunctum judicandum? Videmus eum profectò ſine reſpiratione, ſine motu, ſine ſenſibus. At quod ad primum attinet, certò definire non poſſumus, reſpirationem omninò illi deeſſe, ſed ſolùm conſueta, ac naturali vi, quæ a nobis percipi poſſit, non reſpirare: motum deinde, ac ſenſum ad ſummum affirmare poterimus in partibus externis defeciſſe: quomodò tamen ſe res habeat in internis, ignoramus. Deinde neque reſpirationis totalis ceſſatio, & ſi vera ſupponatur, mortem certò nobis indicabit. Indubitatum eſt enim, humanum Corpus quibuſdam præternaturalibus diſpoſitionibus obnoxium eſſe, in quibus reſpirationis abolitio tolerari, aut ſaltem ſuppleri valeat. Tertiò quamvis ultro concederemus, defectum reſpirationis per duas, treſve horas connexionem habere cum morte; non inde ſequitur illum eſſe jam mortuum, quem per duas vel tres horas cernimus reſpiratione deſtitutum: ſed ſolùm eum in quadam moriendi neceſſitate poſitum; adeo ut quamvis verum eſſet, quod tamen profectò falſum eſt; Neminem ſcilicet eorum, qui tanto tempore reſpiratione caruerunt, vitæ muniis fuiſſe reſtitutum; ſeu quòd idem eſt, omnes inevitabiliter obiiſſe; ſcire nihilominus impoſſibile eſt, quo temporis momento extincti ſint; neque id ſine divina revelatione dignoſci valebit. Reſpirationis defectus per horæ quadrantem, vel dimidium, vel per integram horam, &c. poterit corpori talem alterationem inferre, ut mors infallibiliter inde ſuc-

„ ce-

„ cedat: cœterùm ſcire nequibimus, utrùm ad horæ unius, vel duarum, trium &c. terminum ſequutura ſit.

§. X.

XXXV. „ Hoc argumentum omnibus mortis caſibus, ſive repentina invadat illa, ſive cuicumque infirmitati pediſſequa ſit, aptari poterit. Supponamus febrem per diſtinctos gradus Ægrotum ſenſim ad ſepulchrum deducere: extenuatur ille, atque paulatim notoria facultatum omnium clade conſumitur, quouſque cernatur in eo rigoroſa facies hyppocratica, cum cæteris omnibus fatalibus ſignis, quæ in Medicorum libris deſcribuntur: proportione ſervatà ex hoc ſtatu decidit in extremum agonem, & ex agone ad ultimas oſcillationes. Jam corpus illud non niſi exanimem truncum repræſentat. Poteris tamen certò dicere mortuum eſſe? nequaquam; ſed tantùm illud ſi nondum vità ſpoliatum eſt, brevi tamen eà ſpoliatum iri: at certo temporis momento vitæ terminum deſignare nequibis.

„ Nihil in hac materia ſcire licet, niſi per experientiam. Philoſophia enim eò uſque penetrare non valet, ut diſcernere poſſit, quænam ſit diſpoſitio, ſeu quinam ſit ille alterationis gradus, quo in partibus Corporis præcipuis poſito, eodem momento Animæ ſeparatio conſequatur: & quamvis theoricè ad illum cognoſcendum pertingeret, quibus inſtrumentis inſpiciet, utrum ea diſpoſitio viſceribus inducta jam fuerit? Neque magis demonſtrat experientia, quandonam Anima ſeparetur, ſed ad ſummum nos edocet, eos, qui per ſupra indicatos gradus ad illud labefactationis punctum pervenerunt, nunquam ad vitalem reſpirationem rediiſſe. Cœterùm hujuſmodi per gradus Exanimatis tàm amplum temporis ſpatium pro abſolutione ipſis tribuenda non aſſignarem; atque ut opinor, majus, quod ipſis concedi poſſit, eſt horæ dimidium. Ratio eſt, quia in his totum corpus, nullo ex viſceribus excepto, illam ſenſim alterationem, corruptionis cauſam, patitur, quæ eſt infirmitatis effectus: quod tamen non habet locum in Aliis, qui gradibus antedictis prætermiſſis, in Deliquium prolabuntur. Quocirca contingere poteſt, imò ſæpè contingit, ut præcipuæ corporis partes nullo afficiantur damno, aut ſaltem damnum non ſit irreparabile: quod ſi tale fuerit: id nihilominùs veluti neceſſarium reputo: nimirùm quod à Deliquii momento uſque ad totalem vitæ abolitionem aliquod notabile tempus intercedat: in pluribus ſaltem caſibus, in quibus repentinum illud malum viſcera ſana reperit, facultateſque integras: nam ex hoc momento, uſque ad ultimum ruinæ momentum quis non videat intercapedinem non brevis moræ neceſſariò eſſe admittendam? „

XXXVI. „ Verum pro caſu, in quo mors paſſibus venit regularibus, quorum ſucceſſio non Medicis tantùm, ſed & Adſtantibus quoque notoria eſt; non gravatè ferrem, Unumquemque in ſuo ſenſu abundare: Diſputatio in hac parte minimi quidem erit momenti: ſi namque mors hoc modo appropinquaverit, modo eventus valdè raros excipias, chriſtianas, & neceſſarias cautiones, quæ ipſam præcedere debent, præmiſſas profectò reperiet. „

XXXVII. „ Doctrina verò, quam præcipuè trado, quamque maximè neceſſariam judico, eſt pro caſibus, in quibus mors communem methodum non ſervat: in hiſque mea argumenta fortiſſima ſunt; præſertim illud, quod ex ſupra allatis exemplis deſumitur. In his omnibus ea exanimationis imago conſpiciebatur, quæ mortem communiter comitari conſuevit: quæque in totali privatione (ſive vera ſit illa, ſive apparens) ſenſuum, reſpirationis, motuſque conſiſtit. Eoque non obſtante Homines illi vità functi non erant. Ergo neque in ſtatu quæſtionis, qui prorſus idem cum illo eſt, hæc eadem exanimationis repræſentatio certum exiſtentis mortis indicium erit reputanda. Deinde inſurgo. Ubi nulla viget certitudo, dubitandum eſt: ubi verò dubitare oportet, utrum is, de quo agi-

„ tur,

tur; vivat, an obierit, ſub conditione abſolvi debet. Ergo.„

XXXVIII. „ Demùm varii Medicinæ Scriptores notæ auctoritatis teſtificantur, in caſibus Apoplexiæ, Syncopes, ac ſuffocationis uteri æquivoca eſſe communia mortis ſigna: ita ut affectus illi aliquando tam graves exiſtant, ut omnimodam ſecum trahant, noſtrorum ſenſuum ſpectato judicio, reſpirationis, motûs, & ſenſûs privationem: quapropter admonent, ut in ſimilibus eventibus ad tertiam diem corporum ſepultura differatur: nam per totum illud temporis ſpatium, uti multa docent experimenta, poſſunt in vivis perſiſtere. Hoc autem per ſe ſolum (quamvis cœtera deeſſent argumenta) jam ad intentum ſufficeret. Nunc verò ad caſum quæſtionis revertamur: cum Sacerdos ad Hominem, pro quo abſolvendo vocatus fuerat, pervenit, eumque reperit reſpiratione, ſenſu, ac motu privatum; evidens eſt, dubitare debere, utrum iſte aliquo ex tribus antedictis morbis oppreſſus fuerit: etenim undenam contrarium ille conjiciet? neque illi ipſi, qui tempore invaſionis adſtabant, id ſcire poterunt. Non dixi ſatis; Medicus ipſe, quamvis fuerit præſens, id ut plurimùm ignorabit. Ubi enim Paroxiſmi illi adeò ſunt vehementes, ut etiam reſpiratione defraudent, nullum habent ſignum, niſi valdè fallibile, quo inter ſe, & ab omni alia morboſa affectione, quæ eamdem privationem poſſit inducere, diſcernantur.„

„ Neceſſariò ergo dubitare debet Sacerdos, utrùm Homo ille mortuus ſit, an vivus. Dubium enim iſtud ab alio inevitabiliter ſequitur, ſuppoſitâ doctrina, quam ſtatuimus: nimirùm in his morboſis affectionibus quandoque mortuum judicari, qui vivit adhuc. Ergo debet eum ſub conditione abſolvere, quamvis elapſæ fuerint non ſolùm duæ horæ, ſed etiam decem, aut duodecim, & ampliùs: Medici enim dicunt pro ſepelitione expectandos eſſe tres dies.„

XXXIX. „ Et profectò dicerem, non ſolùm dubitare debere Sacerdotem, ſed poſitivè judicare illum oppreſſum fuiſſe ab una ex illis tribus affectionibus. Ratio eſt clara. Medici enim nullum alium indigitant morbum, qui ſubitò totalem ſenſûs, reſpirationis, & motûs privationem inducit, niſi tres illos, ubi vehementiſſimi fuerint: Ergo neceſſe eſt judicare, unum ex illis Hominem in ſtatum adeò deplorabilem conjeciſſe.„

§. XI.

XL. „ Doctrina, quam expoſuimus, non ſolùm locum habet, cum Homo, qui paulò ante ſanus benè valebat, in adeo profundum ruit Deliquium; ſed etiam cum hæc mortis imago, ſeu paroxiſmus alicui alteri morbo ſupervenit. Suppono Hominem, de quo agimus, aliqua magna febre, vel acuta colica paſſione, vel intenſo capitis dolore laborare; abſque eo, quod per eos ægritudinis gradus delabatur, qui paulatim ad extremum ducunt mortis agonem. Invadit ipſum privatio ſenſûs, reſpirationis, ac motûs: hæc neutiquam ægritudini, quam patiebatur, venit adſcribenda, quæ apta non erat ad tam ſubitò creandam privationem ipſam, ſaltem tamquam cauſa, vel diſpoſitio immediata, ſed alicui ex tribus antedictis affectibus tribuenda erit; ſive hic aliquo nobis occultos modo ab antecedenti morbo originem habeat; ſive nullam ab ipſo aggrediendi occaſionem ſumpſerit: quapropter caſus hic erit ſemper exiſtimandus repentinus, Nam & illi ipſi qui tales in toto rigore ſunt, quique non à cauſis extrinſecis oriuntur, proveniunt ſemper à cauſis antecedentibus, quæ nimirum in corpore latebant: puta hiſterica accidentia à malignis humoribus in utero congeſtis. Sacerdos igitur in his etiam caſibus vocatus conditionatè abſolvere debet, quamquàm poſt duas, vel tres horas à morte apparente perveniat.„

XLI. „ Anſ-

§. XII.

XLI. „ Animadvertendum eſt hic,
„ non defuturos, qui me temeritatis inſimulabunt, quaſi novum aliquod in
„ Theologiæ Moralis praxim invehere
„ contendam: quibus tamen hæc tria
„ reſpondebo. Primùm eſt, me parvifacere, ſemperque parvifacturum
„ genus iſtud Cenſorum, qui in reliquis
„ cæci, vident ſolummodò, atque ſequuntur curriculum illum, cui ipſos
„ Alii impoſuerunt: uti ait Seneca, non
„ quà eundum eſt, ſed quà itur, euntes.
„ Secundum in ſimilibus materiis non
„ intereſſe ſcire, vel inquirere quid antiquum, vel quid novum, ſed quid verum. Fateor præſumptionem favere
„ opinionibus communi calculo receptis.
„ Verùm id obtinebit uſque quò contra
„ illas argumenta inſolubilia non proponantur, qualia ſunt illa, quæ exprompſimus. Jura enim præſumptionibus
„ non attendunt, ſi contra eas probationes ineluctabiles inſurgant. Tertium,
„ quòd quamvis novam praxim, non
„ novam tamen propono doctrinam; imò
„ iſta communior eſt, atque receptior.
„ Omnes Morales Theologi ſentiunt, ubi
„ neceſſitas urgeat, ac ſimul dubitetur,
„ utrum Subjectum ſit abſolutionis capax, dandam eſſe conditionatam. Ex
„ morali Theologia hanc tantùm propoſitionem ad aſſumptum deſumo. Dubium verò decidere, utrum in caſu hujus quæſtionis Subjectum exiſtat, necne capax: nimirùm utrùm vivat, an
„ non: & utrum detur hoc dubium, profecto non ad moralem Theologiam, ſed
„ ad Phyſicam pertinet: atque in hac eadem materia nihil ipſe affirmo, niſi
„ quod evidenter ab experimentis, atque
„ ab ipſorum Medicinæ Scriptorum documentis infertur.„

XLII. „ Doctus vir P. Lacroix, qui
„ meritò noſtris diebus, tanto cum plauſu
„ per manus omnium volitat; unicus eſt
„ inter Auctores, quos ego vidi, qui
„ quamquam leviter, in quadam objectione, quam ſibimetipſi opponit, noſtræ
„ quæſtionis rationem ſtringit, *lib. 6. p. 2.*
„ *n.* 1164. ubi poſtquam adfirmavit, abſolvi Sacramentaliter non poſſe, qui jam
„ defunctus eſt; ita argumentatur. *Nonnulli Medici docent, Animam rationalem unitam corpori manere per unum,*
„ *vel duos horæ quadrantes, poſtquam*
„ *vulgò mortuum judicatur: ſi adveniat*
„ *ergo Sacerdos ad Aliquem, qui videtur*
„ *exanimis, poterit per illud tempus circiter, illum ſaltem ſub conditione abſolvere?* Quæſtionem ſolvit hiſce
„ verbis, *Reſpondeo: ſi illa opinio vel ex*
„ *ratione, vel ex auctoritate eſt alicui*
„ *dubiè probabilis, concedo conſequentiam.* *Verùm* immediatè ſubjungit,
„ *contrarium uſque modo ego ſenſi, &*
„ *etiam nunc in præſenti certum reputo.*

XLIII. „ Vides hic Patrem la Croix
„ mecum in judicio Theologico convenire, diſcrepantiam verò in judicio tantùm Phyſico intercedere. Pater la
„ Croix Medicorum illorum opinionem
„ certò improbabilem arbitratur. Ego
„ tamen probabiliſſimam. Imò ſi loquamur non generaliter pro Defunctis omninus, ſed pro multis, evidenter certam: nam conſtanti experientia habemus, Multos qui defuncti eſtimabantur, poſt integras horas recuperatos.
„ Ex his evidenter probatur obligatio
„ quam Pater la Croix negat ad conditionatè abſolvendum: nam eventuum
„ illorum experientia, in quibus qui
„ mortui putabantur, vivebant; dubium
„ reddit, utrùm in pleriſque aliis idem
„ contingat. Sed ſic eſt, quòd hoc extante dubio, ſecundùm P. La-Croix
„ Imò ſecundùm Omnes, debet ſub conditione Sacerdos abſolvere. Ergo.„

§. XIII.

XLIV. „ Omittendum hic autem
„ non eſt, Paulum Zacchiam, Doctorem
„ tanti apud Omnes nominis *Q. Medic.*
„ *leg. l. 4. tit. 1. q. 11.* cum aliis quinque
„ Auctoribus, quos citat, affectibus
„ Apoplexiæ, Syncopes, & Uterinæ ſuffocationis multos alios adjungere, qui
„ analogi ſunt Apoplexiæ, ad fundandum
„ rationabile dubium, utrum qui apparenter veluti omninò exanimati repræſentantur, mortui revera ſint, an

„ vi-

vivant? Tales ſunt Suffocatio ex aqua, fune, ſeu laqueo; item Suffocatio ex fumo carbonum, vapore vini, vel cereviſiæ, cum fermentationem conceperint. Item Exanimatio ex ebrietate, vel fulminis ictu, vel ruina ab alto, vel ex auræ cujuslibet peſtilentis inſpiratione. Caſus iſti omnes, aliique ſimiles (animadvertat Lector quàm ampla porta in tali extenſione ſimilibus caſibus hic aperitur;) ait ille, quo ad præſens intentum, non diſtinguendi ſunt ab Apoplexis: nam deprehenſi ſunt Nonnulli, qui talibus occupati malis, deinde poſt duos, vel tres dies vitæ uſum recuperarunt. Itaque concludit, quod quando in talibus accidentibus ad ſe revertuntur, nequaquàm judicandum eſt eos miraculo reſurrexiſſe, de quo ſcilicet in ea quæſtione agit; ſed naturali reſtauratione rediiſſe. Igitur ſine gravi dolore cogitare nequeo, quòd cùm celebres Medicinæ Scriptores doceant, in tanto affectionum morboſarum numero, poſt apparentem perfectam exanimationem Ægros poſſe vivere, imò & quandoque vivere per dies integros; non inveniri tamen Sacerdotes, qui eos abſolvant ſpatio tantùm elapſo duorum Credo, ex quo ſpiritum emiſiſſe videntur. Ignorantia, & bona fides abſque dubio illos uſque modo excuſavit: hæ tamen excuſare nequibunt eos, qui hanc Diſſertationem perlegerint, etiam reſpectu plurium aliorum caſuum, quamquàm à prædictis diverſorum; generaliter enim argumenta à me allata concludunt „.

Specialis monitio pro Submerſis.

XLV. „ Quod hic addendum cenſeo, maximi momenti reputo: non ſolùm enim ea, quæ uſque modò diximus confirmando, pro vita deſerviet ſpirituali eorum, qui ſubmerſionis malum ſubiere; ſed etiam pro temporali. Quamquam nihil mihi gratiæ debeatur ex utiliſſima iſta monitione, niſi propter brevem laborem in ea ex celebri Lucæ Tozzi in hiſpanicum ſermonem traducenda, laudabilemque intentionem eam publicè communicandi. Hic enim Auctor quadrageſimum tertium Aphoriſmum *l.* 2. Hippocratis explicans, non ſolum ſupponit, ſive aquâ, ſive laqueo Suffocatos poſſe aliquod notabile tempus poſt ſuffocationem vivere; ſed aſſerit eſſe curabiles, ubi pluſquàm duæ horæ non ſint præterlapſæ. Quapropter methodum eos reſtituendi præſcribit ac ita docet.„

XLVI. „ *Sed & non ita pridem excogitatus eſt modus, quo iſti, & qui ſub aquis ſunt demerſi, in vitam referantur: niſi tamen ſint penitus extincti, quod plerumque poſt duas horas eveniet. Sunt primùm inverſo corpore, ſublatiſque ſurſum pedibus, ac capite deorſum pendulo, ejuſque detinendi, circum accenſo interdum igne, quouſque recaleſcere incipiant, & aquam per vocalem arteriam eructent: ſoto ſenſim corde, totoque pectore cum vini ſpiritu, elixire vitali, vel pane calente, generoſo vino irrorato, biſque ſæpius, ſæpiuſque iteratis: futurum enim, ut non niſi omninò deceſſerint, cor in ſuo motu reſtituatur, & paulatim ſanguinem admittat, atque in arterias propellat cum vitæ reſtauratione. Qui verò laqueo ſuſpenſi, ac ſtrangulati nondùm periere, in vitam facilè redire ſolent, inſuflato per aſperam arteriam aëre: ut nimirum pulmonum bronchiis turgentibus, ſanguis poſſit e dextero in ſiniſtrum ventriculum protrudi, ſubindeque reſtitui motus tum cordi, tum ſanguini, qui ex ſtrangulatu ſubſiſterat. Ad promovendum autem ſanguinis motum, atque ad diſſolvendum eum, qui fortè in dextero ventriculo, & in vaſis pulmoniacis hærere, ac concreſcere cœperat; plurimùm conferent elixir magnanimitatis, proprietatis, & vitæ Quercetani; itemque ſpiritus ſalis ammoniaci, & theriacalis, dictus julepium vitale cum croco, oleum cinnamomi, idque genus alia ſenſim, atque iterato, ut res ipſa tulerit, ex-*

„ bibita. *Cæterùm qui ultra duas horas*
„ *præfocati ſupervixerunt, ut de eo*
„ *refert Cardanus, cui aſpera arteria*
„ *oſſea inerat; ſicuti ductum aëris in-*
„ *terclaſionem omninò non ſunt paſſi;*
„ *ita ſanguinis, & cordis motu revera*
„ *non ſunt defecti, niſi etiam hi parem*
„ *cum Amphibiis, & nobili illo urina-*
„ *tore, Cola Catanenſe, Piſce cognomi-*
„ *nato, ſortiti ſint naturam &c.* Amphi-
„ bii autem vocantur, qui indifferenter
„ nunc aquam, nunc terram inhabitant,
„ uti Crocodili, Caſtores, atque Teſtu-
„ dines, &c.

„ Rogo igitur, obteſtorque om-
„ nes, qui auxiliatricem in his manum
„ conferre poſſunt, ne hoc facere omit-
„ tant, ubi aliquis ſubmerſionis incurrat
„ infortunium: ſatis gravis eſt laudatus
„ Auctor, ne ſuſpicari valeamus, eum
„ veluti rem planè exploratam obtrude-
„ re, quæ ipſi certà experientià non
„ conſtet „.

XLVII. „ Hic autem occurrit dubi-
„ tandum, utrum hæc remedia tentan-
„ da ſint in Submerſis omnibus cum
„ ſpe illos recuperandi. Hoc propono
„ dubium, quia Hippocrates Aphor. 43.
„ lib. 2. ait, deſperandum eſſe de iis,
„ quibus circa os, apparuerit ſpuma, (*Qui*
„ *ſuffocantur, & a vita deficiunt, non-*
„ *dum tamen mortui ſunt, non referun-*
„ *tur in vitam, ſi ſpuma circa os ap-*
„ *pareat.*) Et quamvis Galenus revera
„ non doceat Aphoriſmum iſtum eſſe
„ generaliter verum, ſed tantùm rariſ-
„ ſimè fallere; tam magna tamen in-
„ ter Medicos eſt Hippocratis auctoritas
„ ut verendum ſit, limitationem eos non
„ eſſe admiſſuros, quam in textu non
„ vident: ideòque pro deſperatis habi-
„ turos, quoſcumque Suffocatos, in
„ quibus circumſtantiam illam intue-
„ buntur „.

XLVIII. „ Verùm nonnulli Medi-
„ corum, qui libertate opinandi glori-
„ antur, ab Hippocratis judicio intrepi-
„ dè ad experientiam appellantes, Apho-
„ riſmum illum falſum deprehenderunt,
„ non ſolùm ſine exceptione ſumptum,
„ ſed etiam cum Galeni limitatione in-
„ tellectum: quòd ſcilicet non niſi ra-
„ riſſimè fallat. Loquor ex Sinapii te-
„ ſtimonio, qui refert plures Canes,
„ quibus ad indagandam Aphoriſmi ve-
„ ritatem adeò fauces conſtrictæ fuerant,
„ ut ſpumam ex ore demitterent; re-
„ cuperatos eſſe, atque vixiſſe. *Cani-*
„ *bus his adjungendi ſunt plures Ho-*
„ *mines ſuſpenſi, ac ſtrangulati, etiam*
„ *ex fumo carbonum, & Apoplectici* (a)

„ Ex his concludo etiam pro Sub-
„ merſis, in quibus prædicta circum-
„ ſtantia occurrat, adjumentum ſupe-
„ riùs propoſitum, & multò majori cum
„ ratione ſpirituale abſolutionis auxi-
„ lium eſſe tentandum „; *Huc uſque*
Feiſous.

2. Demum Theologi omnes, (b) qui communiſſimè docent in dubio mortis debere Infantem, vel Adultum reſpectivè baptizari, vel abſolvi ſub conditione *ſi es vivus*, vel *ſi es vivus, & capax*, noſtræ opinioni in gratiam Parvulorum naſcentium propoſitæ non obſcurè ſuffragantur.

Clarum eſt enim Theologos neceſ-
ſa-

(a) Peclin. *Obſer. de Aer. & Alim. def. c. 7.*
Bruhier, *t. 2. fol. 235. & ſeq. & 325. & 373. & ſeq.*
Et Zaccut. Luſit. Hiſt. Med. *l. 1. dub. 19. Hiſt. 34.*
Vide præſertim Gotti Theolog. Scholaſt. Dogmat. *De Sacram. in gen. q. 2. de Partibus Sacram. dub. 4. §. 2. n. 9.*
Idem de Sacram. Pœn. *q. VIII. dub. 1. §. 2. n. 11.*
(b) Concina Theolog. Chriſtian. Dogmat. Moral. *tom. 9. lib. 2. de Sacram. Pœnit. diſſert. 3. cap. 1. n. 11. q. 3.*
Antoine Theolog. Moral. Tract. de Pœnit. *cap. 2. n. 3.*
Sporer. Theolog. Moral, Sacramental. *T. 3. p. 3. cap. 5. ſect. IV. q. 2. §. 4. n. 4.*

Digitized by Google

ſariò loqui de his, qui non ſolùm deſtituti ſenſibus apparent, ſed pulſu arteriarum, reſpiratione, omnique motu vitali prorſus expertes: quidquid enim ex iſtis quamvis tenuiſſimum in his deprehenderetur, vita eſſet indubitabilis.

3. Quinam ergo erit caſus, in quo mors dubia exiſtimanda ſit? niſi ille, in quo deſiderantur quidem hæc vitæ Indicia, & nihilominùs incertum eſt, utrum defectus à Syncope aliqua, an potius à morte procedat? vel quando imminentis mortis timor non dat explorandi tempus, utrum Homo, nec ne prædicta vitæ ſigna poſſideat, ac multo minùs hic timor conſueta experimenta permittit, ut dignoſcamus, an ille ad ſe reverti poſſit. Quis autem clarè non videat de Puero, quamquàm ſub mortui figura naſcente, dummodo à corruptione, aliiſque mortis characteriſticis, indiciis immuni poſſe, imò debere ſemper ambigi, utrùm Aſphyxiâ ſit, an morte, proſtratus? timendumque prudenter eſſe, ne ille verè moriatur, antequàm perquiſitionibus valeat ejus vita innoteſcere? quod ſi hæc locum ſibi juſtiſſimè vendicant in abſolutione Adultis tribuenda, ubi ſuſpicio viget Aſphyxiæ; quantò magis admittenda veniunt in Baptiſmate Parvulorum? Et quidem Adulti fortaſſe divinâ gratiâ præditi ſunt, quo caſu non erit ipſis abſolutio ad Animæ ſalutem neceſſaria: ſi verò ſint Peccatores; ad abſolutionis validitatem oportet, ut internis pœnitentiæ actibus diſponantur, eoſque præterea aliquo exteriori ſigno manifeſtent: quę omnia ex defectu temporis, morbo nimirum quandoque repentinè irruente, præſtare fortaſſe nequiverunt: quod ſi ſenſibus internis utantur; non prorſùs neceſſaria erit abſolutio: perfectæ enim contritionis remedium illis ad juſtificationem ſine dubio ſufficiet. Verùm Infantes, de quibus agimus, divinâ gratiâ indubitabiliter carent, neque illis eadem potiri conceſſum eſt, niſi per Baptiſmi ſuſceptionem. Pro hujus autem Sacramenti validitate actibus propriis neque exterioribus, neque interioribus indigent: requiritur tantùm, quod vivi ſint, ut cum Baptiſmate gratiam, & ſi ante rationis uſum deinde obeant, æternam beatitudinem certiſſimè conſequantur.

CAPUT VIGESIMUM.

De Submerſis, qui exanimes ex Mari, vel Fluminibus extrahuntur, digreſſio.

1. SImilem cum Syncopticis cauſam circa ſignorum mortis incertitudinem habent Submerſi aquis; quare de utriſque ſimul, uti paulò ante jam vidimus, egit Feiſous. Pauca ergo de ſecundis ab imminenti morte vindicandis adjungam: hac enim digreſſione quæ hactenus de Infantibus deliquio proſtratis diſſeruimus, nova luce illuſtrabuntur. Sanè quamvis Hominem in Mari, vel Flumine demerſum poſt pauca minuta horaria è vita excedere neceſſarium videatur; experientia tamen oſtendit non ita ſemper accidere: quamquam ille ſenſu, motu, ac reſpiratione privatus, verè defuncti præferat effigiem.

2. Enarrat quidem Cundemannus Virum ex aquarum profunditate poſt horæ quadrantem ſub mortui figura elatum: decem ab ipſa extractione horæ minutis elapſis, loquelam recuperaſſe, nec niſi poſtridie obiiſſe.

Duos inſuper addit Pueros, qui Animâ in ſpeciem deſtituti, balneorum uſu ad vitæ miniſteria redierunt; & unus quidem in ipſo Balneo epilepſiæ motibus correptus, ex eo morbo, non niſi poſt duos annos fato ſuccubuit: alter, qui per horæ dimidium ſub aquis latuerat, eodem morbo contracto, in quodam ipſius paroxiſmo prolapſus in Hoderam Flumen, ibidem periit. Cum non niſi poſt plures dies illum expiſcari potuerint.

3. Tris conſimilia Diemerbroecchius (a) exempla ſubminiſtrat. Primum ſcilicet eſt Pueri annorum quatuor Navitæ filii. Hunc poſt horæ quadrantem extractum, ad ſepeliendum compoſuerant, at accurrens Diemerbroecchius, obſcuram in eo arteriarum pulſationem detexit, aptiſque remediis reſpirationem renovavit: Obiit ille tandem poſt ſeſquihoram: creditum tamen eſt ipſum ſi auxilium tempeſtivè accepiſſet, neque aëri frigido expoſitus ac derelictus jacuiſſet; fuiſſe procul dubio liberandum.

Alterum eſt de Muliere, quæ ſub Nimegæ flumine anno 1638. per tempus æquale vità ſalvà ſubſtiterat. Tertium ad uxorem ſpectat Alberti Noot, civis Nimegenſis, quæ anno 1640. in puteum prolapſa, ibi pluſquam per horæ ſpatium inverſo capite remanſerat.

4. In Germania Matres, propriorum filiorum interſectrices, pro parricidii pœna in aquas demerguntur. Permittit verò lex, poſt notabile tempus vel ad ſepulturam, vel ad Anatomiæ uſum efferri. Ex his autem nonnullas præter omnem ſpem e gurgite demum viventes eductæ ſunt: & Primam quidem Platelio, Secundam Theſi Cunisbergicæ debemus. (b) Ea in Beruſſia poſt quadrantem cum dimidio reperta, a Magiſtratus clementia eſt abſoluta. Tertiam præcedenti ſimilem habemus ab hiſtoria Eccleſiaſtica Orlemundenſi Ann. 1623. [c] Mortis tamen illi pęna in ſemeſtre tantùm exilium commutatur. Quartam dedit Anonimus Auctor. (d) Hæc non æquè proſperà fortunà gaviſa eſt: Carnificis enim famulus, cum eam viventem deprehendiſſet; ne mercedem ab Anatomicorum Academia pro illius cadavere promiſſam amitteret; iterùm in aquas, quouſque ſuffocaretur, immerſit.

5. Varia tamen in præſenti materia Caſtrius unica ſub hiſtoria adunavit. [e] Miles certa viderat in Submerſis remedia adhiberi, audieratque 24. horas quandoque non ſufficere, ut in aquis eorum vita extinguatur. Cum ergo ſeſe obtuliſſet occaſio; eadem remedia in Commilitone ſuo, qui ab aquis penè mortuus elevatus fuerat, ſalutaria expertus eſt. Aderat forte Gaſparis Zeni Patritii Veneti Socrus, quæ & ipſa deinde in Puero ab Euripo Murani abſorpto, & ad ſenſum omni vità ſpoliato in praxim feliciſſimè deduxit.

6. Conſimilem verò hiſtoriam tradidit. Van-Helmontius Obſervaverat [f] hic prope Antuerpiam à Matrona itineris comite Juvenem, qui antea ſimili de cauſa prorsùs exanimis videbatur, agitatione ad vitæ officia reductum. Eo igitur exemplo animatus alium Juvenem Viduæ prædivitis filium, qui pluſquàm per horæ dimidium ſub Rhodani undis jacuerat, liberavit. Addit autem ſororem ſuam longiſſimo tempore ſub aquis olim vixiſſe: quod ex contextu de plurimis proculdubio horis intelligendum eſt.

7. Concordant duo exempla recentiora. Collegii Pictavienſis Societatis Jeſu Convictor decidit in fluvium, ſub eoque per horæ dimidium permanſit. Hunc ereptum inde, prorsùs, ut videbatur

[a] Diemerb. *in not. obſerv. Peſt. Bemmel. & Anatom l. 2. c. 13.*
[b] Theſ. Chunisberg. *de Mort. Subm. in Aquis*. §. 38. f. 33.
Bruhier, *de incert. ſign. t.* 1. *c.* 1. §. 8. *n.* 18. *fol.* 215.
(c) Journal des Scavant. Mart. A. 1704. Bruhier. *t.* 1. *in ſup. fol.* 516.
(d) Anonim. de Art. revoc. Subm. ad vit.
Bruhier. *t.* 1. *c.* 1. §. 8. *fol.* 217.
(e) Caſtro *obſer. Manuſcr.* §. 30. *apud Sacches Ampelogr. c.* 3. *fol.* 139.
(f) Van-Helmont. de Dement. Idea.

tur, extinctum, artis remedia recrearunt. (a) Renatus item Cavel (b) anno 1698. ſub aquis per horam, & ampliùs moratus, quamvis primò jam objiſſe crederetur, vivum ſe deniquè oſtendit.

8. Quidem verò diuturniori tempore ſubmerſioni Van-Svieten perhibente (c) ſupervixerunt. Præterea Juvenem retulit Albinus (d) qui per duas horas vitam ſub gurgite retinuerat, quamquam cadaveri omninò ſimilis. Pluribus quoque horis extiterat filia Baſſinetti cerdonis Putei aquis cooperta; deinde nihilominùs à Giberto medico reſtituta.

9. Savagius (e) eadem prodigia inſpexit in Brutis. Imò ſimilia in ſua regione contigiſſe quoque in Hominibus ex fama teſtatur; Hæc ſanè pari modo per Italiam volitaſſe, imò Lucas Tozzius Italus credit majorem ſubmerſorum partem non niſi poſt duas à ſubmerſione horas exanimari.

10. Majora tamen Alii ſcripſere; Eglivus (f) enarrat, ſe Piſcatoris Helvetii vitam in tuto poſuiſſe; quamvis poſt novem horas ab aquis extracti. Prætereo Jachelinum Archiepiſcopi Colonienſis Nepotem, qui ſub Rheno quindecim horis latuiſſe traditur. (g) Et ſi enim id naturaliter contigiſſe cum Bruhierio Nonnulli reputent, Alii tamen Sancti Svitberti miraculo adſcribunt? Naturalis tamen fuit liberatio Hortulani Tronningolmienſis: quamquam Is aquis per ſexdecim horas obrutus, & in profundi limo defixus perduraſſet. (h)

Margarita Laſdover pluries infortunia hujuſmodi paſſa eſt, In una ex iſtis ſubmerſionibus tribus diebus undis conſepta permanſit: in aliis maturiùs extracta. [i] Similem verò obſervationem de diuturna, ſeu triduana ſubmerſione à Borellio [k] facta, calculo ſuo probavit Bartholinus.

11. Verùm in huc uſque allatis exemplis Homines mortuorum ſimilitudine, à mari fluminibus, puteis educti ſunt. Alii tamen in manifeſta vivorum figura prodierunt. Nihil in preſenti de Urinatoribus loquar, tres tantùm Chuncheli obſervationes exponam, (l) Et primò Juvenis ex navicula in maris profundum poſtquàm ceciderat, non ſolùm ibi non interiit, ſed ad littus capiendum duarum horarum ſpatio 500 paſſus ambulavit. Aquarum profectò altitudo ipſi viſionem adimebat: Sororis tamen vox clamantis è littore, ſaltem prope finem, pro duce itineris fuit. Aſſeverabat autem ille, ſe in eo ſtatu reſpiraſſe; quamquàm quomodò id fieret non intelligens: addebat, aquam in corpus non intraſſe, calorem ſe potiùs, quàm frigus percepiſſe: nulloque modo per id temporis à ſenſibus fuiſſe deſtitutum: ſed totum in precibus ad Deum fundendis, & in ſuperando præſenti periculo occupatum: quæ omnia ſubmerſi Pater oculatus teſtis Chunchelio ipſi enarravit.

Se-

(a) Fontanett. in Epiſt. ad Bruhier. apud eumdem *t.* 1. *c.* 1. §. 8. *n.* 16. *fol.* 204.
(b) Bruhier. *t.* 1. *in Addit. fol.* 606.
(c) Van-Sviet. in Boerab. Aphor. *t.* 5. §. 1123. *fol.* 196.
(d) Albin. de *Meth. curand. Submerſ.*
(e) Savag. in Epiſt. ad Bruhier. Apud eundem *de incert. ſign. t.* 1. *c.* 1. §. 8. *n.* 15 *fol.* 211.
(f) Bruhier. *ibid. n.* 5. *fol.* 194.
[g] Epiſt. apud Sur. in Vita S. Svitberti.
(h) Peclin. de aër. & alim. defect. Derham. Theolog. fiſic. *l.* 4. *c.* 7.
Bruhier, *l. cit.* n. 6. *fol.* 189.
(i) Peclin. *loc. cit. c.* 10.
Derham. *loc. cit.*
Bartholin. Acta Medic. Hafn: *t.* 4. *obſerv.* 42.
(k) Borell. *cent.* 2. *obſerv.* 2.
[l] Chunchel. Miſcell. *nat. cur. dec.* 3. *A.* 5. & 6. *obſerv.* 71.

12. Secundò Piſcator in eumdem maris locum, de quo paulo ante, delabitur: is enatare quidem ſummoperè niſus eſt, at ſemper conatu propter glaciei impedimentum fruſtraneo. Denique poſt diem tertium non tantùm vivens, ſed & vegetus extrahitur: ingenti ſolummodò tumore circa caput apparente. Chunchelius Naufragum ſedulò examinavit, ac propter illius ingenuitatem, tantam ineſſe ſibi fatetur, de hujus hiſtoriæ, aliarumque ſimilium veritate perſuaſionem: ut jam non Piſcatoris hujus incolumitatem demiretur, ſed potiùs cur non etiam omnes alii ſubmerſi pari ſorte fruantur.

13. Demùm enarrat quatuor à Salungo leucas rudem Pictorem, qui e navicula in gurgitem ruerat, ibidem, Amicis in vanùm perquirentibus, erecto capite ſtantem per dies octo manſiſſe, ac ab imo enatatione tandem emerſiſſe, vità non ſolùm, ſed etiam ſenſibus integris. Hic variis percontationibus in omnes partes verſatus ita reſpondit. (*Neſcio, utrùm in profundo reſpiraverim; viſum certè, atque auditum retinui: nam & tintinnabula audiebam, & demiſſum, ad me retrahendum uncinum apprehendiſſem, ſi manus frigore ſanè rigidas, immobileſque admovere potuiſſem. Piſces continuum, & implacabile bellum oculis meis intulerunt, quorum inſultus palpebrarum motu declinabam. Ad aquæ motum magnus inſurgebat in auribus dolor, qui in cæteras corporis partes diffundebatur. Per id tempus nunquam fame laboravi; arbitror autem me quandoquè obdormiiſſe. Cæterùm nihil aliud vigilans cogitabam, niſi Deum, propriamque ſalutem: aliorum ſaltem in præſentia non reminiſcor.*) Chunchelius hoc factum ab oculato, & veridico teſte didicit cœteroqui toti Svetiæ indubitatum, atque notorium. Igitur ex his, aliiſque ſimilibus experimentis Philoſophi, ac Medici, ſanè quamplurimi, præſertim hac noſtra ætate docuere, in Submerſis non multùm fidendum eſſe communibus mortis indiciis: cum interdum ſub aqua tempore quidem valdè notabili vivi perſiſtant.

14. Porrò præter Auctores jam ſuperiùs recenſitos Michael Angelus Lapius celebris Fidei Subpromotor Anno 1670. librum edidit Romæ in quo Submerſos per 24 horas vitam protrahere poſſe contendit. Majus verò ſpatium Submerſis concedit Alexander Benedictus, (a) qui tradit Nonnullos ad 48. horas perveniſſe: prohibetque ne illi ante 72. horas tumulentur. Concinit inſignis indagator naturæ Foreſtus (b). Plura enim affirmat exempla vitæ poſt binos dies in profundo conſervatæ. Zacchias (c) tamen ad tres dies Aliquorum in aquis perdurationem extendit: inde deducens horæ unius moram non ſolùm miraculo non eſſe tribuendam; ſed nec ullo modo inter extraordinaria facta recenſendam.

15. Cæterùm omnem fidem videtur excedere, quod in Imperialis Academiæ Leopoldinæ Curioſorum Naturæ Acta relatum eſt: (d) cui Academiæ celebriorum Philoſophorum, & Medicorum non Germaniæ tantùm, ſed totius fermè Septentrionis Capita noſcuntur adſcripta. Laurentius ab eventu narrando Jonas denominatus ex Parochia Pithovienſi apud Suecos, qui mortuus funerali oratione laudari meruit, cum in Svecicum Mare cecidiſſet, ex illo aquarum frigidiſſimarum, & nitro abundantium pelago hebdomada ſeptima, nimirùm ſaltem poſt dies quadraginta duos, vivus eripitur. Hujus mirabilis quidem hiſtoriæ me vadem nullatenus offero. Integrum ſit cuilibet de ea, quidquid libuerit, opinari: mihi abundè ſufficiet adeo percelebrem Academiam in Archivo ſuo illius memoriam conſervaſſe, ac typis publicis edidiſſe. Id enim ſatis oſten-

dit

(a) Alex. Bened. *l.* 10. *c.* 9.
(b) Foreſt. obſerv. Medic. *l.* 17. *obſ.* 9.
(c) Zacchias *t.* 2. *conſult.* 79.
(d) Miſcell. nat. cur. Lancell. *dec.* 1. *A.* 6. *obſerv.* 20.

dit Philoſophos, ac Medicos proculdubiò doctiſſimos in præſenti putare, Homines in Mari, ſeu Flumine demerſos ampliùs vivere quandoque poſſe, quàm uſque modò creditum ſit.

16. *Profectò* ſi verum eſt, quod Sueci experientiâ iſtud naturæ arcanum reſerante communiter hodiè ſentiunt, Hominem ſcilicet ſub Mari per octo dies aliquando vivum poſſe perſiſtere; vel reſpirat ille, vel non? ſi reſpirat, aquarum impedimento non obſtante, cur non poterit etiam reſpirationem proſequi poſt octo dies, & ultra? Si non reſpirat, nec tamen moritur, quia aëris reciprocratione non indigens; nec eâ uſque ad quadrageſimum diem, & amplius indigebit. Propterea Jonæ hiſtoriam aſſeveravit Brumannus, vir graviſſimus; acceptavit verò, comprobavitque Peclinus in Suecia egregii nominis Medicus. Idemque præſtiterunt Derhamus Medicus Anglus, Lancellottus, atque Bruhierius, qui non ſolùm variis rationibus eam fusè propugnavit; ſed reſponſa ſua ad objectiones fortè contra ſe promovendas replicationibus omnibus planè ſuperiora eſſe arbitratur. (*a*)

17. Nonnulli putant ad reſpirationem juvari Submerſos aëre per aquas quaquaverſùm diſſeminato, eodem ſcilicet modo, quo Piſces. Ut ut ſit, aëre certè deſtituti ſunt, qui laqueo ſuſpenduntur: & nihilominùs eorum non pauci, laqueo reſecto, ad vitales auras remearunt. Satis prætereà paulò antè explicavimus, quomodò vita ſine ſanguinis circulatione ſaltem ſenſibili, poſſit aliquandò ſubſiſtere. Id ſanè Boerhavius, & Hoffmannus cum Aliis adnotàrunt, Naufragorum ſpeciatim experimenta proferentes. (*b*)

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Nanfragos quandoque in aquis vivere poſſe aliis exemplis, rationibusque confirmatur.

1. OBjicet fortaſſe Aliquis me ſupra exempla retuliſſe Animantium, (*c*) qui interdùm ſine reſpiratione quidem vivunt, ſaltem apparenti, ſed in elementis reſpectivè propriis: hic autem agi de admittendâ vitâ ſub aquis Homini, qui naturâ ſuâ exigit in circumfuſo aëre vivere. At iſtud nil officit: non enim alia deſunt exempla Animalium, quæ viva, ſed tanquam exanimata ſub aquis perſeverant, quamvis non minus ac Homo ipſe reſpirationi aſſueta.

2. Id Ciconiis, nonnulliſque aliis e Volucribus accidit, quas peregrinas, & advenas appellamus, & maximo præſertim Hirundinum numero. Hæ, uti diximus, in temperatis Regionibus, hieme appetente, cavernas introëant, vel montium, arborumque fiſſuras; at ſub Cœlo frigidiori, nimirum in Svecia, Norvegia, Sileſia, Bohemia, Moravia, Polonia: (*d*) imò, & in Breſſia Galliarum Pro-

(a) Peclin. *c.* 10.
Derham. *Theol. Fiſic. l.* 4. *c.* 7.
Bruhier, *t.* 1. *c.* 1, §. 8. *&* *t.* 2. *c.* 2. *fol.* 95. *& ſeq.*
(b) Boerahav. *Phiſiol. n.* 42. *ubi* Haller.
Hoffmann. *Med. Rat. l.* 1. *ſect.* 1. *c.* 2.
[c] Hoc lib. *c.* 11.
[d] Licet. de Fer. *altr. Anim. diſ.* 19.
Cromer. hiſt. Polon. *l.* 1.
Hevel. *Acta Phiſic. Aug.*
Donat. *hiſt. med. mirab. l.* 4. *c.* 12
Herlic. *l.* 6. *epigr.* 10.
Garmant. *de mirac. mort. l.* 3. *c.* 4.
Fulgos. *l.* 1. *de Avib. mirab.*

Provincia, quamquàm ſub aëre mitiori ſeſe in Mare, Flumina, lacus, puteos, atque ſtagna projiciunt, & inter ſe ad pilæ modum uſque ad ſequentis veris medietatem coadunatæ conſiſtunt. Aquas in Polonia petunt circa finem Septembris, & inde circa Idus Majas ad auras emergere conſueverunt. Si fortè Piſcatores e profundo deducant, prorſus exanimatæ videntur. Sed in hypocauſtum translatæ reviviſcunt. Porrò domi detentæ paulò poſt vitâ deficiunt, ſibi tamen ipſis relictæ iterum in aquas ſeſe præcipites agunt. Eas autem in hujuſmodi circumſtantiis occidere piaculum judicatur.

Si ergo antedicta Animalia æquè ac Homo, reſpiratione indigentia, tanto tempore aquis circumdata vivere pergunt, cur non idem contingere queat quibuſdam ſaltem Hominibus, ac tempore per quàm breviore? Id ſane quotidiano muſcarum experimento confirmatur; quæ in liquoribus diu ſubmerſæ, ac deinde veluti mortuæ ſublatæ, atque calefactæ, vitam, volatumque reſumunt. (a)

Ipſe 15. Cal. Martii Muſcam in Ciathum aquâ plenum projeci, quæ tamen illic viva per 24. horas inhatavit, quamquam ſine cibo: tempeſtate, nivibus undequaque ruentibus, frigidiſſima, ventis, tonitribusque furentibus horridiſſima: quapropter madida papyro ſuper inducta eam poſtea in profundum demerſi. At cum poſt tres horas in ſpeciem prorſus exanimem deinde abſtraxiſſem, & nihilominus tepido cineri impoſuiſſem, paulatim revixit, ac tandem poſt horæ quadrantem evolavit. Cœterum ſicuti reſpiratio prorsùs neceſſaria non eſt, niſi ad ſanguinis circuitum; (b) ubi valeat hic ſine aëris alterno acceſſu, atque receſſu conſervari; poterit ſine dubio Animal ideoque & ipſe Homo ſub æquore, aut ſub flumine vivus perſiſtere, imò quodammodò ſanus, & ſenſibus non amiſſis: quod quidem in veris, ac genuinis Urinatoribus paſſim accidere non eſt ambigendum.

Veris dixi Urinatoribus. Nam hi, qui ex conſuetudine, ac veluti ex arte tales evaſerunt, ægrè, brevique tempore ſub mari demorantur: utpote qui aëra indigent reciprocatione: genuini autem atque nativi, uti Nicolaus Piſcis, de quo mira cum aliis narrat Clariſſimus Mongitorius; (c) & diutiùs in Pelago, & ſine incommodo conſidebunt. Naturâ certè videntur ad iſta comparati Braſiliæ incolæ: nam juxta Maffejum (d) *natandi arte ad miraculum uſque præcellunt, & ſub aqua totas interdum horas, ubi quippiam in imo quærendum eſt, patentibus oculis urinantur.*

3. Et quidem Fœtus in utero, uti aliàs declaravimus, non valdè indiget reſpiratione: ſanguis enim non niſi parva ſui quantitate pulmones ingreditur, ſed alio planè modo curſum intendit ſuum, per ovale ſcilicet foramen, & canalem arterialem transeundo. Foramen iſtud nato in Homine occluditur: & quamvis in nonnullis exiguum quoddam foraminulum remaneat: hoc ſanè ad magnum circulationis opus non ſufficere perſpicuum eſt. Canalis tamen prædictus omninò, ac ferè in omnibus clauditur. Cœterùm canalis, vel foramen ſi quando in Aliquibus competenter aperta perſeverent; multò magis verò ſi utrumque: ita ut ſanguis proprium iter ſine pulmonum miniſterio proſequi valeat; eo caſu quamvis aëris introitu, & exitu intermiſſo, de more ſanguis totum corpus peragrabitur, neque mors erit ex intermiſſione formidanda. Profectò Piſces pulmonibus carent, quare non opus habent copioſo ac perenni aëris affluxu, ut ad pulmonum expanſionis, & compreſſionis motum, exeat a corde ſanguis, & viciſſim ad cor iterùm revertatur. Sanguis enim in ipſis cir-

(a) Sarnell. *tom. 5. Epiſt. 3. n. 4 & Alii.*
(b) Truſton. *de reſpirat. uſ. pag.* 60. *&* 62. Pitcarn de *cauſ. diverſ. mol.*
(c) Mongitor. *Sicil. Ricerc. t. 2.*
(d) Maffei. hiſt. Ind. *l.* 2. *fol.* 43.

circulat unius cordis inſtrumento, quod in tres ventriculos immediatam inter ſe communicationem habentes natura diviſit.

4. Amphibia tamen in aquà non minùs quàm in aëre commodiſſimè vivunt: licet enim pulmonibus inſtructa ſint, quibus alternatim, ubi expedierit, utantur; manet nihilominus in ipſis perpetuò patulus canalis arterialis, imò in eorum nonnullis, ac præſertim in Volatilibus, etiam ovale foramen. Quod ſi claudatur, ſemper tamen in ipſis æquivalens ratio permanebit. Nam, ut ait Haller, (*a*) valde modica ſanguinis portio ex eorum corde profluit ad pulmones, & à pulmonibus ad cor deinde regreditur: maximà interim ſanguinis copià, propter ſpecialem vaſorum cordis diſpoſitionem totum percurrit corpus, abſque pulmonum adjumento. (*b*)

5. Georgius Baglivus [*c*] immani Teſtudini e Dalmatia invectæ, os, nares, nonnullaſque alias partes lineis, & glutine artificioſè obturavit; ita ut in ejus pectus aëri omnis aditus obſtrueretur. His non obſtantibus, vivere illa pergebat per 20. dies, & ampliùs; cum Baglivus anatomico eam cultro ſubjecit. Ipſa n. verò Microſcopio, atque etiam ſine illo intuitus, ejus ſanguinem, ordine ab aliorum Animalium terreſtrium planè diverſo fluere perſpexit: & præterquàm quòd inter dexterum, ac ſiniſtrum cordis Ventriculum apertum conſervabatur foramen ovale; vidit quoque maximam ſanguinis copiam ex dextero ventriculo in aörtam, partim immediatè intromitti, partim per ſolum canalis arterialis ductum, non ſecus ac in Fœtu, pulmonibus prętermiſſis. Atque ea fuerat cauſa, cur ea tanto tempore ſine reſpirationis beneficio vixerat, quamquàm non tantum artificioſa clauſura, ſed ejus duriſſima pellis, & impenetrabilis lorica, inſuperabili eſſent obſtaculo, quominùs aër in ipſam penetraret. Quis autem divinaverit, quouſque vitam illa fuiſſet protractura, ni eam interca Baglvus trucidaſſet?

6. Si igitur forè fortunà Homo, qui in mare demergitur, adhuc apertum ſervet ovale foramen, vel tubum arterialem, & a fortiori, ſi utrumque; is planè juxta Harvæum, Dionyſium, Carteſium, Boerahavium, innumeroſque celebres, recentioreſque Doctores (*d*) vitam proſequetur; quamquàm quia ſub æquore ſepultus, ab Amicis veluti ſine dubio mortuus deplorabitur. Lanciſius quidem duas Puerorum reſurrectiones ope Sancti Stanislai Koſtkæ patratas monuit, ne tanquam miracula approbarentur, propter ſuſpicionem adhuc fortaſſe aperti foraminis ovalis.

7. Quod autem in pleriſque Hominibus quàmquam Natis, imò & Adultis, non minùs quàm in Teſtudine, aliiſque amphibiis apertum obſervatum fuerit ovale foramen, imò & interdum ipſe canalis arterialis; res eſt exploratiſſima. Innumeræ enim de hujuſmodi Hominibus in quacumque ætate, etiam in extremo ſenio conſtitutis, apud illuſtriores Anatomicos leguntur hiſtoriæ. Vejuſſenius (*e*) in quinquagenario duo adhuc pervia foramina ovalia, magnum unum, parvum alterum conſpexit: quapropter patulum quoque habuiſſe foramen ante dictum eos, qui ex profundo vità, ſenſibuſque præditi ad apertum aërem aliquando emerſere, non immeritò credendum eſt,

8. Neque objicias Pelago abſorptos ex alimenti ſaltem defectu morituros: conſtat enim Sanos cibi, ac potus omnimo-

(a) Haller in Boerahav. *de Concept. n.* 691.
(b) Pitcarn. *de cauſ. diu mol.* §. 5. & 18.
(c) Baglivus *diſſert.* 4. *de exper circa ſanguinem. fol.* 293.
(d) Thom. Cornel. Coſent. *Progymn.* 7.
Ettmuller. *in diſert. de Circul. Sangu. in Fœtu Lipſiæ A* 1715.
Purchotius, & Alii.
(e) Rainaud. Vejuſſen. *in Exc. de Remot. & prox. mixt. princip. c. de ſitu, & ſtruct. cord. human. tab.* 49. *fig.* 1.

dam inediam per octiduum, Infirmos aliquoties uſque ad trigeſimum diem ſubſtinere: per ſeptem verò, vel octo menſes Animantia, quæ vitam occultant. Academia Bononienſis, (a) uti ſupra indicavimus, (b) Homines recenſet, qui ex morbo ſpeciali eorum traſpirationem, ac proinde ſubſtantiæ diſſipationem coërcente, ad plures annos abſque ulla ſolida, vel liquida ſubſtantia ingeſta perſeverarunt: quibus propterea ſtomachus, & inteſtina prorsùs deſiccata, & penè conſumpta cernebantur: tam diù à propriis functionibus organa illa ceſſaverant: quamquàm cœteroqui ſani, & vigentes inter cœteros Homines verſarentur; ac aëris actioni, qui, ſine ulla dubitatione, maximè deprædatorius eſt, ſubjecti tanto tempore perduraſſent. Porrò aquarum preſſio, earumque frigiditas Abſorptos non ſolùm in ſtatu conſtituit ſupradicto valdè ſimili, quia tranſpiratione carentes, ſed etiam multò quodammodo meliori, utpotè internè quietos, ab actionibus abſtinentes, & ab aëris impreſſione, & exagitatione protectos.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Auxilia danda Naufragis, qui è Mari, vel Flumine veluti exanimes extrahuntur.

1. UBi igitur miſerum aliquem in aquas demerſum audierimus, quocumque demum tempore jam elapſo, erit omni diligentia expiſcandus. Quòd ſi forte integrum elevabimus, nec putrefactum, aut putrefieri ceptum, neque immodicè tumentem, neque cum aliis indubitabilibus mortis argumentis, de illius vita non penitùs deſperemus. Imò ipſum omni ſtudio ad vitales functiones revocare nitamur: cum omnes Medicinæ Scriptores altè declament, neque ſenſuum deperditionem, neque motus, reſpirationis, pulſuumque defectum, neque membrorum rigiditatem, quæ aquarum frigiditati attribui poteſt, in Submerſis indubitata mortis, & caracteriſtica ſigna eſſe cenſenda. Dixi, quocumque tempore demum elapſo, nimirùm etiam octo dierum, & ampliùs, dummodò ſint illi a corruptione prorsus immunes: nam qui verè mortui fuerint, corrumpi priùs incipient, ac propter fermentationem immaniter intumeſcent, plurimas interim eorum ſubſtantiæ particulas exhalantes; proinde ſenſim pondere decreſcentes, & ampliori ſpatio interea occupato, aquis leviores evadent, ac juxta æquilibrii leges è gurgite ad aërem aſcendent putrefacti. Quòd ſi longa eorum ſub undis moratione non obſtante, ſponte non emergant, ſed Aliorum induſtria tandem extracti à corruptione liberi appareant; hoc ipſum erit eorum vitæ non improbabile indicium, ac tantò veriſimilius, quantò eorum in profundo mora diuturnior fuiſſe credatur: in tanta enim temporis longitudine, ſi verè Animà caruiſſent, corrumpi debuiſſent.

2. Verùm quænam erunt auxilia, quæ miſeris iſtis conferemus? Ante omnia Submerſus ab aquis jam exemptus, illico frigido maris, vel fluminis aëri ſubducendus eſt, & in viciniorem domum tranſferendus. Jolyus, qui quatuor ex hujuſmodi Naufragis liberavit, neminem, ait, eorum, qui aperto in aëre ſunt relicti, mortem declinaſſe; eaſdemque obſervationes habuit Lancellottus (c) Cœteroqui, & non raro. momenti unius mora de Submerſorum vita, vel morte decernit, & longum iter ad propriam domum

(a) Apud Lambertin. de *Canoniz. SS. in App. ad lib.* 4. p. 1. c. 27.
(b) *Sup. hic lib.* 2. c. 12. n. 5.
[b] Lancellot. *Miſcel. nat. cur. dec.* 1. *A.* 6. *obſerv.* 20.

mŭm ipſcs in ultimam ruinam impelleret.

3. Deinde ſpoliandua erit veſtibus madidia, aliis verò ſiccis, probèque calidis induendus. Naufragos pedibus ſuſpendere conſuetum eſt, ut magna ſcilicet aquarum copia, quam ingurgitare creduntur, à ſtomacho demittatur. Verùm ex innumeris obſervationibus patet, (*a*) eos vel nihil aquæ bibere, vel ſaltem non ampliùs, quàm qui ſiti premuntur. Quo circa hæc aqua mortis cauſa in illis eſſe non poterit. Cœterùm & ſi eà maximè repleti ſupponerentur, inutilis eſſet hujuſmodi ſuſpenſio: non enim aqua propterea egrederetur, ab aeſophagi muſculo, qui ſphincteris munua adimplet, (*b*) prohibita: neque muſculus iſte poterit, niſi deglutitione, vel vomitu aperiri, quæ actiones in tali ſtatu ſunt planè impoſſibiles. Proinde quæ aquâ ex ore decurrit, ea non e ſtomacho, ſed a veſtibus provenit, modicà tamen, quæ à Trachea deſcendere ſolet exceptà.

4. Ex alia parte ſitus antedictus, ideſt imo capite pedibus in altum appenſis, valdè improprius eſt, & naturali contrarius, aptuſque propterea non tantum ad eos, qui moribundi creduntur ſed ad ſanoa ipſos labefactandos. Quocirca Loviſius, Nimannua, Ranchinius, (*c*) Bruhierius, aliique hoc remedium, veluti nocivum damnavere: Detardingius tamen ſolùm laudat, hujuſmodi Ægros jacentea quidem ſtatuere, ſed capite aliquantùm declivi. Alii verò Naufragoa in dolio ſine fundo, ac ſine operculo ponunt, ut illud in orbem volventes, ex Ægroto Aquam eliciant, quam deglutiſſe arbitrantur: idque ſimiliter in monito edicitur Galliarum Regis à Reamurio concinnato.

5. At hanc ipſam rotationem Jolyus, atque Foreſtus veluti inutilem, imò propter graviſſimum incommodum, quod inferret damnoſam, prohibuere. (*d*)

Interim verò Loviſius quamquam prælaudatorum Auctorum doctrinam approbet; Submerſos nihilominua pedibus appendi per quinque tantùm horaria minuta permittit. Cum enim iſti ob violentam aeris inſpirationem, quam facere nituntur, dum præſocari ſe ſentiunt, aquam in Tracheam intromittant; expedit, ut inde aliqua ſaltem ejus portio deponatur: nam tota exire non ſolet, ſed in modica tantùm quantitate: ea ſcilicet columna, quæ ipſius Tracheæ trunco perpendiculariter incumbit: reliqua enim, quæ illius ramificationes penetravit, äeri commixta, & implicata, atque ſpumoſa jam effecta, exterioris aëris reſiſtentiam non facilè ſuperabit. Verumtamen ea ipſa modica portio, quæ deſcendet, magno erit adjumento: quamdam enim dabit machinæ concuſſionem, & reſtaurandi motus in pulmonibus præſtabit initium.

6. Hac operatione finita, quæ, uti Loviſſus admonuit, non ultra quinque minuta protrahenda eſt; Submerſus juxta Sveciæ praxim à Peclino relatam, in lecto probè calefacto collocabitur: expedit etiam, ut ex Nimanni, & Ranchinii conſilio, cubiculum valido igne caleſcat, quo calor citiùs in languente corpore virtutem exérat ſuam: cavebimus tamen maximè, ne Infirmum igni violento admoveamus. In Svecia quidem, ubi hujuſmodi curæ frequentiores accidunt, Medici mitem tantummodò ignem, & moderatum admittunt.

7. Poſt hæc prima ſubſidia ſanguinis, emiſſio neceſſariò, & quàm citiùs licebit, facienda venit. Nonnulli quidem ex pe-

Cc 2 de

[a] Plater. *qu.* 55.
Bruhier. *t.* 1. *c.* 1. §. 8. *fol.* 189. & *t.* 2. *c.* 2. *fol.* 154.
Becber. *De Subm. Mort. ſine. pot. aqu.*
Loviſ. de Cert. *ſign. mort. Mem. de Subm.*
(b) Loviſ. *Loc. cit. in exam. ration. fol.* 267.
[c] Ranch. *de morb. ſubit. c.* 11.
Niman. *de Apoplex. c.* 44.
(d) Foreſt. *Obſerv. Medic. l.* 15. *obſerv.* 26. & *obſerv. Chirurg. l.* 1. *obſerv.* 33.

de laudant, veluti egregium ſanguinis, tunc ſuperiores partes, cor præſertim, cerebrumque gravantis, revulſivum. At hæc pedis flebotomia inutilis eſſet: motu enim cordis, & arteriarum, ac proinde ſanguinis quoque circulatione impeditis; quomodò a tam remotà parte vel gutta, valeret erumpere? Convenit ergo, ut jugularis vena ſecetur: cum enim hæc proxima ſit capiti, ac pectori, ubi magna ſanguinis copia congeſta ſupponitur, & inde facilè egredietur, & ejus egreſſum effectus feliciſſimi conſequentur.

8. Si Æger poſſet in balneum immitti, quod commendat Loviſius, [a] id ad ſanguinem fundendum, ejuſque circulationem, imò & reſpirationem renovandam valdè conduceret. Si autem commodè hoc ipſum præſtari nequeat; proderunt ſaltem vaſa vitrea ebullientis aquæ plena, lineis pannis cooperta, & pedibus, & axillis appoſita: eorumque uſus prolixè patienterque continuatus.

9. Nec interea ſenſus corporis negligendi ſunt, & otioſi relinquendi: ac primò quod ad viſum attinet, oculi aperiantur, ſique nocturnum eſt tempus, lumen admoveatur. Pro auditus extimulatione, præter Cantum, & Sonum proprio nomine vocetur Ægrotus, nunc demiſſa voce, atque ſuavi, nunc verò altiori, & acuta: præſertim verò ſenſibus odoratus, guſtus, atque tactus inſtabimus pro excitatione ſpirituum, ut ad animales functiones iterùm capeſſendas tandem aliquando convertantur. Oportebit porrò vellicare olfactùs nervos, qui cum nervis reſpirationi deſtinatis intimè communicant. Id fiet ſternutatoriis violentis, puta Maro, Euphorbio, imò & ipſo Helleboro in pulverem redacto, & Medio tubulo in nares inſufflato. Proderit inſuper ex Nimanno (*b*) applicare naribus odoroſa, puta pulegium, rutam, acetum, ac ſuper omnia ſpiritum ſalis ammoniaci.

10. Guſtus ad vomitum eſt irritandus, non ut aqua ingurgitata dejiciatur: nam, uti dictum eſt, id minimè refert, ſed ut aliquem diaphragmati motum inducamus, qui ad motum reſpirationis inchoandum, vel maximè conferret. Provocatio quoque ad vomitum laudatur, ut is inſpiratum in ipſo naufragio aërem, qui pulmones inflavit expellat. Nec deſunt qui liquida vomitoria proponant: ſed iſta non, niſi quibus jam deglutiendi facultas reſtituta eſt, aptari poterunt: non autem illis, qui adhuc immobiles jacent cadaverum inſtar. In his enim circumſtantiis quilibet liquor, qui in ipſorum ora immitteretur; eos manifeſto ſuffocationis periculo ſubjiceret. (*c*) Solis ergo pennis ad æſophagum titillandum utemur, vel Heiſteri etiam inſtrumento, quod ſtomachi ſcopam appellant.

11. Denique quod ad curam per tactus organum ſpectat, Jolyus cum Aliis præcipit corpus in omnem partem verſari, atque vexari, ut ſanguis priſtinam iter aggrediatur: ſed non benè perpendunt violentos motus facilè poſſe moribundi ſemimortuam vitam penitùs delere. Igitur crudelibus hiſce concuſſionibus ſubſtituendæ ſunt ex Bruhierio, atque Loviſio (*d*) frictiones. Fient verò juxta Sveciæ morem, à Peclino deſcriptum, cum unctionibus calidis; eaſque continuari oportet, uſque ad carnium rubedinem. Simul autem applicanda cordi Epithemata ex Ruta, Majorána, Succino, Cinnamomo, *Spica*, balſamiſque apoplecticis nimirùm calidis, ac ſpirituoſis, vel ex pane calido, ac torrido, & aquà vitæ irrigato. (*e*) Laudabilis eſt etiam inferioris ventris compreſſio versùs ſuperiora, nimirùm ad aërem pulmones diſtendentem exturbandum.

12. Prædictis tamen remediis Detardingius, Eiſterus, Bruhierius, Hoochus, atque Becherus Tracheotomiam, ſive aſ-

pe-

(a) Loviſ. *lib. cit. in Exam. ration. de Subm. fol.* 273.
(b) Niman. *de Apopl. c.* 42.
[c] Littre *obſerv. in Memor. R. Academ. Scient. A* 1718.
(d) Loviſ. *lib. cit. in Exam. ration. de Subſm. fol.* 273.
(e) Borell. *hiſt. cent.* 2. *obſerv.* 11.

Digitized by Google

peræ arteriæ ſectionem anteponunt: etenim exiſtimant Submerſorum epiglottidem prolapſam aſperæ arteriæ incumbare, & in ſtatu convulſivo manere, ac propterea alternum inſpirationis, & expirationis motum impediendo, Infirmum præſocare.

13. Igitur opinantur, ubi prædicta operatio, omni morâ poſtpoſitâ, fiat; aërem in pulmonibus clauſum illico foras erupturum, ac omne ſimul obſtaculum pro reſpiratione, & conſequenter pro ſanguinis circulatione reſtituenda eliminaturum. Quocirca citati Bruherius, Detardingius, & Heiſterus docent Tracheotomiam aliis omnibus tentamentis eſſe præmittendam. Jolyus tamen ipſam veluti extremum remedium ultimo loco reſervat.

14. Sed tantorum Doctorum veniâ, hæc operatio, uti Loviſius adnotavit, inutilis eſt cenſenda: caſus enim epiglottidis Naufragorum ſuper aſperam arteriam, cum nulli obſervationi innitatur, gratis, & ſine fundamento videtur adſtructus. Proinde omnino libera putanda erit externo aëri ad pulmones ingreſſio: quod ſi proprium illi dilatationis, & reſtrictionis, exercitium dimiſerunt, id partim ex ſanguine, qui coagulari jam cepit, partim ex ipſorum pulmonum vitio procedit: eò quòd aquâ per aſperam arteriam intromiſsâ opprimuntur. Cæterùm ſi forte Epiglottis ad illius Orificium prolapſa ſit; poterit indè facilè removeri: neque ad atrocem hanc inciſionem confugere neceſſe eſt.

15. Pro ſtatu igitur ordinario ad aëris reciprocationem promovendam, ſanguinem, ſigi jam incipientem, fundere aggrediamur. Id autem perficiemus calidum aërem per Tubulum in aſperam arteriam inſufflando: [a] Humanus enim halitus, in variis etiam aliis caſibus, ad ſpiritus extimulandos, ad ſanguinem in pulmonibus ſtabulantem reſolvendum, ejuſque circulum renovandum, ad reſpirationem denique reſtaurandam, inſignis efficaciæ reputatur. (b) Ut autem aër immiſſus pulmones petere adigatur, neque per nares Infirmi diffugiat; ſedulò curandum eſt, ut nares ipſæ digitis interea comprimantur,

16. Uerùm inter omnia medicamina, quæ pro Submerſorum ſalute celebrantur, præcipuum juxta Loviſii monitionem eſt tabacci fumus ad inteſtina introductus: cujus inſinuandi modum, & utilitatem pauló ante deſcripſimus. (c) Cum veró fumus iſte internè miniſtratus, mira patrare ſit ſolitus; nullo modo erit prætermittendus. Utiles quoque ſimiliter a Doctoribus reputantur ex eadem ratione Clyſteres. (d)

17. Detardingius aſſerit, Submerſi, qui exanimis omnino, putabatur, ſalutem, ſemel ac ſuſpirium elicuerit, dummodò exinde curatio non negligatur; jam in tuto reponi. Equidem hoc affirmare non auſim; nihilominus eam portui valde proximam judico: ſpes enim conſurgit liberationis non exigua. Suſpirium namque indicat reſpirationem, & ſanguinis circulationem reintegrari cepiſſe; mox ergo redibit deglutitionis facultas, qui data Medicus, quidquid libuerit, propinabit. Poterit igitur eo caſu vomitoria liquida tribuere, ut Æger ingeſtam aquam à ſtomacho effundat, quæ ſi marina fuit, & copioſa, fortè nocitura eſſet in poſterùm. Licebit quoque decoctionem florum Comomillæ Romanæ (r] aliſque artis præſidia tribuere, quæ Infirmum priſtinæ ſanitati reſtituant. Hanc verò Provinciam, uti par eſt, Medicis intactam relinquimus: ea tantùm tractaſſe, contenti, quæ ad Submerſos pertinent, qui non dùm vitæ indicia præbuerunt.

18. Cæ-

(a) Reamur. *in Monit. Regis Galliar. apud Lovis.*
(b) Ranchin. *de morb. ſubit. c.* 12.
Specim.. *Medic. Edemburg. t.* 1. *Relat. Toſſach.* 11. *Novembris* 1732. *apud Bruhier. t.* 1. *c.* 1. §. 8. *fol* 242.
[c] *Hor lib. c.* 16. *n.* 6. *&* vide Bartholin. *Hiſt. Anatom. rent.* 6. *hiſt.* 66.
[d] Lovif. *lib, cit. Obſerv. de Submerſ in exam. rat. fol.* 280. *& ſeq.*
(e) Reamur. *in Monito apud Lovis. lib. rit.*
(f) Forest. *Obſer. Medic. l.* 15. *obſer.* 26.

18. Cœterum illud pro hujuſcemodi Miſerorum eurà ſummoperè, at nunquàm ſatis, inculcandum reputo: ne ſcilicet Adſtantes, & Medici animum deſpondeant, ſi fortè poſt prima tentamina, & experimenta Naufragus in mortuorum figurà perſeveret, & nullum vitæ ſignum oſtendat. Ratiò enim, ex qua eorum aliqui, licet vivi, ſepulti ſunt; ea fuit: nam primis inquiſitionibus in caſſum factis, Medici, vel Alii, qui ad eos liberandos convolaverant, concidentes animo, ſibi ſuaſerunt, illos procuidubio mortuos, qui non niſi ſuperabili morbo implicabantur: ita ut debitis, & moroſè continuatis medicationibus adjuti, poſt pauca minuta, manifeſta præſentiſſimæ vitæ ſigna dediſſent.

19. Porrò teſtatur Detardingius ex quinque Submerſis a ſe in Noſocomio curatis, nonnullos non niſi poſt horam, & ampliùs ſeſe vivere indicaſſe. Contra verò ex illis omnibus, qui ad privatas domos eo tempore delati ſunt, recuperatum fuiſſe neminem: connumeratis etiam iis ipſis, qui adhuc loquela præditi erant, & deinde in deliquium cecidere, quique majorem numerum ſine dubio conflabant: idque ex eo proveniſſe, quòd promptuariis remediis tumultuariè applicitis, eos revera defunctos nimis propera ſententia judicavit: ita ut Aliorum ſocordia illos infeliciſſimæ ſorti derelinquens apparentem ipſorum mortem in veram commutaverit. Propterea Galliarum Rex Anno 1740. celebre Monitum in omnibus Ditionibus ſuis ab inſigni Reamurio conſcriptum publicari, & affigi præcepit: (*a*) in quo cavetur, ne Submerſi, quamquam in ſpeciem animà penitùs deſtituti, ſepulturæ tradantur, niſi exquiſitiſſimæ præcedant perveſtigationes, quibus ad officia vitæ, quam ſæpe occultè retinent, revocari poſſint.

20. In hoc verò Monito non ſolùm curationis methodus præſcribitur, ſed patientia, & longanimitas in continuandis remediis maximoperè commendatur, quamquàm per notabile temporis ſpatium infructuoſa proceſſerint: neque aliquis amicæ ſpei radius interlucere videatur. Experientia enim pateſecit, plures ex hujuſmodi Naufragis nullum vitæ ſignum niſi poſt duas horas indefeſſæ, imò obſtinatæ curationis edere valuiſſe. Idem teſtantur, & ſeriò denunciant Bruhierius, atque Loviſius: & revera monitionis iſtius nunquam obliviſci oportebit: totius enim rei caput eſt, eamque, ſi opus eſſet, variis Doctorum auctoritatibus, innumeriſque aliis repentinorum morborum exemplis evidentiùs comprobarem.

21. Hæc igitur de Naſcentibus Parvulis Aſphixià perculſis, ac de Submerſis, ad utrorumque utilitatem inter alia in hac ſecunda operis editione addenda exiſtimavi. Ea verò non ſolùm Regiæ Medicorum Academiæ Panormitanæ inſignibus undequaque viris florenti, cujus illa graviſſimæ cenſuræ ſubjeci accepta fuere; [*b*] ſed ab hujus Regni Siciliæ Protomedico in ejus perpetuo, & in vim Pragmaticæ ſanctionis condito edicto ſummatim inſerta. [*c*]

LIBRI TERTII FINIS.

(a) *Habetur* apud Lovis. *loc. cit. poſt Memor. de Subm. fol.* 250.
(b) Cenſur. Acad. Pan. *huic Operi præfixa*
(c) In Append. Monum. 5. *n.* 8. *&* 9.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER QUARTUS.

De Dei Charitate erga Nonnatos, deque auxiliis, quæ illis a Parentibus, Parochis, Epiſcopis, & Principibus præſtanda ſunt.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo Deus Parvulis in Utero clauſis media ad ſalutem æternam providerit. Parentum culpæ Nonnatis noxiæ, Pietas verò quàm utilis.

1. CUM ante aliquot annos immanis marmorea columna, Panormum transferenda caſu in tinere confracta eſſet, ac plurimas propterea ex ea columellas Dominis excindere placuiſſet: Opifices illam diſſecantes viventem Vermiculum in ejus interiori cavo repererunt: nec unquam eluxit, quomodo ibi, & progigni, & nutriri, vel aliunde irrepere potuiſſet. Id certè Philoſophica *Genialium* Academicorum ingenia exercuit; & unà fecit, ut ſumma Dei providentia cunctos in ſui admiratione defigeret. Si enim tam accuratè Deus irrationabilibus Creaturis conſulit: quæ non niſi tenuiſſimæ illius umbræ dicendæ ſunt, quàm accuratiùs Hominibus proſpicit ad imaginem ſuam creatis, & ad cœleſtem adoptionem, hæreditatemque deſtinatis? Ipſius profectò erga nos amor non ſolùm præ conſtantia paternus, ſed etiam præ teneritudine pluſquam maternus meritò eſt appellandus: quare ſi tam diſtrictè præcipit Matribus, ut Fœtus, quem utero continent, ſollicitudinem gerant; Legem hanc ipſe ſanctiſſimam non ſervabit, qui in omnibus ſeſe præbet exemplar perfectiſſimæ Charitatis? Et reverà per Iſaiam ita

Digitized by Google

loquutus eſt (*a*). *Qui portamini a meo utero ..... Ego feci, & Ego feram; Ego portabo, & ſalvabo.* Et alibi (*b*). *Numquid oblivisci poterit Mulier Infantem ſuum, ut non miſeratur Filio Uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit; ego tamen non oblivìſcar tui.*

2. His ergo præmiſſis; cum certum ſit Baptiſmi remedium non prodeſſe, Infantibus, niſi per nativitatem ſaltem ut ajunt partialem, & inceptam, vel per Abortum, aut Cæſareum Partum editi ſint: videamus utrum infinita Dei miſeri-cordia modum aliquem paraverit ad Pue-rulos illos ab æterna morte liberandos, qui nec ullo modo ſunt nati, nec per inci-ſionem extrahi poſſunt, & tamen gra-ve periculum ſubeunt, ne ſine Baptiſ-mate moriantur? Et ſane celebris eſt in-ter Theologos controverſia, quo modo Deus media ad æternam ſalutem neceſſa-ria diſpoſuerit his, qui priuſquam orian-tur, occumbunt. Quod ea diſpoſuerit ambigendum non eſt: idque pluribus di-vinarum Scripturarum teſtimoniis libri tertii capite ſexto probavimus: etenim & hi Parvuli ſunt Adæ Filii, eà maculà deturpati, ad quam ſanguine ſuo diluen-dam, Redemptor advenit: propterea cum aliis omnibus in generali illà propo-ſitione; *Vult Deus omnes Homines ſal-vos fieri*, manifeſtè comprehenſi: quæ verba, cum a ſinceriſſima illa, & im-menſa Bonitate procedant, nequeunt eſ-ſe niſi veriſſima, & fideliſſima: difficul-tas tantùm reſidet in explicanda ratione, qua eadem Bonitas, quæ omnipotens ſimul eſt ac ſapientiſſima, tam miſericor-dis conſilii executioni conſuluit.

3. Bellarminus quidem, Suarez, & Alii ſentiere, Deum inſtitutione Sacra-menti Baptiſmatis, providiſſe: cujus ta-men applicationem a concurſu, & oc-curſu cauſarum ſecundarum naturalium, & liberarum quæ Parvulos ante ortum occidendo, Baptiſmo viam præcludere poſſunt; pendere voluerit: ita ut, quantum ad ſe pertinet, eorum æter-nam ſalutem efficaciſſimè velit: dum-modo impedimenta non obſint. Impe-dimenta, verò iſta, quamvis a Deo præ-viſa, nullatenus tamen eſſe ab eodem in-tenta, ſed ob alios tantummodo altiſſi-mos fines inſerutabili decreto permiſ-ſa. Verùm cum hæc ſententia naſci quan-doque impedimentum a cauſis naturali-bus, quæ liberæ non ſunt, ſed neceſſa-riæ, patenter admittat; non videtur ſal-vare, uti debet, concedi Pueris omnibus auxilia reverà ſufficientia, ſed interdum Aliquibus remotè ſolùm præparari.

4. Hęc objectio impulit Vaſquezium, (*c*) ut apertè diceret, Deum quidem proximè conſuluiſſe Pueris, qui mater-no in Ventre Parentum negligentià di-ſpereunt: non tamen iis, qui ex ſolà na-turæ debilitatè moriuntur. Hanc opinio-nem ipſe veram, & magis communem appellat, ſed immeritò: contrarium enim ſcribit Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus (*d*) Vaſquezii coætaneus, & in perfectione chriſtiana Sancti Franci-ſci Saleſii Diſcipulus, ac Sancti Vincen-tii à Paulo Magiſter. Duvallius, inquam, cujus Doctrinam non minus quam Pieta-tem Saleſius mirabatur; magis commu-nem, magiſque fundatam vocat ſenten-tiam aliam, mihi ſanè gratiſſimam, quæ, verè Deum omnibus Infantulis auxilia ſufficientia ordinaſſe, propugnat. Eam-que ſimiliter Viva teſtatur hodiernis Theologis maximopere acceptam. (*e*)

5. Verùm in quonam auxilia illa conſiſtunt? Creditur Deus æternam In-fantulorum ſalutem Parentum precibus annexuiſſe: quatenus ubi orarent iſti, quædam bona opera facerent, quædam

pec-

(a) Iſai. 46. 3. & 4.
(b) Iſai. 49. 15.
(c) Vaſquez *p. p. diſp.* 69. *c.* 2.
(d) Duvall. *tom.* 1. *de Grat. n.* 407. & 408.
(e) Viva *in Propoſ.* 4. & 5. *Alex.* 8.

Digitized by Google

peccata vitarent; Deus eorum Filios incolumes ad nativitatem uſque tueretur. Addiſque Duvalius Deum non rarò naturales cauſas, quæ mortem Puerulo inferrent benigniſſimè immutare, propter matris probitatem, orationeſque prævisas.

6. Communiori huic Doctrinæ, cæteroqui divinæ Miſericordiæ adeo conſentaneæ; nonnulli oppoſuere, quod Sanctus Auguſtinus pluribus in locis, & præſertim in Epiſtola 105. adnotavit. *Quid dicam de inopinatis, & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus ſæpe religioſorum Chriſtianorum, præveniuntur, & Baptiſmo præripiuntur Infantes? Cum è contrariò Sacrilegorum, & Inimicorum Chriſti aliquo modo in Chriſtianorum manus venientes, ex hac vitâ non ſine Sacramento Regenerationis emigrant.* Et alibi de gratia & lib. arbitr. cap. 22. *Et aliquando Filiis Infidelium præſtatur hæc gratia, dum occultâ Dei providentiâ in manus Piorum quomodocumque proveniunt: aliquando Fidelium Filii non eam conſequuntur, aliquo impedimento exiſtente, ut poſſit periclitantibus ſubveniri.* Et in Epiſtola 107. *Aliquando cupientibus, feſtinantibuſque Parentibus, Miniſtris quoque volentibus, & paratis, Deo nolente non datur: cum repente antequam detur, expirat, pro quo ut acciperet currebant.* Idipſum Sanctus Proſper (a) in diſſertatione perpendit, quam ipſi Anthelmius adjudicat contra Queſnellium, Divo Leoni attribuentem. (b)

7. Ad hæc, & ſimilia Patrum dicta, facillima erit reſponſio: ubi ſcilicet Impiorum Hominum Filii baptizantur, manifeſtatur profectò electionis divinæ beneficium, quod nulli prorſus injuriam irrogare certiſſimum eſt. Ubi verò Piorum Chriſtianorum Filii antequam oriantur, ſine Baptiſmo decedunt; non inde tamen inferri poteſt, eis auxilia ſufficientia fuiſſe denegata: eodem planè modo, quo Adultorum prædeſtinatio, nihil officit, quominus etiam Præſcitis auxilia neceſſaria conferantur: & revera fortaſſe Parvulorum iſtorum Parentes, licet hodie ſpeciali præditi virtute, aliquod enorme peccatum olim perpetrarunt; vel etiam ad præſens aliqua veniali culpâ maculantur; in quorum pœnam Filios adèo debiles genuere. Poſſibile inſuper eſt eos aliquem virtutis actum omiſiſſe, cui alligatus ac præparatus fuerat divinus ille favor, quo eorum Proles viva, & incolumis ederetur, Nocuit fortè Parvulis peccaſſe quondam non ſolùm Parentes, ſed & Avos, aliquo præſertim intemperantiæ, puta ebrietatis, aut alterius ſpeciei delicto, a quo etiam phyſicè Fœtus debilitas morbuſque originem duxerit; cum cæteroqui Omnipotentem Dominum punire uſque ad quartam generationem, remunerari uſque ad milleſimam a Sacris Bibliis audiamus.

8. Hæc pœna maximè locum ſibi vendicare poteſt in culpis, quæ tum in uſu conjugii, tum in electione ipsâ ſtatus conjugalis perſæpè committuntur. In his enim finis nequit eſſe libido, vel avaritia, ſed procreatio, & recta educatio Prolis, vel ſaltem concupiſcentiæ remedium. Sed heu quam pauci ſunt, qui veraciter in Deo poſſint cum Tobia gloriari! [c]. *Et nunc, Domine, tu ſcis, quia non luxuriæ causâ accipio Conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.* Eccleſia quidem præcipit Parochis (d), ut Fideles moneant, ne matrimonium celebrent, niſi Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis ritè admodum expiati: neve illud conſummment, neque cohabitent, niſi nuptiali benedictione re-

(a) S. Proſper *in carm. de ingrat. & in lib. de vocat. Gent.*
(b) Anthelm. *in diſſertat. de Oper. SS. Leonis M. & Proſperi.*
[c] Tob. 8. 9.
(d) Ritual. Rom. *in Rubr. de Sacr. Matrim.*
Miſſal. Rom. *in Rubr. Miſſ. pro Sponſo, & Sponſa. Vide etiam:*
Concil. Carthag. 4. *Can.* 13.
Concil. Mediol. 5. *ſub S. Carol. Borrom.*

cepta: ſed continentiam ſervent diebus orationi, & jejunio conſecratis; præſcribit etiam Parochis ut propoſitis Tobiæ, ac Saræ illuſtribus exemplis, verbiſque Raphaelis Archangeli, Sponſos circa modum diligenter inſtituant, quo, ad matrimonium piè contrahendum accedere oportet, & in eo converſari; Tobiam ſanè Archangelus commonefecit, ut per triduum poſt initum ſanctè Conjugium a thalamo abſtineret. Sic enim ptima nocte fugaret Dæmonem, odore ſcilicet perculſum Orationis, cujus typus erat Iecur ille Piſcis, a Tobia eodem tempore concremandus. Secundà verò nocte dignus baberetur conſortio, & merito Sanctorum Patriarcharum. Tertia poſtremo divinam benedictionem impetraret; quà & Filii vivi, ac benè compacti naſcerentur, & ipſe fæliciſſimus Pater evaderet. *Tertià autem nocte benedictionem conſequeris, ut Filii ex vobis procreentur incolumes: tranſactâ autem tertia nocte, accipies Virginem cum timore Domini, amore Filiorum magis, quam libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in Filiis conſequaris* [a]. Sanctus Ludovicus Galliarum Rex hoc angelicum documentum implevit. Sancta etiam Heduvigis à Marito continentiam diebus jejunio, & orationi dicatis obtinuit. Similia item alii Dei Servi, piique Fideles perfecerunt. At ſive ex voluntatis malitià, ſive ex fragilitate, ſive ex defectu attentioris conſiderationis, divina circa prædicta ordinatio vulgò floccipenditur. Scio Parochos non tam facilè poſſe in hujuſmodi rebus Populum ſuum accuratè erudire. Commodum tamen eſſet, ſi in Parochiali Templo, ut alicubi factum eſt, Sponſis omnibus de futuro utriuſque ſexus diebus præſtitutis, horiſq; pomeridianis, coram eorum utriſque Parentibus, apertis quidem januis, excluſis verò Pueris, aliiſque ſimilibus, quos adſtare non decet; catechiſmi Turlotiani pars ad matrimonium ſpectans, vel alterius, ab Epiſcopo tamen probati, prælegeretur: ubi modeſtè ſit indicatum quidquid Eccleſia præcipit præmonendum: cui ſanè lectioni utrique ſponſi tribus vicibus interſint, ut ita, & diſciplina conſtaret, & non pauca, nec levia mala evitarentur. Hoc enim pacto neutiquam timendum eſſet, ne qui docet, ex libro dumtaxat recitans, in verba minus circumſpecta, vel indecentia prolabatur.

Eccleſia profectò & inſtructionem hanc in Rituali expreſsè mandat, & in Miſſali apertè jubet ut Parochi in ipſa nuptiarum Miſſa Sponſos de continentia in diebus jejuniorum, orationiſque peramanda commonefaciant. *Hi namque* ut Raphael Angelus ad Tobiam dixit, (*b*) *qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent ſicut Equus, & Mulus, quibus non eſt intellectus; habet Dæmonium poteſtatem ſuper eos.* Quæ cum ita ſint, mirabimur, ſi intemperantiæ Filii Divinæ ſpecialis protectionis expertes, ad lucem vivi quandoque non veniant, ſed in Matris ventre diſperdantur? Conducet autem hæc, & ſimilia Obſtetricibus tradere, ut pro renata honeſtè indicent Mulieribus earum miniſterio utentibus quænam inter Conjuges licita, vel illicita ſint; edoceantque ex ipſorum Conjugum luxuria, & inordinationibus in uſu Matrimonii Abortus, Monſtra, Partus deſperatos, mortemque Puerperarum interdum provenire. [*c*]

9. Cum ergo probitas, vel malitia Parentum, ſive ad bonum, ſive ad malum etiam Filiorum magni ſanè momenti ſit; pro divinâ ſalvandâ miſericordià, ſufficit aſſerere, eam ad Parvuli ſalutem ſufficientia media præordinaſſe, Genitoribus auxilia ſubminiſtrando, quibus peccata vitarent, vel bona opera exequerentur, quorum auxiliorum recto uſui

Deus

[a] Tob. 6. 18 *& ſeq.*
(b) Tob. 6. 17.
(c) Schench. *l.* 2. *l.* 4. *de molis obſerv.* 200.
Lemn. *de occult. nat. mirac. lib.* 1. *c.* 8.
Bianchi *de natur. &c. gener. p.* 2. *pag.* 76.

Deus favorem illum piè alligaverat, quo Puer incolumis naſceretur; eorumdem verò auxiliorum neglectui permiſſionem, qua ipſe Puer in utero ex cauſarum ſecundarum occurſu, & pravitate læderetur. Quod autem Deus tetetrimi Peccatoris, & omnem clementiam demerentis Filium robuſtum generari diſponat, ut hujus mortem, quę aliter ex combinatione cauſarum ſecundarum inevitabilis eſſet, avertat: contra verò piiſſimæ Genitricis exiguam cibi intemperantiam tam ſeverè ulciſcatur, ejus Infantuli mortem permittendo; hoc ad ſublimitatem pertinet divinorum Judiciorum, quæ ſunt nobis omnino inſcrutabilia: *Tu noli inveſtigare ſi non vis errare*: dicebat in ſimilibus Auguſtinus. Nobis nimirum ſatis eſt ſcire, Deum ubi nos ab æterna morte liberarit, miſericordiam; ubi verò punierit, juſtitiam exerciturum. Quamobrem cum Apoſtolo exclamandum. *O altitudò divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Deì, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Divus ipſe Proſper (*a*) ſatis edocere videtur: Deo non eſſe imputandum, quod hi Pueri ſine Baptiſmo deceſſerint, ſed Parentibus; in quorum perſonis generalia Parvulis ac ſufficientia auxilia largitus erat, quæ nulli rationabili Creaturæ denegantur: quamquam Genitoribus eadem parvipendentibus, Filioli abſque Baptiſmo perierint. Et viceverſa ipſius Dei Miſericordiæ tribuendum veniat, ſi aliis Parvulis efficaciora, & ſalubriora auxilia, non obſtante Parentum nequitià, concedantur: ita ut Filioli ſalutem fauſtiſſimè accipiant, illis, ut ita dicam, invitis. *Et cum quærimus quomodo omnes Homines ſalvos fieri volit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntoriam fidem percipiendæ gratiæ ſint capaces? Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum Homines, ad illam pertineant gratiæ partem; quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, qua utique, ſi benè uterentur Parentes; etiam ipſi per eoſdem juvarentur: omnium namque exordia Parvulorum, totaque illa principia nec rationalis infantiæ ſub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis niſi per alios conſuli poteſt: & conſequens eſt illos ad eorum pertinere conſortium, quorum vel recto, vel pravo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confeſſione credunt; ita ex aliena Indeliſſimis, aut diſſimulatione non credunt. Et cum ipſi nec præſentis vitæ deſiderium habuerunt, nec futuræ; quàm ipſorum factum eſt naſci, tam ipſorum efficitur non renaſci. Sicut autem circa Majores præter illam generalem gratiam parciùs, atque occultiùs omnium Hominum Corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute Vocatio ſpecialis exeritur; ita etiam circa innumeros Parvulos eadem manifeſtatur electio: quæ quidem nec illis, qui renati non ſunt in Parentibus defuit: ſed in his qui renati ſunt præ Parentibus adfuit: itaut multi ſæpè, quos ſuorum impietas deſeruit, alienorum cura ſervaverit; & ad regenerationem venerint per Extraneos, quæ eis non erat providenda per Proximos. In quo opere gratiæ quis, niſi arrogantiſſimus, atque vaniſſimus, de divina Juſtitia conqueratur, quod non omnibus Parvulis ſimili providentià conſulot? Omniaque pericula, quæ moriturorum regenerationem prohibere poſſunt, aut poteſtate ſubmoveat, aut miſeratione præveniat? Quod utique erga omnes ita fieret, ſi ita fieri deberet. Non autem latet, quantùm Cordibus Fidelium deſidiæ gigneretur, ſi in baptizandis Parvulis nihil de cujuſquam negligentià, nihil de ipſorum eſſet mortalitate metuendum: quandoquidem ut tales Baptiſmo fraudarentur, nullo modo poſſet accidere.* At quamquam Sanctus Proſper de Pueris jam Natis hic agat, qui, uti notatum eſt, etiam ab Extraneis adjuvari phyſicè poſſunt; idem tamen à fortiori in ejus ſententia dicendum eſt de Nonnatis, quibus nullo modo

phy-

(a) Lib. *de Vocat. Gent. c.* 8.

phyſicè auxiliari poſſunt Extranei: e contra maximam opem conferre valet Parentum ſolertia cum temperantià charitate, & oratione conjuncta, ut vivi ad Nativitatem uſque ſerventur: cum enim tandem Nonnati, non minùs quam Nati, ſint Homines; debet juxta ejuſdem Sancti Doctoris principia, verum in utriſque illud Apoſtoli effatum judicari. *Deus vult omnes Homines ſalvos fieri*. Quamvis quibuſdam præ aliis validiora, & nobiliora nihilominus auxilia impertiatur.

10. Et quidem Gregorii III. Canon pœnitentialis quondam in Mulieribus Abortus involuntarios tribus quadrageſimis puniebat. Græca verò Diſciplina, ævi etiam præſentis, in hujuſmodi Abortus animadvertit, ut patet ex Euchologio, ubi etiam legitur oratio pro reconciliatione Abortientium: præſumit enim ex aliqua earumdem negligentià, aliove peccato Deum, cœteroqui Puerorum Protectorem, Abortum, & ex eo Infantis perditionem permiſiſſe: quod Goar cum Blaſtare celebri Canoniſta, aliiſque Doctoribus orientalibus tradidit. *Ex inſidiis*, ait Blaſtares, (a) *Inimici, nulla in re Parente utroque delinquente, quamvis quod contigit veniam mereatur: moderata tamen indiget caſtigatione: propter quædam enim multa alia peccata a Domino Infantes ſervare ſolito tantus auxilii defectus proceſſiſſe videtur*. Deus enim tanta charitatis plenitudine Infantes utero contentos proſequitur; ut acriter ſuam indignationem interminet iis, qui Prægnantes occiderint: *ſuper tribus*, ait, (b) *ſceleribus Filiorum Ammon, & ſuper quatuor non convertam eum, eo quod diſſecuerit Prægnantes*. Profectò expediret ut Parochi, Mulieres etiam involuntariè abortientes, aliquà moderata caſtigatione juxta prædictam diſciplinam pro cautela mulctarent. Quod etiam prodeſſet in poſterum, ut illæ nimirum ab Abortibus magis magiſque deterrerentur.

CAPUT SECUNDUM.

De quorumdam Sanctorum ante ortum ſantificatione extraordinaria: & utrum aliquod admittendum ſit remedium pro Infantibus Utero penitus circumdatis.

1. SÆpè igitur conſervatio vitæ Pueruli in ventre Genitricis, ejuſque ſanitas, & fælix ortus, ut Baptiſmate donetur, fructus eſt probitatis, orationiſque Parentum: dum enim adhuc in Materno carcere prorſus abſconditur, nullo remedio ordinario ſalvari valebit. Poſſet profectò Deus illum ibidem ſanctificare: ſicuti SS. Auguſtinus (c), Thomas, Bonaventura, Beatus Albertus Magnus, & omnes alii communiſſimè docuerunt: non enim, ut ait Divus Thomas [d], Deus legi Sacramentorum potentiam ſuam alligavit. At favor iſte de paucis tantummodo prædicatur. Et quidem de Beatiſſima Virgine Maria nihil hic attinet dicere. Ea enim ſingulariſſimo proſus privilegio in primo ipſo Conceptionis inſtanti gratià, omnibuſque cœleſtibus donis ditata pleniſſimè fuit. Cœterum in veteri Teſtamento ſanctificatum fuiſſe, quamquam ex intervallo, Hieremiam, & in novo ſimili favore dignatum Joannem Domini Præcurſorem con-

[a] Blaſtares apud Goar. in Euchol.
[b] Amos 1. 13.
[c] S. Auguſtin. t. 2. *novæ edit. epiſt.* 187, *ad Dardan.*
[d] S. Thom. *in* 3. *p. q.* 27. *art.* 1. *ad* 2.

concordi calamo Theologi ſcribunt: & ſi olim utrum ipſe tantùm exultaverit in utero; an verò gratiam quoque receperit dubitaverit Auguſtinus. Hac etiam prærogativa decoratum fuiſſe D. Joſephum, valde probabiliter, non pauci ex Doctoribus arbitrantur.

2. De reliquis tamen Dei Servis, uti ex Auguſtini doctrina Gerſonius animadvertit; res adeo præcellens nequit affirmari. Niſi eam vel per aliquod ſignum a Deo ipſo, vel a Sanctis Patribus, qui ſpeciali divino lumine illuſtrabantur, edoceamur. Sanè Sanctùs Hieronymus inſigne hoc beneficium Sanctæ Aſellæ collatum putavit, quæ in utero benedici viſa eſt, & Patri in figuram phialæ criſtallinæ, atque puriſſimæ ante nativitatem oſtenſa. [a] Idem privilegium Sanctus Ambroſius [b] Patriarchæ Jacobo conceſſum credidit, propter hujus luctam cum Eſau, qui typum gerebat Hominum iniquorum. Sanctus verò Ephrem Syrus Moyſi [c] Prophetæ ac Legislatori. Nonnulli deinde Santo Nicolao Myrenſi Epiſcopo, quod adhuc nonnatus jejunaverit. Idem de Sanctò Benedicto dixere Alii: quia, priuſquam naſceretur, divinas laudes concinere auditus ſit. Alii de Sancto Dominico, qui per quietem viſus eſt Matri ſub Catuli ſpecie, ore facem præferentis, qua, editus, Orbem Terrarum incenderet. Plerique tandem cum Trithemio, Petro de Alva, Petro Cantore Pariſienſi, Ægidio Camarto, & Cornexo in diſputatione Romæ coram Cardinalibus habita, ſimiliter de Elia ſecundo Chriſti Præcurſore ſenſerunt, quem Pater, antequam veniret in lucem, igne veſci, & ab Angelis ſalutari conſpexit. Hujus oſtenti meminit liber *de Vita Prophetarum*, Bellarmino legitimum Sancti Epiphanii opuſculum, at Natali ab Alexandro ſuppoſititium. Verùm has & hujuſmodi viſiones accipiunt Alii veluti mera futuræ ſublimioris vocationis, non verò gratiæ præſentis indicia. Utut ſit, cum favor hic, etſi fortè aliis Sanctis ab aliis Doctis Viris aſſeratur, ſit valde infrequens: orandus eſt Dominus, quò Pueri vitam in Matris ventre conſervet, ut inde vivus egrediens tandem aliquando capax fiat ſuſcipiendi Baptiſmatis.

3. At quid agendum in caſibus deſperatis? Joannes Gerſonius in oratione *de Nativitate Virginis Mariæ* in Generali Conſtantienſi Concilio habita, monuit, Deum a Parentibus eſſe obſecrandum. *Quatenus Infans necdum natus, ſi fortè moriturus eſt, priuſquam ad Baptiſmi fluminis gratiam pervenire valeat; dignetur ipſum Dominus Jeſus Summus Pontifex Baptiſmo Spiritus Sancti præveniendo miſericorditer conſecrare; quis enim ſcit, ſi forte exaudiat Deus? Imò quis non devotiùs ſperare valeat, quod orationem Humilium, & in ſe ſperantium nequaquam deſpiciat? Proficit hæc conſideratio ad exercitationem devotionis in Parentibus, proficit ad levandam eorum anguſtiam, dum ſine Baptiſmo decedit Puer: quia non omnis inde ſpes ſublata eſt: ſed neque abſque revelatione datur favoris certitudo.*

4. Res quidem non eſt impoſſibilis exiſtimanda. Nam præterquamquod poteſt Deus, ubi velit, eximiâ ſane dignatione, hujuſmodi Puero abſque alio medio juſtificantem gratiam, & virtutum habitus infundere, vel jubere ut ab Angelo baptizetur, quo caſu Baptiſmus, quia non ab Homine viatore miniſtratus, eſſet impropriè Sacramentum; his etiam utpote prorſus extra ordinem prætermiſſis, manifeſtum eſt, poſſe illi rationis uſum elargiri, efficacibus auxiliis eum ad actus Fidei, Spei, & Charitatis, & Baptiſmi deſiderium impellere, atque ita per Baptiſmum in voto a perditione liberare; quamvis enim ex hiſtoriis compertum non ſit, utrum Dominus a Fidelibus exoratus id aliquando præſtiterit; ex Fide tamen didicimus eum eſſe Omnipotentem, ac multò majora iſtis efficere perquàm facillimè poſſe.

Et

[a] S. Hieronym. *Epiſt. 15. ad Marcell.*
[b] S. Ambroſ. *l. 4. de Fide c. 4.*
[c] S. Ephrem. Syr. *Orat. de Traſfiguratione Domini.*

Et ſicuti ob Parentum vel aliorum preces, ut alibi notavimus, [a] plures ad vitam revocavit Infantes abſque Baptiſmate mortuos, ut eo emundarentur, ac deinde in ſtatu gratiæ decederent: ſique laudabile fuit, quemadmodum exitu ipſo comprobatum eſt, Deum in hujuſmodi eventibus deprecari, ut ab eo tam inſigne miraculum, mortuorum ſcilicet reſurrectio, patraretur: imò ſi pluribus Dei Servis licuit ab ipſo Volucrium, Piſcium, aliorumque mortuorum Animalium reſurrectionem impetrare, quorum miſeratione tenebantur: cur non licebit etiam, præſertim Parentibus, a Deo expetere, ut Parvulo ſecus perituro, uſum rationis acceleret, eumque ita ad credendum ſperandum, & diligendum illuminet, & incendat, ut æternam ſalutem inviſibili medio conſequatur?

5. Quidam hoc Gerſonii dictum cum alio Cardinalis Cajetani, perperam tamen, confudere: ſunt enim planè diverſa, & tamquam diverſa ea commemorat Pallavicinus. [b] Opinatus eſt Cajetanus, ubi Parvulus natus ſit, & morti proximus, & aqua deſit ad baptizandum; expedire, ut in his anguſtiis Parentes Filiolo propriam applicent Fidem per aliquod tamen ſenſibile ſignum, verbi gratià Crucis: illum in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis benedicentes. Putavitque Deum, ſicuti olim in Lege Naturæ medià Parentum Fide, cum ſigno ſenſibili unità, Sacramento ſcilicet ejus ætatis, Pueros ab originali peccato mundabat; idipſum & in præſenti facere, ſi tempus, fortè non ſuppetat ad baptizandum: [c] *Debet in tali caſu Parens ſigno Crucis Infantem cum invocatione Trinitatis munire: ſicque Deo offerre morientem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Eademque extendit ad Parvulum in utero periclitantem. *In articulo undecimo occurrit ſcribendum, & conſequenter dicendum, ſub correctione tamen, Parvulos in maternis uteris periclitantes poſſe ſalvari per Sacramentum Baptiſmi non in re, ſed in voto ſuſceptum, cum aliqua benedictione Prolis, ſeu oblatione ipſius ad Deum cum invocatione Trinitatis*. Porrò Gerſonii ſenſus, quamquam ab eo in tam celebri Concilio prolatus, neminem, qui reclamaret, offendit. Cajetani verò dictum paucis poſt annis a Theologis Tridentinis in errorum ſchedulam relatum eſt, ut a Concilio damnaretur. Excuſavit quidem illud Cardinalis Seripandus, qui Synodo præerat, a cenſura, obtinuitque. ne proſcriberetur, eo quòd in præſenti ſeſſione de hujuſmodi materia non eſſet agendum. Nec defuere quidam Recentiores relati a Serra [d] & Caramuele, [e] citantibus pro illis Gabrielem, & malè etiam Gerſonium, qui Cajetani opinionem probabilem reputaverint: nihilominus Alii communiſſimè repulerunt: Suarez uti temerariam, & errori proximam, Sotus ut hæreticam ſugillat: Sanctus vero Pius Quintus a Cajetani Libris, cum imprimerentur, expungi mandavit; quod in ſequentibus edictionibus tam egregii Theologi factitatum, de quo Canus ajebat: [f] *Summis Ædificatoribus Eccleſiæ parem eſſe potuiſſe, niſi quibuſdam erroribus doctrinam ſuam, quaſi cujuſdam lepræ admixtione fœdaſſet*.

6. Erravit ergo Cajetanus: nam ſicuti ſacrificia Legis naturalis, & ſcriptæ non ſolùm mortua, ſed & mortifera in novo Teſtamento evaſerunt; ſic abrogata ſunt prorſus remedia pro temporibus illis, ad peccati originalis purgationem

[a] Supra *lib.* 2. *c.* 13. *n.* 1. *&* 2. *Vide etiam* S. Auguſt. *ſerm.* 323. *&* 324. *de diverſ.*
[b] Pallavic. *Hiſt. Concil. Trident. lib.* 9. *c.* 8.
[c] Cajet. 3. *p* *q.* 68. *art.* 2. *&* ibid. *art.* 11.
(d) Serra *quaſt.* 68. *art.* 2.
[e] Caramuel. *in Theolog. fund. c.* 7. *fundam.* 64.
Gabriel. *in* 4. *diſp.* 4. *q.* 4. *q.* 2. *art.* 3.
[f] Melch. Can. *de Loc. Theolog. l.* 7. *c.* 3.

nem ordinata. Cum hoc autem ſit indubitabile; nimis audax & vanum eſſet ſperare, Deum per media jam abolita, quamvis urgente neceſſitate, gratiam collaturum. Juſtificat quidem Baptiſmus in voto: at votum oportet ut ſit ipſius Hominis juſtificandi, non Aliorum, & inſuper cum Charitate conjunctum.

7. Igitur adeo longè uti Cajetanus, non progreſſus eſt Gerſonius: ſed tantùm dixit, poſſe Deum, ſi velit, Parentum precibus exoratum Infantem juſtificare: quod, ut ſupra notavimus, facere per ſe ipſum immediatè poſſet ſine Baptiſmo, & ſine ulla Parvuli cooperatione, ſed ſolà Omnipotenti Miſericordiá ſuá, quæ nullis limitibus coercetur: fas enim illi eſt ſanctificationis regulæ a ſe conſtitutæ diſpenſare, uti Patres ac Theologi apertè docuerunt. Verùm quia favor hic, a conſueta juſtificationis via deflectens, miraculum eſſet in linea gratiæ, majus propterea ipſa reſurrectione mortuorum; intelligi poteſt Gerſonis opinio non de ſanctificatione immediata ſine ulla ſcilicet Pueri cooperatione: ſed de alia certè minùs difficili: ſi nimirum Deus, accelerato Infanti rationis uſu, eum ad actus Fidei, Spei, & Charitatis, ac Baptiſmi deſiderium excitaret; atque ita gratiam per Charitatis actum infunderet. Ratiocinii namque acceleratio miraculum quidem eſſet, ſed in linea tantùm naturali conſiſteret, nec ad ſupernaturalem ordinem, ſeu modum ſanctificandi pertineret. Quis verò neſciat eum, qui Baptiſmum optat, ſi ſimul credat, & ſperet, & amet; etiam ante Baptiſmum reipſa ſuſceptum, a peccatis ex ipſa communi juſtificationis lege mundari? Quo verò ad præviam inſtructionem de fidei myſteriis, poſſet Deus illam per ſe, vel per Angelum Parvuli Cuſtodem ſupplere: ſi enim Homo Hominem docere valet, cur non Angelus Hominem? Cœteroqui Novi, & Veteris Teſtamenti paginæ innumeris abundant ſupernis loquutionibus, viſibus, aliiſque illuſtrationibus, quæ a Deo ſive per ſe, ſive per Angelos Hominibus immiſſæ ſunt, ad quorum æternam ſalutem infinità bonitate ſuà opera certè in immenſum præcellentiora perfecit. Cum autem Deus poſteriori hoc modo, ſine diſpenſatione legis ordinariæ, poſſit, quamvis a nemine rogatus, & ſolo miſericordiæ ſuæ inſtinctu, Puerum ſanctificare; cur non faciliùs idem operari queat, Genitoribus aut Aliis exorantibus? Eſſet tamen proculdubio favor hic eximius, & admirandus, ab orationis efficacià impetratus, nequaquam verò Sacramentum, vel commune remedium, quod Cajetanus inducebat. In Evangelica enim Lege: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*: Quapropter inconcuſſum ſemper erit, nullum ampliùs dari Sacramentum culpæ originalis expiatorium, præter Baptiſmum.

CAPUT TERTIUM.

Quæ Parentes pro ſalute Filiorum Nonnatorum agere oporteat.

1. CUm igitur Sacramento ad Nonnatos in utero clauſos juſtificandos careamus, evidens eſt, debere Parentes aſſiduè, præſertim in periculis, divinam implorare clementiam ad vitam illorum tuendam, ut congruo tempore in lucem egreſſi Baptiſmum conſequantur: ſperandum eſt enim excelſam illam Bonitatem non permiſſuram orantes tam æquo deſiderio fraudari; & hæc eſt via, qua Deus Infantulos ad regenerationis lavacrum perducere conſuevit, imò preces ipſæ eo majori pollebunt efficacià, quò magis cum pià, atque illibatà vità conjunctæ: ſcriptum eſt enim. *Miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum*, [a] & Pſal. 102. *Et juſtitia illius in Filios Filiorum his, qui ſervant teſtamentum ejus, & memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea*. Sicuti viceverſa miſeretur Deus Parentum amore Filiorum. Sanè traditur Sanctæ Brigittæ Mater, dum eam utero gereret, penè miraculo à naufragio, quo plurimi ex eadem Navi perierunt, evaſiſſe, nam ſequenti noctæ cœlitùs accepit, ſe in gratiam Nonnatæ Puerulæ præſervatam. Brigitta igitur ad Dominum ſpeciali jure dicere potuiſſet: de ventre Matris meæ tu es Protector meus.

2. Summa ergo ſolertia Paſtores, aliique Sacerdotes, & pro ſuggeſtu, & pro ſedibus ad Confeſſiones peccatorum excipiendas deputatis de re tanti momenti Populum doceant: nimirùm ſi Parentes pro Filiis orare ſemper tenentur, majori hoc aſſiduitate, & contentione tunc exequi debere, dum adhuc illi maternis viſceribus continentur, propter varia, quibus iidem ſubjacent, pericula pereundi ſine Baptiſmate: & hoc ipſum a Domeſticis, cæteriſque Chriſticolis factitandum, tum pro Nonnatis omnibus in univerſum, tum etiam ardentiùs pro iis, quibus aliquod grave malum impendet. Quod certè orandi ſtudium pro Nonnatis in S. Philippo Nerio eximiè refulgebat. Magna quidem ad obtinenda à Deo beneficia, eſt orationis neceſſitas: quandoquidem ipſæ primæ gratiæ ſupponunt ſaltem Chriſti Domini, & Eccleſiæ preces: quamobrem communiter Theologi ex Auguſtino, nullam, docent, nobis conferri gratiam, niſi medià poſtulatione, ſi non a nobis facta, ſaltem pro nobis. Hæc eſt enim vas, quo ab immenſo Divinæ Bonitatis Oceano beneficiorum hauritur aqua: propterea Divus Jacobus etiam privatos Homines monebat: *Orate pro invicem, ut ſalvemini*. At ſi Fidelium orationes, ut Omnes norunt, converſionem a Deo etiam Sceleſtiſſimorum, & Infidelium impetrant; quorum ſaluti reluctantur ſpecialia peccatorum, nunc habitualium, nunc actualium, quibus ſæpè immani & obſtinatiſſimo affectu, agglutinantur, mala merita: quanto magis Infantulis iſtæ opitulari poterunt, ut Deus ad Baptiſmi gratiam eos perducere ſua protectione dignetur: cum ipſi alià culpà, præter quam originali, non deturpentur? Hoc ipſo argumento Sanctus Cyprianus cum Africano Concilio [b] eſt uſus ad eos confutandos, qui Baptiſmum Infantium ad octavum à nativitate diem protrahere

[a] Luc. 1. 50.
[b] S. Cyprian. *cum Concil. Afric. epiſt. 59. ad Fidum*.

re olim conſti ſunt. *Porrò autem ſi etiam graviſſimis Delictoribus, & in Deum multùm ante peccantibus, cum poſtea crediderint; remiſſio peccatorum datur & à Baptiſmo, & à gratia nemo prohibetur: quantò magis prohiberi non debet Infans, qui recens natus nihil peccavit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primà nativitate contraxit, qui ad remiſſionem peccatorum recipiendam hoc ipſo faciliùs accedit, quod illi remittuntur non propia, ſed aliena peccata.* Ideſt non ejus proprià voluntate, & arbitrio commiſſa. Si ergo pro Peccatoribus omnibus, quamvis ipſi per ſe rogare valeant, orandum eſt; quam vehementiùs, ac fidentiùs id faciendum pro Parvulis his, ut vivi in lucem veniant, qui poſtulandi omninò incapaces noſtrarum precum ſubſidia præſtolantur? Cum cœteroqui eorum ſalus a Divina tantùm Providentia pendeat, quæ eorum amantiſſima remedium tam facile, ac promptum in Baptiſmate præparavit. Expedit ergo ſupra quàm credi poſſit, Prægnantes toto graviditatis tempore Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta frequentiùs ſuſcipere, templa Sanctorum Tutelarium inviſere, Sacerdotum, Religioſorum, aliorumque Dei famulorum orationes expetere: ſeſeque in ſpecialibus chriſtianæ pietatis actibus exercere. Item non ſolùm precandi formulam à Divo Francisco Saleſio pro Gravidis concinnatam (de qua pleniùs infra) quotidie recitare: ſed & ſingulis horis Prolem Deo per Beatæ Mariæ Virginis manus, juxta ejuſdem Saleſii monitum, offerre: Sanctorum denique Innocentium patrocinium ſæpiſſimè invocare. Operæ tamen pretium eſt, ut Patres quoque ſimilia huc uſque dictis, ex pari debito uſurpare contendant.

3. Sanctus Carolus præter quotidianas orationes præſcribit Matris partui jam proximæ acceſſum ad templum, ac normam ſtatuit, qua Sacerdos ante primarium Altare pro illa deprecetur, ipſique benedicat. (a) *Hoc etiam Parentes, & Domeſticos, prout opportunitas feret, admonebit, Parochus pro Fœtu, qui in utero eſt, Deum aſſiduè, intimèque precari: ut ille incolumis in lucem edatur, dignuſque ſit, antequam obeat, Baptiſmi gratiam recipere: ne ſine ſalutis Sacramento decedat. Et quod piæ devotionis eſt; id quoque, prout uſu venerit, admonebit: ut tempori pariendi propinquo Mulier ad Eccleſiam accedat, ubi pro ea præſente Sacerdos oret. Mulier autem eo nomine cum venerit, piè, ac devotè ad Altare majus benedictionem ſuſcipiet, quam ille ritè adhibebit, ut ſuo loco deſcripta eſt.* Et in ſexto Concilio Provinciali jubet (*b*) Gravidam in hac partus propinquitate peccata confiteri: & in Inſtructione pro Sacramento Euchariſtiæ, ipſam ejuſdem Communione muniri, tum partu imminente, tum verò poſt illum in gratiarum actionem cum primùm venerit ad Eccleſiam, (*c*)

4 Profectò ſicuti Divina Providentia Parentes elegit veluti ſuos in Filiorum procreatione Miniſtros, ita ad æternam illorum ſalutem eoſdem ſtatuit ſuæ Charitatis Adjutores. Franciſca de Sionàs Beati Franciſci Saleſii Mater dum utero gereret, enixè Prolem ſuam Deo commendare conſueverat, ejus autem preces in caſſum non reciderunt; Undecim enim habuit Filios, eoſque ad unum pietate conſpicuos, quorum poſtremus cum moreretur Davidicum illud protulit: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum*: ita ſcilicet ad Fratrum ſuorum conſortium alludens, quos brevi ſeſe in Cœlo amplexurum

(a) S. Carl. *Act. p. 4. Inſtruct. pro Bapt.*
[b] Concil. Mediol. 6. *de Sacr. Pœnit.*
(c) Act. *p. 4. Inſtruct. de SS. Sacr. Euch.*

for e ſperabat. Francisci autem rerum geſtarum Hiſtorici omnes, ejusdem Sanctitatem oblationi illi acceptam referunt, qua Mater ipſum in utero manentem Deo coram Sancta Sindone dedicaverat: exinde enim arcana præſagia in propheticis quibuſdam ſomniis de Filii futura virtute recepit, quibus Deus ratam oblationem hujuſmodi habuiſſe indicabat.

5. Cum autem non ſolùm Parentibus, ſed & aliis omnibus pro Nonnatis orandum ſit, ut vivi oriantur, atque ita demum ad Baptiſmi gratiam perveniant, precandi normam ad id accommodatam in Appendice exhibebimus, qua quiſque frequentiſſimè uti poſſit. Cætera verò, quæ Filiis nondum Natis pro munere ſuo debent Parentes, in toto hoc Opere ſparſim declaravimus.

CAPUT QUARTUM.

De Principum officio circa Nonnatos : & de cura Projectorum.

1. Patris nomen, ac officium non iis tantùm, qui nos genuere tribuimus, ſed Principibus etiam, qui Patres Patriæ paſſim audiunt, & ſubditos ſuos diligere debent quaſi Filios, eorumque utilitatibus, commodiſq; proſpicere: quod etiam de eorum Adminiſtris, ac Magiſtratibus, proportione ſervatâ, ſentiendum eſſe, nemo ibit inficias. Principes ergo etiam Nonnatorum, qui germina ſunt Reipublicæ ſibi creditæ; ſollicitam, ac miſericordem curam gerere ex proprio munere tenebuntur. In tribus autem illa conſiſtit. In impediendis Abortibus, in ſectionibus Cæſareis Defunctarum promovendis, ac denique in providendo, ut in Partubus difficilibus auxilia opportuna tum Proli, tum Puerperæ, incluſo etiam ubi expedierit Cæſareo Viventium Partu, conferantur: et hujus quidem uſum in Noſocomiis præſertim inducent: ibi enim abſentia Propinquorum Gravidæ Chirurgis omnia permittit: ita fælicium eventuum fama ſectionis horrorem ſenſim diſſipando, ipſam aliis Prægnantibus commendabit. Etſi autem varia circa præmiſſa a Magiſtratibus facienda dixerimus, illud ſupremorum Principum ſanè proprium huic loco reſervavimus: legem nimirùm aliquam de antedictis omnibus eſſe ſtatuendam: quamvis enim de Partu Cæſareo Defunctarum jure communi cautum ſit, is nihilominùs ſæpè negligitur. Quoniam verò nuper tria illa in Sicilia exquiſitiſſimis legibus, quæ Opuſculi hujus fructus extiterunt, ſtabilita ſunt: & in iis penè omnia prævisa, & ſingillatim proviſa, ad eaſdem in calce operis legendas Lectorem remittimus: poſſent enim in alia Regna, Ditioneſque ſalubberrimè propagari. Egregia eſt etiam Friderici ad præſens Beruſſiæ Regis, Conſtitutio de erudiendis Obſtetricibus. Præcipit ille ut a Calendis Octobris Anni 1751. in poſterùm Obſtetrices in Theatro anatomico Berolini a Docto Anatomes Profeſſore januis Clauſis, adhibitis etiam ſubinde muliebrium cadaverum ſectionibus, in iis, quæ circa formationem, & augumentum Fœtuum, eorumque nativitatem cognoſcere oportet, erudiantur; de his omnibus deinde examen ſubituræ: atque idem in aliis etiam Regni ſui Civitatibus accuratè ſervetur: neque poſthac ad obſtetricandi munus ullæ admittantur, niſi priùs de inſtructione, atque examine Loci Præfecto exhibito documento. Nec parvipendendum Edictum Henrici Regis Galliarum, 4. Non. Martii A. 1556. in

Par-

Digitized by Google

Parlamento promulgatum (a), quo ſancitum eſt, ut Matres illegitimè concipientes, ſi graviditatem occultent, vel partum: aut ſi partus tempore legitimum teſtimonium vitæ, vel mortis Infantis non oſtendant; contra verò probetur eum Baptiſmo, vel publica, & ſolita ſepulturà privatum fuiſſe; tamquam homicidii Reæ extremo ſupplicio puniantur.

2. Cæterùm ad pleniorem impediendorum Abortuum doctrinam, hic tantùm aliqua de Projectis, ideſt Expoſitis quæ maximè ad officium Principis pertinere videntur, diſſerere non omittemus.

3. Inter præcipua ad arcendos Abortus media nullum certè magis neceſſarium, quam Principum erga Infantes Projectos diligentiſſima providentia. Si enim hæc deſit; Matres illegitimæ facilè Abortum aggredientur, quo non ſuccedente, Pueros in puteos, latrinaſque projicient, vel aliter enecabunt, vel vivos fortè ſepelient; ſaltem nocte in campis exponent, vel in triviis, aut ſterquiliniis Civitatis, cum evidenti periculo ne miſelli a Porcis, aut Lupis, aut Canibus devorentur; vel frigore, & inedia, quodque deteriùs eſt, non baptizati, conſumantur. Neque tamen rarò hujuſmodi mala timenda ſunt; frequenter enim inveniuntur Expoſiti: ita ut pro quolibet bino, vel terno Larium centenario, poſſint ſinguli quotannis in unoquoque Pago, vel Civitate apparere.

4. Et ſanè Spiritus Sanctus, ut ſummam naturæ humanæ ex peccato originali miſeriam demonſtraret; eam ob oculos noſtros non ſecus ponendam exiſtimavit, quàm ſimilitudine Infantis non ſolùm in die nativitatis ſuæ adhuc nudi, & Sanguine cruentati, nec fomentis recreati, ſed a Parentibus derelicti, ut ita divitias quoque ſuæ Charitatis oſtenderet, qua nos benegniſſimè ſuſcepit, & a calamitate liberatum in Filios adoptavit. Principes ergo Projectorum ſaluti conſulentes, divinam verè Miſericordiam, & imitabuntur, & ſibimet ipſis promerebunt.

5. Hæc ſeriò perpendens Divus Vicentius a Paulo mira pro ſalute Projectorum molitus eſt, Sancti Franciſci Saleſii, quem pro Magiſtro coluit, Charitatem erga Pueros, egregiè ſequutus. Profectò Pariſiis, Urbe cæteroqui litteris, & diſciplinà maximè florenti, Vincentii ætate Projectorum cura quamquam Patriis Legibus Caſtelleti Officialibus Regiis demandata, ferè deſpectui habebatur. Pueri namque ſingulis annis quadrigenti vel ad minus trecenti reperti non Noſocomiis, ſed cuidam Viduæ tradi conſueverant. In hujus domo partim inedià interibant, partim ſoporiferis affatim propinatis ſomnum cum morte commutabant, partim viliſſimo pretio, etiam viginti quandoque ſolidorum, vendebantur, sæpiſſimè verò perditis Hominibus, eos cum magna Familiarum turbatione ad ſuppoſititios partus, interdum etiam ad maleficia, & incantationes adhibituris: quam plurimis interea ex his Pueris abſque Baptiſmi Sacramento decedentibus, Paſſa enim fuit ſceleſtiſſima vidua, nunquam curaſſe, ut eorum ſaltem aliquis Baptiſmate luſtraretur. Exarſit ad hæc Vincentii zelus, & Matronis Congregationis a Charitate, ut eorum ſollicitudinem in ſe ſuſciperent eventu fæliciſſimo perſuaſit. Noſocomio inſuper ad eos non ſolùm aſſumendos, & lactandos, ſed etiam deinceps educandos deſtinato, Deinde a Rege annuum cenſum librarum 12000. obtinuit, quem ex aliis etiam Aliorum largitionibus ingenti Projectorum bono ampliavit, (b)

6. Ante omnia itaque ſciendum eſt, onus excipiendi, & alendi Projectos, ubi Noſocomiis, Hoſpitalibus, ſimili-
buſ-

(a) In collect. Fontanon.
[b] Abelli *Vita. S. Vincent. l. 1. c. 30.*

buſque religioſis, piiſque locis ex fundatione, vel alio titulo non incumbit; ad ſingulas Univerſitates reſpectu ſuorum præcipuè pertinere.

Primò quia unaquæque Communitas in extrema præſertim neceſſitate debet ſuos Pauperes alere, & extrema ſine dubio eſt tum in Animâ, tum in Corpore indigentia Projectorum.

Secundò quia ſicut ipſi, ubi adoleverint, Patriæ ſervire tenebuntur: ita & hanc eorum tenerrimæ ætati ſuccurrere ac opitulari æquum eſt: maximè quia, ut benè animadvertit Clariſſimus Muratorius, [a] ex jure ipſo Gentium in ſingulis cujuſcumque civilis Societatis membris quoddam jus oritur, quo auxilium ab ipſa, ne ſine propriâ culpâ perire cogantur, exigere poſſint: quamobrem conqueritur (b) Londini, Urbe cœteroqui publicis operibus abundanti, Projectorum miſeriæ non ſatis adhuc fuiſſe conſultum.

Tertiò quia cum Projecti ex ejuſdem loci Habitatoribus nati præſumantur, neque certi ſint eorum Parentes; debent ex bonis Univerſitatis, quæ ſunt communia, ſubſtentari (c). Si autem Univerſitatis Patrimonium non ſufficiat, deveniendum eſt ad collectas, ut pondus, quod omnes reſpicit, in plurimos diſtributum evadat inſenſibile. Atque hæc eſt conſuetudo non ſolùm Siciliæ, ſed etiam totiùs Europæ. [d] Relevantur tamen ab hoc onere Univerſitates, ubi Hoſpitalibus, Montibus Pietatis, aliiſque ſimilibus Inſtitutis illud pii Fundatores impoſuerint. Imò his, aliiſque piis Operibus, ac locis interdum hanc provinciam in ſacris viſitationibus Epiſcopi ipſi demandant: dummodo erogationi ſubſtinendæ ſint pares, nec præcipuo eorum muneri deſint, puta curandorum Infirmorum: quapropter diſcutiendum Epiſcopis num fortè ſint aliqua occulta legata Projectis, vel etiam generatim Pauperibus, relicta, nam & hæc ultima legatorum ſpecies, poterit etiam applicari Projectis, Pauperum omnium certè miſerrimis ſaltem parte aliquâ pro Aliis omninò invalidis detractâ, Verumtamen præcipua obligatio, uti dictum eſt, ſemper ad Univerſitatem ſpectabit. Itaque ſi Noſocomia, & cœtera Opera pia nequeant Projectis omnibus æquè ſubvenire; Univerſitas indeclinabiliter cogenda erit ad ſupplementum: atque ubi hæc valdè pauper eſt, & Dynaſtia tenebitur, loci Dominus ſi autem Regia, Rex ipſe (e): maximè cum hic in bonis Projecti, ſi quando ille adultus ad meliorem fortunam perveniret, ab inteſtato ſuccederet. Miſericordiæ quidem erga Pueros præclariſſimum dedit exemplum Conſtantinus Magnus. Cum enim audiſſet Filios per Italiam a Parentibus ob inopiam oppignorari, vendi, exponi, vel etiam interfici:

ali-

(a) Murator. *de Charit. Chriſt.* c. 27.
(b) Idem *De Public. Fælicit.* c. 24.
[c] Ex Concil. Turonenſ. A. 570. *c.* 5.
Toloſan. *Syntagm. Jur. Civ. l.* 15. *c.* 28. *n.* 14.
Zipæus *De juriſd. Eccleſ. & Civ.* c. 60. *n.* 16. & *Conſult.* 1. *de Infant. expoſ.*
Bobadill. *in Polit. l.* 5. *c.* 4. *n.* 38.
Boſſ. *de Alim. c.* 5. §. 1.
Lara *in Comp. Vit. Hom. p.* 2. *c.* 13. *n.* 26.
Avendan. *de exeq. mandat. p.* 2. *c.* 10. *n.* 19.
Monacell. *formul. tit.* 13. *form.* 7. *n.* 4.
[d] Carranza *de Partu c.* 4. *ſect.* 2. *n.* 137.
Fragoſ. *de Regim. Republic. p.* 3. *lib.* 1. *diſp.* 2. §. 3. *n.* 29.
Belmuſed. *de Collect. q.* 57. *a. n.* 10.
(e) Doctores apud. Theſaur. *deciſ.* 118. *n.* 2. & Amoſtaz. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 52.

alimenta juſſit egenis Patribusfamilias non ſolùm a Fiſco, ſed & a privato Principis ærario ſubminiſtrari: Legem verò iſtam in æreis tabulis, vel ceruſſatis, aut lineis mappis, quo æterna foret, inſcribi: ſimili præterea conſtitutione ad Africanas Provincias directa. (b)

7. Præ cœteris tamen omninò curandum eſt, ut ubi ſint Noſocomia Projectis alendis comparata, ligneum veluti tympanum verſatile, quod rotam Siculi dicimus, perpetuò habeant in muro exteriori ſitum, cum tintinnabulo: ad cujus pulſum diu, noctuque aliqua Perſona ſit prompta, quæ ad Infantem excipiendum accurrat. Si tamen Noſocomium ad hos Pueros alendos non eſſet deſtinatum; expedit adhuc, ut Univerſitas propriis expenſis talem Rotam cum tintinnabulo, ac Perſona prædicta ſtatuat in ipſo Noſocomio.

8. Ubi Noſocomium deſit, collocanda erit Rota, in Xenodochio ſive Hoſpitio Peregrinorum, ſi extiterit: vel in domo Parochi, vel probæ alicujus Obſtetricis, vel Bidelli Univerſitatis, vel alibi; dummodo ſemper locus, quicumque demum ille ſit, nec valdè publicus, nec multùm remotus videatur.

9. Si autem quamvis Rota in Civitate ſeu Oppido ſit erecta; nihilominus Infantes alibi fortè reperiantur expoſiti; argumentum id erit, locum Rotæ incommodum eſſe, ac propterea cum alio commutandum.

10. Epiſcopi tamen, Syndicatores, vel cœteri Civitatum, ac Pagorum Viſitatores, urgebunt maximè, ut Rota omninò a Noſocomiis, vel reſpectivè ab Univerſitatibus ipſis erigatur, & perpetuò conſervetur.

11. Qui Expoſitum ubicumque, ſive in Oppido, aut Pago, ſive in eorum Territorio repererit, ad loci Noſocomium, ſi hoc Projectos alit, vel ad urbanum Magiſtratum, ſcilicet Populi Procuratores, quos Juratos appellant Siculi, ſub pœnis arbitrariis comportabit, Expoſiti enim ad eam Univerſitatem attinent, in cujus territorio inveniuntur; niſi liquidò conſtet ex quonam alio loco provenerint; conqueri enim illa non poterit; cum hæc munera ſepè a finitimis Populis ultro, citroque mittantur.

12. Jurabit tamen Inventor, ſe neſcire Puerum eſſe a legitimis Parentibus ortum, & eò ab illis projectum. Similiter Obſtetrices, quæ in partu illegitimo, quem occultari neceſſe ſit, Puerperæ ſunt opitulatæ; Infantem ad Noſocomium geſtabunt, vel ad Univerſitatem, ſi Pauper ille ſit, & ſine ſcandalo, infamia, aut periculo ſuo, vel Parentum ab his nutriri non poſſit, eaſque circumſtantias jurejurando confirmabunt. Idemque facient, ubi quamvis partui non miniſtraverint, natus Parvulus ad eas afferatur. Ad hæc autem ſummâ fide; ſummoque ſilentio exequenda, licet mercedem non ſperent, omnino tenebuntur ex Charitate.

13. Noſocomia etiam Gravidas, præſertim probroſa graviditate, quæ in illis parere ſibi eligerent, excipere ſine controverſia debent. Sique natus Infans ſine ſcandalo, infamia, vel periculo a Parentibus ali non poſſit, & Noſocomium ſit Projectis alendis deſtinatum; illum retinebit, ſecus Univerſitati ſecretò remittet. Egregium tamen circa iſta Melitenſis Noſocomii morem capite ultimo referemus.

14. Infanti itaque reperto, niſi in proximo periculo mortis eſſe videatur; faſciæ diſſolvuntur, ut inſpici poſſit, utrum aliquo vulnere, aliove malo, quod præſentem requirat opem, laboret; inde ad Parochum baptizandus illicò defertur. Nomen illi, & cognomen ex duobus Cœlicolis quorum eo die meminerit Martyrologium, imponantur; puta Philippus Eleutherii: non enim

(b) Codic. Theodoſ. *lib.* 11. *tit. de Alim. leg.* 1. *&* 2. *ubi* Gothofred.

enim deſumendum eeit cognomen a Loco, ubi repertus eſt, ne aliquod in ejus Poſteros maculatæ originis dimanet indicium.

15. Noſocomium, vel ii, ad quos pertinet Rotæ cura, in promptu habebunt veſtes Inſantiles, ſcilicet lodiculam, & panniculum laneum, cum linteolo, & faſcia: eaque pro unoquoque Inſante duplicia, ut ſubinde commutentur munditiæ cauſa: paſſim enim Infantuli vel nudi prorſus exponuntur, vel laceris, ac detritis pannis cooperti.

16. Baptiſmus nunquam omittetur, & ſemper ſub condictione miniſtrabitur, ſive ſchedulam de Baptiſmo teſtantem habeat Puee, ſive non: nam ſi habeat, non tamen conſtat quis eam ſcripſeeit, quique baptizaveeit, & quomodo: ſi non habeat, poſſumus tamen meritò ſuſpicari fortè, ab Obſtetrice ſaltem, ſuiſſe baptizatum: Ita profectò Sacra Congregatio decrevit. *Propoſito die Decimoctavo Decembris 1723. ſequenei dubio: Quomodo ſe gerere debeat Parochus Sancti Spiritus in Saxia in collatione Baptiſmatis Infantibus, qui ad Archihoſpitale deferuntur; ſive iidem habeant ſchedulam de Baptiſmo teſtantem, ſive non habeant; & etiamſi ex colore, & cæteris Corporis qualitatibus depræhendatur, eoſdem eſſe conſtitutos in ætate ſex, aut decem menſium, vel etiam unius anni cum dimidio: in Congregatione habita decimoquinto Januarii 1724. reſponſum eſt ut infra: eſſe baptizandos ſub condictione in omnibus caſibus expoſitis juxta inſtructionem. Inſtructio eſt, quod excipiatur a Baptiſmo ſub condictione caſus ſchedula, quæ habeat certitudinem.*

Sanctiſſimus in Chriſto Pater Benedictus XIV. qui cum decretum ederetur, ut ipſe narrat, [a] Sacræ Congregationis erat Secretarius, ita ex ipſius Congregationis mente notatam certitudinem explicat, ſcilicet *cum ſciri poteſt Schedulæ Scriptor, iſque talis eſt, cui Fides poſſit, ac debeat adhiberi*.

His conſonat Sanctus Carolus in Concilio Mediolanenſi tertio, ac Sinodi Provinciales Aquenſis, Tholoſana, & Narbonenſis. [b]

17. Nonnulli Parochorum faſſi ſunt mihi conditionatam hanc Baptiſmi reiterationem in Projectis, extante ſchedulà, ſemper omiſiſſe. Præſules ergo illam inculcare non prætermittant: maximè cum dubitandum ſit, primum Baptiſmum a rudi aliqua Perſona, præſeetim propter feſtinationem, & trepidationem invalidè collatum. Poſt Baptiſmum ad fraudes evitandas accedenti ſigillo, ſtemma Civitatis, vel Noſocomii, ſiniſtro Pueri Brachio prope ſcapulas inuritur.

18. Noſocomiorum, vel Univerſitatum Rectores nullo umquam prætextu ſub arbitrariis pœnis occultos Projecti Parentes inquirant: hac enim indagine, ex qua infamiam ſibi timent, Parentes, deterriti Puerulos occidunt, vel in alias Civitates, & Oppidula mittunt exponendos: excipitur caſus, in quo prudens indicium habeatur Infantem a legitimis Parentibus fuiſſe projectum: re enim comperta, illis reſtituendus eſſet, ipſiſque onus imponendum, ut de eodem interdum rationem exactiſſimè reddant. Neque dicas inquiſitionem quam improbamus expedire; quia fortè legitimi Parentes Puerum projecerent: hoc enim rariſſimum eſ-

(a) Lambertin. t. 1. notiſi. 8.
(b) Concil. Mediol. 3. *Tit. de Bapt. Infant.*
Aquenſe A. 1583.
Toloſanum A. 1590.
Narbonenſe A. 1609. *Apud Pontàs Diction. caſ. conſc. t. 1. p. 388.*

eſſe Panormitani Noſocomii experientia demonſtravit: & ſanè Maternus amor Pueros exponi, vel derelinqui non ſinit, niſi ad id mortis, aut infamiæ violenta formido compellat, quæ tamen locum non habet, ubi Mater legitima ſit. Sola ut plurimùm egeſtas tantæ non eſt efficaciæ: nam in Urbibus populoſis Infantulus pro titulo eſt Matri ad eleemoſinas frequentiores & largiores, excutiendas: in Oppidulis verò Matri Filiolum legitimum proiicere, & projectionem celare omnino eſt impoſſibile: cum enim antecedens prægnatio legitima ſit omnibus nota; ubi deinde Infantulus diſpareret, res a vicinis illico detegeretur. Meretrices autem concipere non ſolent: quocirca projectio in iis timenda non erit. Illud ergo remanet indubitatum, ſcilicet hos Pueros, ut plurimùm ex concubitu illegitimo quidem, ſed occulto tamen oriri: quo ſit, ut inquiſitio ſit pernicioſa: Quod ſi fortè aliquando Infans ex legitimo matrimonio, vel etiam a publica Meretrice naſcatur, id floccipendendum eſt: etenim quæ raro accidunt prætereunt Legislatores. Certum nihilominus eſt, Parentes non pauperes teneri ad expenſas Univerſitati compenſandas, vel etiam Noſocomio, ubi hoc non omnibus Projectis obnoxium ſit, ſed tantùm Pauperibus.

19. Univerſitatum, & reſpectivè Noſocomiorum Rectores catalogum conſcribant Mulierum, quæ ſeſe promptas ad Nutricis officium obtulerint. Hæ teſtimonium Parochi de vita, & moribus, & de ſufficienti in Cathechiſmo peritia exhibebunt: erunt ſanæ valetudinis, ſcabiei, ſimiliumque morborum expertes, lacteque præditæ, & in præſenti ſine Filiis lactentibus; aliter mercede gaudebunt, at proprios Filios copioſè nutrientes, Projectum inedià conficient. Si verò in loco Nutrices inveniri nequeant, in finitimis quærantur, & in extrema neceſſitate, ſicuti ſæviente peſte conſuevit, iis Capra, vel Vacca ſubſtituatur.

Univerſitas, vel Noſocomium codicem habebit, in quo Nutricis, ejuſque Viri nomen, atque cognomen, eorumque habitationis locus adnotabitur. Item Nomen, & Cognomen Infantis, ejus ætas, locus, ac dies, quibus inventus eſt, & a quo: denique dies, quo Nutrici commiſſus, merceſque conventa, quæ decens erit, indumenta, aliaque omnia neceſſaria complectens, & ſingulis menſibus anticipatà præſtatione ſolvenda.

20. Primo die menſis unum ex Rectoribus Univerſitatis, vel Noſocomii Nutrices convenient: hic ſignum in brachiis Infantium, eorum valetudinem, & munditiem ſcrutabitur: qualiter ſe gerant Nutrices examinabit: mercedem rependet, quæque facienda ſint, decernet, atque præſcribet: imo ſi opus eſt, doloſas, vel negligentes, juxta merita, & interdum etiam acriter, mulctari curabit.

21. Deputabitur etiam pia Mulier cum honorario, ac titulo Præfectæ Nutricum, ut ſingulis hebdomadis ex improviſo Nutrices omnes viſitet, ac ſtatum Infantium expendat, atque munditiem. Inſpiciet etiam utrum cunæ ſint poſitæ, pro Parvulis ſaltem, qui annum non expleverunt: hi enim in lecto collocari nequeunt, ne ſuffocentur, aut opprimantur, maximè ſi per ætatem non adhuc ſolutas habent manuſculas. Id Synodi benè multæ ſub excommunicatione interdixerunt, cujus cenſuræ meminit etiam ordo Romanus miniſtrandi Sacramenta. (*a*) Tutius autem eſt ante biennium Infantulos in lecto non habere, ut hic obtinuit laudanda ſanè conſuetudo.

22. Quoniam verò plura Noſocomia Pueros non ſolùm in Civitate, in qua ſita ſunt, ſed & in aliis Oppidis, & Pagis circumjacentibus projectos alere tenentur; poterunt Jurati Patres uniuſcujuſque loci hujuſmodi Pueros ad eadem Noſocomia mittere: caveant verò ne ſemel ac eos invenerint, illuc dirigant: ſed

[a] Vide etiam infra *cap.* 6. §. 8. *n.* 19.

per dies aliquot jam recreatos, nec aëre pluvioſo, ardenti, vel aliter noxio: imò ſi loci non parùm diſtant, Projectum non hyeme, vel ſumma æſtate, mittant; ſed appetente vere, vel Autumno. Tradent autem Viro fideli, ad id ſpeciatim electo, cui, quòad fieri poteſt, ſocianda erit Nutrix, cum ipſorum Juratorum authentico monumento teſtante Puerum in eorum juriſdictione repertum, ſed ex ignotis Parentibus: alioque conſimili a Parocho ſubſcripto de iiſdem, & de collato a ſe Baptiſmate docente. Ne verò Portitor in itinere Parvulum proiiciat, ac derelinquat, ut multoties evenit; ipſi nunquam liceat eum in Rota Noſocomii occultè deponere, ſed ejuſdem Officialibus unà cum documentis, & coram repræſentare teneatur, fidem de recepto ab illis conſequuturus, quam deinde Juratis delegantibus exhibebit; hi verò penes acta, ſeu pluteum ad hoc deputatum pro ſua cautela diligentiſſimè aſſervabunt.

23. Si tamen fortè, ob ſpeciales facti circumſtantias, Infantem ad prædicta Noſocomia, exteros Pueros excipere ſolita, clam dirigere cogerentur; curabunt nihilominus quantùm fieri poteſt, ut Rotæ imponatur, præſente, aut ſaltem rei conſcio, aliquo Eccleſiaſtico Viro: qui Juratos poſtea ſecretà Epiſtola de adimpleta commiſſione ſua reddat certiores.

24. Convenit etiam facultatem iiſdem Juratis concedere de Projectis ad Noſocomium Civitatis Epiſcopalis tranſferendis, quamvis hoc Exteris non ſit obnoxium, dummodo alimenta contribuant; ut ibi ſub Præſulis oculis tanto temporis ſpatio, nutriantur Pueri, quanto alere ſolita eſt Univerſitas, à qua proveniunt. Ubi autem Noſocomium prædictum eos propter Nutricum in loco defectum, aliamve rationem nequiret recipere; idem negotium erit iiſdem conditionibus, cum alio conſpicuo vicinoque Noſocomio tranſigendum. Tempus alimentorum Projectis dandorum erit ad minimum triennale; quo elapſo, Puer ſaltem mendicando vitam ſibi tueri poſſit. Verùm in Sicilia nonnullæ Univerſitates alendi tempus ad quinque, ſex, ſeptem, octo, novem, imò decem annos extendunt. Pertinet autem ad Juratorum officium à ſupremis Magiſtratibus, quibus id curæ eſt, competentem annuam ſummam ſibi taxandam poſtulare pro Animarum numero, & illegitimarum prægnationum frequentià: ubi verò jam taxata non ſufficeret; ejus augmentum per augmentum vectigalium, ſeu novam Patrimonii ordinationem, quam Noſtrates æquationem dicunt, expetere; & interim, cum Parochi, de majori Projectorum numero teſtantis, authentico documento, neceſſariam pecuniæ ſummam erogare.

25. Ubi Univerſitas pauperie laborat; hæc erit ad intentum ſalutaria induſtria. Parochus, præſertim die aliquà myſteriis Infantiæ Jeſu Chriſti ſacrà, Populo nunciabit, Beatam Virginem amore Infantis Jeſu velle uti Filios educare Projectos: egere tamen Nutricibus, piaſque Fœminas ad id operis invitare. Plauſibile iſtud argumentum zelo Parochi animatum, quamplures e Fœminis incendet, quæ ſeſe promptas exhibebunt: ipſe earum Nomina in libro adnotabit, ut tempore debito uſui ſint: ſi nulla Nomen dederit: Parochus Infantem repertum alicui tradet Mulieri lactanti, cujus tamen Filius ſit anniculus: ut per menſem tantùm illa Projectum alat: anniculus enim Puer ſolidiori cibo jam aſſuetus Socium in lactando non incommodè patitur. Quæ verò Mulieres ante annum pepererint, Parochus e Baptiſmatum libro facillimè diſcet. Menſe tranſacto, ad Aliam, quæ ſimiliter ante annum peperint, deferet: atque ita deinceps. At hæc frequens tranſlatio non erit neceſſaria: experietur enim Parochus, Nutricem erga Projectum tenerrimum concipere amorem, qui eam ne Puerum aliis cedat, dehortabitur. Univerſitas autem Nutrices iſtas publicis oneribus eximat, & certam aliquam panis quantitatem, toto triennii ſpatio, quo ſaltem eſt duratura educatio, ſubminiſtret. Parochus etiam a ſummo Pontifice plenariam Indulgentiam, ter ab iis conſequendam, impetrabit. Primò quo die albo Nutri-

cum

Digitized by Google

cum adſcriptæ fuerint. Secundò cum Projectum ſuſceperint alendum. Tertiò cum illum poſt triennium nutricatione peracta reddiderint.

26. Verùm ſi Expoſitorum corpuſcula ſolummodo alantur, ne in Infantili ætate præmaturiùs occumbant; cura verò educationis animorum ſequentibus annis negligatur; non ſatis bono publico proſpectum erit. Adulti enim ſeſe vitiis mancipabunt, Mares præcipuè furtis, Fœminæ meretricio, aut ſaltem mendicitati, quæ otioſa eſt, & vagabunda, multorumque criminum fœcundiſſima parens. Quàm maximè ergo Reipublicæ intereſt, etiam Univerſitatis expenſis, ubi fieri poteſt, Contubernia pro Puellis projectis erigere, quæque ex his deinde virtute excellerent, Noſocomii miniſteriis deputare. Mares verò Nutricibus ipſis, vel Artificibus in adoptionem tribuere, vel ſaltem publico inſtrumento, pro definito annorum ſpatio quouſque artem addiſcant, Magiſtrorum famulatui addicere.

27. Jus profectò Romanorum Projectis ob hanc ipſam rationem: ſcilicet ut vivendi, panemque ſibi lucrandi media adipiſcantur, eximiè favet. Quocirca non ſolùm eos præſumit ingenuos, ſed etiam quamquam antea libertinæ, vel ſervilis conditionis, ad ſtatum ingenuitatis eo ipſo traducit. Jus verò Canonicum eadem confirmavit capite: *Si a Patre: De Infantibus, & Languidis expoſitis*: Imo Projectos Noſocomii Romani Spiritui Sancto dicati, aliorumque ſub eodem titulo, & regulis Gregorius XIV. legitimos declaravit: itaut pro eorum ad Ordines promotione diſpenſatio irregularitatis ex defectu natalium non requiratur: quod ad reliquos omnes Projectos Canoniſtæ ampliarunt: quamvis enim ut plurimùm illegitimi ſint, incerta tamen eſt in unoquoque vitioſæ originis macula. In hoc ergo aliquanto circa ſingulos dubio, cum omnibus miſericorditer agitur, ut faciliùs modum vivendi ſibi parare queant, ac honeſta munia obire, ac fortaſſis etiam ad ſubli miorem aliquando fortunam aſcendere. Matriti certè non ſolum Cives, & ingenui, ſed Nobiles, & ad cujuſdam equeſtris Ordinis habitum idonei reputantur. (a)

28. Quapropter convenientiùs ducerem eos odioſo illegitimorum nomine non appellare: ſed ſimplici Projectorum, ſeu Inventorum honeſtiori nomenclaturà: vel etiam Orphanorum Spiritus Sancti, cujus Miſericordiæ, tamquam Orphanorum omnium certè miſerrimi committuntur.

29. Si Domini, vel Patroni Infantes exponunt, a dominio, & patronatu decidunt illicò (b) Expoſiti verò, uti dictum eſt, non ſolùm libertatem, ſed etiam ingenuitatem acquirunt. Si verò exponant Patres; patria poteſtate, ipſo jure, privantur: imo ſi in Civitate Rota pateat, & nihilominus alibi expoſiti ſint Pueri, ubi fortè perierint; Exponentes, quamvis Domini, de homicidio tenentur, ac veluti Homicidæ aliis omnibus efferatiores, extremis pœnis ſubjiciuntur. *Nimirum*, ut inquit Juſtinianus, (c) *qui omni inhumanitate, & crudelitate referti ſint, tanto deteriores homicidio pollutis, quantò calamitoſioribus id inferunt.* Idem præterea dictum fuerat in *L. Sancimus*: eiſdem penè verbis. (d) Eademque pœna locum habet, quamvis fortaſſe Infans a periculo evaſerit, ſi tamen pravo conſilio derelictus fuerat, ut periret: circumſtantiæ verò intentionem Exponentium declarabunt. Moyſes Infans expoſitus quidem fuit: at cum hoc ad ipſum a nece eripiendum præſtitum fuerit, quot cautelas Mater adhibuit? *Abſcondit*, ait Scriptura (e), *tribus menſibus. Cumque jam celare non poſſet; ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & linivit eam bitumine, ac pice, poſuitque intus Infantulum, & ex-*

 poſuit

(a) Dictionar. Geogr. v. Madrid.
(b) L. unuſquiſque 2. *C. de Infant. expoſ.*
(c) Novell. 153. *de Infant. expoſ.*
(d) L. Sancimus 4. *C. de Infant. expoſ.*
(e) Exod. 2. 2. & 3.

poſuit eum in carecto Fluminis, ſtante procul ſorore ejus, & conſiderante eventum rei. Veterum ſanè mos erat Pueros in ciſta concluſos exponere.

30. Conſtantinus olim, ac deinde Theodoſius, & Honorius [*a*), non improbandâ certè induſtriâ, ſanciverunt, ut qui Expoſitos ſuſciperent, eoſdem poſſent, vel adoptare, vel ſi mallent, in ſervos accipere, dummodo alerent, & a morte vindicarent; eaque optio ad tantum Charitatis opus non parùm alliciebat: Hodie tamen ex Lege Juſtiniani [*b*], qui Projectos ſuſcipiunt nec in ſervitutem, nec in ſtatum Libertinorum, vel Adſcriptitiorum, aut Colonorum redigere poſſunt. Quod æquiori quidem Conſilio ſtatutum eſt, ſed Pueris fortè non utiliori. At expediens omninò eſſet, ut Educatoribus jura patriæ poteſtatis in Projectorum perſonas, & bona, salvà eorum ingenuitate, concederentur; nec tamen viceverſa Projectis ipſis, niſi expreſsè adoptatis, aliquod jus in Educatorum bona tribueretur; qua ratione faciliùs Parvuli Suſceptores invenirent.

31. Projecti verò ſub protectione ſunt Diœceſani Epiſcopi, ejuſque Eccleſiæ, ac majorum Juſtitiæ Miniſtrorum: Item Procuratorum Populi, ſeu Patriæ Patrum, imo quorumcumque Reipublicæ Officialium, & Magiſtratuum, ac ſupremi denique Principis, univerſalis Orphanorum, & Miſerabilium omnium Tutoris. (*c*)

32. Expedit nihilominus in quolibet Oppido trium Virorum Cœtum, Vulgò Deputationem inſtitui, quorum ſaltem primus Eccleſiaſtici ſit ordinis, ut perpetuæ conſervationi Rotæ, ac Projectorum nutritioni, & educationi diligenter invigilent: eoſque deinde adultiores dirigant, adjuvent, foveantque ad honeſtum vitæ ſtatum aſſequendum. Curæ etiam ipſorum erit, ut Jurati Patres proprio erga illos officio ne deſint; ac demum in omnibus, quæ ad Projectos pertinent maturè providebunt. Ubi Inſigne Noſocomium fundatum exiſtit; ipſi Noſocomii Rectores prædicti Deputatorum munia exequentur, alioſque ſibi Adjutores adſciſcere poterunt. Parochi verò in prædictis omnibus, præſertim, ut Rota permaneat ſemper, Fiſci veluti munus implebunt.

33. At præterea neceſſe eſt, quod in Metropoli Civitate Generalis Deputatio prò omnibus Regni, vel Provinciæ Projectis erigatur, cujus erit onus apud Principem illos protegere. Huic Deputationi oportet, ut non ſolùm ſingulis ſemeſtribus, de Rota exiſtente omnium Univerſitatum primarii Parochi, ac Deputati particulares teſtificentur: ſed etiam de Projectis interea ſuſceptis, ac ad nutriendum datis (quod in Sicilia Jurati quoque faciunt ſed Proregi) exactiſſimè referant. Et ſanè cum aliquorum Parochorum hortatu Celeberrimo Duci de la Viefuille, qui Siciliam Regia vice adminiſtrabat ſupplicem pro Projectis libellum cum Cajetano Bonanno Equite Hieroſolymitano a magna, ut ajunt Cruce, porrexerim; ille pro ſummo, quo pollebat, Reipublicæ amore, *Principibus* Careni, & Pulcrimontis prædicto Cajetano Bonanno, Alexandro Vanni Patritio, nunc S. Vincentii Principi, ac mihi ipſi mandavit, ut re maturè diſcuſſà proponeremus quidquid ad Projectorum bonum conducere poſſe videretur. Omnes ergo Civitatum Pagorumque Juratos, Parochoſque ſingulos, ac demum ex univerſo Regno Viros prudentià ſpectabiles conſuluimus, ex quorum reſponſis, quæ Siciliæ diſciplinam circa Projectos, continebant, plurima cum hauſiſſem, præſenti Capiti libenter inſerui. Eorum deinde expoſitionibus, ac votis diligenter expenſis, ac Proregi delatis; hic generalem, atque perpetuam, Panormi, Projectorum totius Regni Deputationem inſti-

(a) Codic. Theodoſ. *l.* 5. *tit.* 7. *l.* 1.
(b) L. Sancimus 4. *C. de Infant. expoſ.*
(c) D. L. Sancimus *C. de Infant. expoſ.* & Novell. 153. *ejuſd. tit.*

ſigni Bonorum plauſu fundavit. Hujus Deputationis inſtitutionem clementiſſimus Rex noſter Carolus Tertius diplomate dato pridie Idus Aprilis Anno 1755. supremâ auctoritate firmavit. Ejque perpetuò deinde præſcripſit, ut etiam circa Cæſareos Partus efficiendos, Abortus impediendos, humana Monſtra non occidenda, ſed Parochis præſentanda, & alia, quæ a Pragmaticâ de Partu Cæſareo Sanctione conſtituta ſunt, diligenter invigilet. (a) Annuum prætereà illi cenſum aureorum centum ſeptuaginta quinque de ſpoliis, ac fructibus vacantium Beneficiorum pro Secretario attribuit. (b) Ac tandem juſſit, ab ea ſingulis annis Projectorum in tuto poſitorum, ac Cæſarearum ſectionum numerum ad ſe referri. (c) Cæterum Erectionis, & muneris hujus Deputationis prima ſaltem Documenta in Appendice dabuntur, aliarum quoque Regionum Projectis, ubi ad ea etiam propagentur; non parum profutura.

CAPUT QUINTUM.

Sancti Franciſci Saleſii exemplo Eccleſiæ Miniſtri, præſertim Epiſcopi, & Parochi ad procurandam Nonnatorum ſalutem accenduntur.

1. FRanciſcus, cujus tanta fuit erga omnes benignitas atque beneficentiâ, ut præ Tito generis humani deliciæ meritò appellaretur, in Charitate præſertim erga teneriorem ætatem ſpeculum fuit Antiſtitum, & Parochorum, & vera imago Virtutis. Is in vitæ diſcrimen dum utero geſtaretur inciderat, & adeò tandem exilis ortus erat, ut goſſipio ad plures menſes involvi oportuerit: verùm contra Medicorum judicium, qui mortem ei ominabantur; Matris orationibus, & eleemoſinis non ſolùm incolumis, ſed non minùs robuſtus, quam virili ſpecie decorus evaſit. Periculorum igitur ſuorum piè memor erga Pueros, & maximè Infantulos nondum ab utero egreſſos ingenti, & eximio Charitatis affectu ferebatur: quamobrem preces pro Fœtu fundendas, ejuſque oblationem Deo faciendam Prægnantibus non uno in loco maximoperè commendat, ſanctitatem Samuelis, atque Beatorum Auguſtini, Thomæ Aquinatis, Andreæ Peſulani, & Bernardi eorum Matrum precibus, & oblationibus adſcribens (d); quinimo de Fœtus nutritione ſollicitus Gravidis jejunium in ſuis epiſtolis vetat. (e) Deus autem ſervi ſui pro Nonnatis orationibus mirè ſe delectari ſolitum demonſtravit. Cum enim Mulier atrociſſimis, irritiſque Partus cruciatibus torqueretur; Beatus vir ad eam Joannem Franciſcum fratrem ſuum cum zona miſit, quam ex B. Virginis lauretano ſimulacro detulerat. Vix autem Zonâ illâ precincta Parturiens Infantulum ſine dolore enixa eſt. (f)

2. Illud autem celebrius. Hæretica Fœmina Filiolum baptizari neglexerat, qui propterea inexpiatus e vita diſceſſit. Conſternata igitur animo ad Franciſcum, tunc apud Chaballicenſes Apoſtolico miniſterio fungentem, confugit, promittens ubi Parvulum is ad vitam revocaret, ſaltem quoad Baptiſmate initia-

(a) Reg. diplom. 12. *Cal. Octobris* 1755.
(b) Reg. diplom. 16. *Cal. Febr.* 1756.
(c) Reg. diplom. 6. *Cal. Decembris* 1757.
(d) S. Franc. S. I. *Introd. p.* 3. *c.* 38. *&* *Lib.* 3. *Epiſt.* 1.
(e) Lib. 3. *Epiſt.* 83. *& ultim.*
(f) Galitia *Vita di S. Franc. di Sal. lib.* 2. *c.* 36.

tiaretur; ſe hæreſim ejuraturam: Franciſcus zelo utriuſque ſalutis vehementiùs ardens, tam fervidas ad Deum fudit obſecrationes; ut ejus Charitatis flamma vitam Infantis extinctam, ſi fas eſt dicere, actutum accenderit. Hic itaque inſigni miraculo redivivus, ac baptizatus biduum ſupervixit, Matre cum Marito aliiſque multis ad Catholicam Fidem converſis.

3. At verò Franciſcus non eo ſolo contentus erat, nimirùm ut Infantuli Baptiſmate luſtrarentur; ſed probè ſciens Chriſtum veniſſe (d), ut vitam habeant, & abundantiùs habeant: & dixiſſe (e) *Sinite Parvulos venire ad me, talium eſt enim Regnum Cœlorum*; ut eoſdem ferè a vitæ primordiis ad Deum pertraheret; ſe Puerum cum Pueris incredibili humanitate præſtabat; arbitrabatur enim divinam gratiam, quo minora in illis obſtacula reperit, quàm in Adultis, eo liberiùs in ipſis, & efficaciùs agere. Carolus Auguſtus Saleſius præclara exhibet ſpecimina Charitatis ipſius erga inſignem Domini Ancillam Mariam Amadèam de Blonal dum pueritiam illa coleret. *Equidem*, ad eam ſcripſit aliquando Franciſcus, *jure te Filiam meam chariſſimam appellabo: nam reverà mihi cara fuiſti à ventre Matris tuæ, aut ſaltem ab Infantilibus faſciis, quibus cum adhuc involuereris, centies tibi benedixi, optavique coronam, quam Deus Virginibus, & Jeſu Chriſti Sponſis præparavit*. Sæpè etiam ad Claudium de Blonai Patrem illius olim dixerat, ſe tantà charitate Amedeam Puellulam diligere, ut non magis erga ipſam affici poſſet, ſi verè eam Filiam, vel Sororem habuiſſet: item ad Claudium, qui naturà Pater eſſet, ſpectare debitum corporalis dotis conſtituendæ, ad ſe verò ſpiritualis. Quocirca cum deinde moreretur, eamdem cordis, ac Spiritus ſui ultimà voluntate nominavit Hæredem.

4 At Joannes Petrus Camus Epiſcopus Bellicenſis oſtendit, (a) Franciſci erga Parvulos charitatem fuiſſe univerſalem. Sanè præterquamquod ipſorum confeſſiones magna cum voluptate audiebat; exigua munuſcula filiali amore, & ingenuà ſimplicitate ab eiſdem ipſi oblata benigniſſimè acceptabat: nuces videlicet puerili pugno contentas, caſtaneas, mala, caſei fruſtum, ſolidum, obulum, aut ſemiſſem. Poſt actas gratias, benevolentià, humilitate, & comitate conditas; nummis ad Eccleſiæ fores Pauperibus illico diſtributis, comeſtibilia in ſacculo geſtata in menſa deponebat, Æconomo jubens, ut ea ſibi ad prandium apponerentur, identidem dicens: *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit*.

5. Majora tamen adhuc pro Parvulis animo conceperat, quæ mortuus creditur a Deo per Alios perficienda impetraſſe: decreverat enim Congregationem Virginum inſtituere: quæ non ſolùm contubernales Puellas educarent, ſed & alias ad Scholas confluentes erudirent: tot enim ac tanti ſperandi ſunt fructus hujuſmodi Collegiorum, ut idem Camus Franciſci Magiſtri ſui ſpiritu plenus, ea, quantùm ad publicam utilitatem ſpectat, aliis omnibus Fœminarum Monaſteriis prætulerit. (b) Mors quidem feſtina Franciſci conſilium intercepit. Sed cum ſimilis operis ideam Maria Villeria Villænovæ Domina ipſi Franciſco Directori ſuo communicaſſet; eo probante Pariſiis Congregationem Filiarum Crucis erexit, quibus perſequutiones tantum nomen promeruerunt. Porrò Sanctus Vincentius a Paulo, qui, Franciſco mortuo, in Mariæ directione ſucceſſit, quique cepta omnia atque ſenſa

Fran-

(d) Matth. 19. 14.
(e) Matth. 10. 13. 14.
(a) Camus *in tract. de Spir. S. Franc. Saleſ. p. 4. cap. 23.*
(b) Cam. *loc. cit. p. 18. c. 21.*

Digitized by Google

Franciſci immenſà veneratione proſequebatur; Congregationem tempeſtatibus penè obrutam protexit, & in portum tandem aliquando perduxit. Hæc ſanè in Galliis emicat, (*a*) ſed conſimilem a Sacra Familia appellatam in Italia fundavit Cardinalis Conradinus, Aliique in Siciliam invexerunt. Quæ Italica Congregatio magna ex parte legibus, & moribus gubernatur, e Saleſiani ordinis Conſtitutionibus, & Conſuetudinario depromptis: et Virginibus ſuis in Regulis à Sede Apoſtolica approbatis, Franciſci doctrinam veluti magiſtralem reverendam, exequendamque proponit. Itaque etſi ille tantum opus à ſe præconceptum, morte præventus ædificare nequiverit: attamen non ſolùm, ut ita dicam, ejus formam architectatus eſt, atque deſcripſit; ſed & ad magnificam conſtructionem multum materiæ ſuppeditavit; dignus propterea, non ſecus, ac David, circa Salamonicum Templum; ut in ipſius edificationis glorià particeps habeatur.

6. Uno Verbo mirum non eſt, divinum hunc Antiſtitem tali erga Infantes, Pueroſque amore exeſtuaſſe; cum celebre ipſius affatum fuerit, ſublimioris Chriſtianæ perfectionis apicem in imitanda Sacra Jeſu Chriſti Infantià ſitum eſſe. Quapropter Chriſtus in natalitiis ſuis, die Beatis Innocentibus ſacra Franciſcum ad cœleſte Regnum evocavit cum ea litaniarum verba: *Omnes Sancti Innocentes orate pro eo* pro ipſo moriente recitarentur: ut eidem incomprehenſibile illud præmium retribueret, quod baptiſmali ejus innocentiæ, innumeris propemodum ſequentium meritorum gemmis diſtinctæ, ac locupletatæ debebatur.

7. Porrò Saleſii in Puerulos Charitas morte nequaquam extincta fuit, ſed Beatitudine perfectior evaſit. Itaque ſicuti vivens Sterilibus fœcunditatis gratiam a Deo impetrabat, ſexum futuræ Prolis prænuncians; ſic & in Cœlis non ſolùm ſimilia beneficia exorare ſolitus eſt; ſed aqua reliquiis ejus benedicta, omnibus cœteroqui bibentibus ſalutaris, maximè in partu alleviando, Puerïſque ſanandis elucet: ita ut Franciſcus Chriſti Jeſu in amandis Pueris imitator eximius, & in virtutibus illis, quarum ſpecimen exhibet puerilis ætas, longè clariſſimus Puerorum Protector a Deo conſtitutus fuiſſe videatur. (*b*)

8. Quare cum ipſe, dum viveret, nobiliſſimam adornaverit orationem, quam Prægnantes ad divinam protectionem ſibi ac Proli conciliandam, quotidie, ac devotè recitarent; eaſdem alibi monuimus, ut illam adhibeant, Franciſci meritorum efficaciam experturæ: mos enim Sanctorum eſt interceſſionibus ſuis preces noſtras corroborare, maximè ſi eorum verbis utamur. Sic Nathan cum Berſabeæ verba pro Salomone ad Davidem facienda ſuggeſſiſſet; addidit: *Adhuc ibi te loquente cum Rege, ego veniam poſt te, & complebo ſermones tuos*, (*c*) quod & fœliciſſimo eventu adimplevit.

9. En recens experimentum. Victoriæ, quæ Oppidum eſt populoſum, exitialis Epidemia tertio jam menſe graſſabatur: qnamobrem innumeri perierant, & Prægnantium pars maxima Abortum faciebat. Prædicatum eſt a Parocho, ut Gravidæ omnes eam orandi formulam quotidiè pronunciarent. Hoc pharmaco Abortus conquieverunt: imo ſi qui ſeptimeſtres Infantes orti deinde ſunt, fuere vitales. Igitur Sancti Franciſci Saleſii exemplo Sacerdotes omnes, maximè Parochi, & Epiſcopi, ſpeciali zelo inflammentur oportet, pro Parvulis præſertim Nonnatis, quorum æterna ſalus cum temporali periclitatur, mercedem pleniſſimam pro menſura Charitatis, atque laboris cum Beatiſſimo Viro in Cœlis conſequuturi.

CA-

(a) Abelli. Vita S. Vicentii *l.* 1. *c.* 38.
Joann. a SS. Sacram. *vita ejuſd. c.* 32.
(b) Galiata Vita S. Fran. *l.* 3. *c.* 41. & *lib.* 4. *cap.* 18.
(c) 3. Reg. 1. 14.

CAPUT SEXTUM

De Parochorum vigilantià in Obſtetrices, deque ipſarum examine.

1. SI omnia, quæ Sacerdotes, præſertim Parochi, Nonnatis debent, hic eſſent recenſenda, eſſent etiam, quæcumq; in toto hoc opere ſcripſimus repetenda. His igitur omiſſis, illud ſupereſt ut de cura, quam Parochi gerere tenentur, ut Obſtetrices circa miniſtrandum ritè Baptiſmum exactiſſimè inſtruantur, ſermonem hic habeamus: ſæpè enim tum in Abortibus, tum in Cæſareis Partubus, vel etiam naturalibus, at difficilibus neceſſe eſt ab iſtis hoc Sacramentum adminiſtrari.

2. Obſtetricibus ex Sancti Caroli decretis, totiuſque Eccleſiæ diſciplinà, munus ſuum exercere nequaquam permittitur, niſi de tribuendo Baptiſmate probè fuerint examinatæ, & in ſcriptis approbatæ: quod examen quotannis ſaltem repeti neceſſe eſt: puta poſt diem SS. Innocentibus ſacram, ut in Panormitana Diœceſi mandatum. Bononiæ ex Edicto Benedicti Decimiquarti eo tempore Bononienſis Archiepiſcopi, huic functioni Metropolitanæ Archipræsbiter cum duobus religioſis Viris, arbitratu ejuſdem electis, dat operam: in Diœceſi tamen Vicarius Foraneus ſimul, & Parochus, qui ſi Vicarii etiam officio decoratur, alium Parochum e ſua ditione advocabit: quod ad examinis honeſtatem, ejuſque certitudinem, ne ſcilicet ſine illà documentum approbationis concedatur, eſt cautum. Porrò examen quotanis renovatur, Vicariique Foranei de eo peracto in ſolitis epiſtolis Præſulem certiorem facere debent, pœnis arbitrariis, tum contra Vicarios, & Parochos, tum contra Obſtetrices, hæc tranſgredientes, conſtitutis. Eadem ferè pro Panormitana iſta Diœceſi Joſeph Melendez piiſſimus Archiepiſcopus edixit: ubi etiam Synodo jubente Obſtetrices jurejurando ſeſe obſtringunt, ſe gratis in partu inopes Mulierculas adjuturas. Malè tamen rem gererent Epiſcopi, qui hoc frequens examen eo prætextu negligerent, quòd Baptiſmus ab Obſtetricibus collatus in eorum Diœceſi addita conditione reiteretur: nam ſæpè contingit Infantes, præſertim Abortivos, obire antequam a Parocho hæc reiteratio fieri poſſit.

Examen autem de ſequentibus articulis inſtituitur.

I. De Perſona baptizatura.
II. De Tempore Baptiſmi.
III. De Intentione.
IV. De Perſona baptizanda.
V. De Materia.
VI. De Forma.
VII. De Formæ ad materiam applicatione.
VIII. Accedunt monita occaſione examinis danda Obſtetricibus

§. I.

De Perſona Baptizatura.

Baptiſmus a quocumque, ſive Eccleſiaſtico, ſive Laico, ſive a Mare, ſive Fœmina, ſive a Fideli, ſive ab Infideli cum debita materià, formà, & intentione miniſtratus eſt validus. Nihilominus Obſtetrix regulariter nequit Infantem licitè baptizare: nam de jure Pueri in Eccleſia non Domi, a Parochis non ab Obſtetricibus baptizandi ſunt: niſi in extremo, vel gravi ſaltem verſentur periculo, ne ſine Baptiſmo decedant; & inſuper nemo fidelis alius, nequidem Laicus adſit, qui baptizare ſciat, ac valeat. Neceſſitas ergo ſola hujuſmodi facultatem tribuit Obſtetrici. Parvulus verò in triplici ſtatu reperiri poteſt. Vel enim totus in utero exiſtit, vel ex parte natus, ex parte

quo-

quoque in utero manet, vel totaliter ex utero natus eſt. In duobus primis caſibus propter honeſtatem, quocumque alio exeluſo, baptizat Obſtetrix. At in tertio cum Puer ſcilicet omnino eſt ortus, baptizare debet Sacerdos, eoque deficiente, Clericus, Ordinum gradu ſervato: in Clericorum defectu vir Laicus, Laico tamen viro deficiente, Mulier: ac propterea non niſi in omnium iſtorum abſentia Obſtetrici baptizare licebit: excepto caſu, quo tantùm ipſa modum miniſtrandi Baptiſmatis noſſet: demùm Obſtetrice abſente, Pater, vel Mater Infantis. Quicumque tamen Sacramentum Baptiſmi confert, affinitatem cum Baptizato, ejuſque Parentibus contrahit. Si verò in neceſſitate Pater aut Mater Infantis baptizent: cum æterna Filii ſalus eos, deficientibus omnibus aliis fidelibus, ad id compellat; ab affinitatis vinculo ſunt immunes. In privato Baptiſmate non opus eſt Patrinis, qui e ritus præſcripto adhibendi erunt poſtea, cum Baptiſmi ceremoniæ in Eccleſia ſupplebuntur.

§. II.

De tempore Baptizandi.

Obſtetrix autem baptizabit, ſi partus ex aliquo inſuperabili impedimento eſt impoſſibilis: vel ſi tantùm difficilis, at Infans ex naſcendi conatibus in magnam inciderit debilitatem, vel ſi quacumque ex cauſa, doloribus licet in Matrem ſævientibus, non niſi tenuis in eo motus deprehenditur vel ſi multo priùs Placenta exierit, Fœtu in utero manente; vel ſi funiculus umbilicalis dirumpatur; demum quandocumque periculum eſt ne Puer antequam enaſcatur occumbat: nam in his caſibus ob interceptam alimenti, ac maternorum Spirituum communicationem, vel ob hæmorragiam, Fœtus, ut plurimis obſervationibus conſtat, facilè mortuus ex utero egredietur. Si verò natus eſt ille, at periculum proximum ſubeſt, nè, antequam ad Eccleſiam deferatur, intereat, baptizabit etiam Obſtetrix, at aliis ut ſupra deficientibus. Jam verò in Natis periculi ſigna ex Quintanaduennas (*a*), Gobato, (*b*), aliiſque ſunt ferè ſequentia, quorum unumquodque ſufficiet.

I. Si Puer ſine vagitu, & lacrymis oriatur. Cum enim hucuſque Uteri calore confotus fuerit, moleſtiorem ſibi Aërem experiri neceſſe eſt: patet ergo ex hac indolentia ejus ſenſus non eſſe viridos, ſed intermortuos: idemque dicas ubi plorat, ſed voce demiſſa.

II. Si modicè reſpirat, vel ſigna oſtendit ſuffocationis inceptæ.

III. Si languidus eſt, nec juncturis inſiſtere valet.

IV. Si lividus, præſertim in facie, & capite.

V. Si in naſcendo multum temporis inſumſit, vel parum quidem temporis, at multum laboris.

VI. Item ſi multùm ab Obſtetrice adjutus fuit, ab hujus enim auxilio non parùm divexatur.

VII. Si ante ſeptimum exoritur menſem, non enim adhuc eſt benè corroboratus: quocirca dicendus eſt Abortivus, & a fortiori ſi junior.

VIII. Abortivi omnes regulariter periclitantur: quare ad Eccleſiam deportandi non ſunt: Abortus enim ſive ex terrore, ſive alià ex causà, Fœtui ſunt valdè pernicioſi.

IX. Medicorum plurimi cum Ariſtotele experientiam allegantes (*c*) Octimeſtres vivere non poſſe docuerunt: conſequens ergo eſſet, eos Domi baptizandos. At ſi Septimeſtres, minùs licet corroborati, vitales quandoque ſunt; quanto magis Octimeſtres? Credebant quidem Veteres octavo menſe Fœtum infirmari, at hoc vera experientia falſum demon-

(a) Quintanaduennas *de Bapt. tract.* 1. *ſingul.* 20. §. 5. 6. 7.
(b) Gobat. *Tract. de Bapt. n.* 499. & 500.
(c) Ariſt. *de Generat. Anim. l.* 7. *c.* 4.

ſtravit (*a*). Franciſco Mauriceau, Obſtetricariam artem trigintaquinque annos exercenti, Septimeſtres omnes ante ſeptimum diem obierunt: contra verò pluſquam biſcenteni Octimeſtres fuere vitales. Cæterum ſi alia periculi ſigna conſpiciantur in Octimeſtri; quis unquam negabit Baptiſmum domi eſſe accelerandum? Multoque magis id locum habet in Septimeſtri, qui & ſi vividus ex antedictis quàm citiùs ad Eccleſiam pro Baptiſmate deferendus eſt.

X. Si Cranium habet valde molle, ſuturaſque nimium apertas, aliaſve partes disjunctas.

Ubi tamen Infans optimè quidem valeret, ſed metueret Obſtetrix, ut frequenter accidit in partu illegitimo, ne Parentes illum occidant, vel ſaltem exponant in Oppidis, ubi Rota ad Infantes excipiendos non pateat; eumdem incunctanter baptizabit.

§. III.

De Baptizantis intentione.

Intentio erit faciendi, quod facit Eccleſia, nimirum quod Chriſtus inſtituit.

§. IV.

De Perſona baptizanda.

I. Circa Perſonam baptizandam, hæc ſcire debet Obſtetrix. Si Infans Caput emiſerit, & periculum immineat, baptizatur in capite: nec poſtea, ſi omnino naſcatur, erit iterum baptizandus (*b*). At ubi aliud emiſerit membrum, quod vitalem indicet motum, in illo, ſi periculum impendeat, baptizetur: verùm ſi totaliter deinde oriatur, erit ſub conditione rebaptizandus: hoc modo, *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.*

II. Si totus in utero fuerit, poteritque eum Obſtetrix in ſe ipſo manu incurvatà, ſpongià, vel Syphunculo abluere baptizatur præmiſſa conditione: *Si es capax*. Idem dicendum quamvis in eo ſtatu ſit adhuc ſecundinis circumveſtitus, nec ex difrumpi poſſint. At ſi poſtea difrumpantur, erit iterum addita duplici conditione baptizandus: *Si non es baptizatus, & es capax, ego te baptizo &c.* qui ſi poſtea Caput ex Utero, vel aliud membrum emiſerit, baptizandus eſt denuo ſub conditione. *Si non es baptizatus &c.*

III. Monſtrum, quod humanam ſpeciem non præſeferat, baptizandum non eſt: de quo ſi dubium exciterit, ac tempus interrogandi Parochum, vel Peritos non ſuppetat, impoſita ſequenti conditione, baptizandum eſt: *Si tu es Homo, ego te baptizo &c.*

IV. Si Obſtetrici oriatur dubium unane, an plures Perſonæ ſint, res ita diſcernetur. Si Monſtrum plura capita, & plura ſimul habeat pectora; totidem erunt Corda, & Animæ, Homineſque diſtincti: quamobrem ſinguli baptizantur, & unicuique dicitur: *Ego te baptizo*: niſi mors omnino inſtans cogat, ſingulis eorum Capitibus aquam infundendo, cunctos inſimul ſub unica forma baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo &c.* Si autem unum eſt caput, & unum pectus, quamquam reliqua membra duplicata; unus eſt Homo. Si verò anceps adhuc maneat Obſtetrix injudicando, utrum in Monſtro duæ ſint Perſonæ vel una, puta quia unum eſt caput, ſed bina pectora, vel unum pectus, at duo Capita: tunc una Perſona abſolutè, deinde altera cum hac conditione baptizatur: *Si es alius Homo, ego te baptizo &c.*

V. Quò tamen ad Abortivos animadvertendum eſt ſeriò tempus infuſionis Animæ Rationalis in Fœtum eſſe pœnitus incertum: Non pauci enim Doctores putant immediatè poſt conceptum infundi, nec quadrageſimum, vigeſimum vel etiam ſeptimum diem expectari. Id apud omnes hodie in-

(a) Drelincurt. *in Corollar. de Humano Fœtu.*
[b] Ritual. Roman. *de Bapt. Parvul.*

Digitized by Google

indubitatum, animationem in Fœmellis non tardiùs fieri, quam in Maſculis. Itaque ſi Fœtus Abortivus eſt completus, & ſeſe movet, abſolutè baptizatur, ut certò vivus, & Anima Rationali jam præditus. Si verò motum oſtendit, non eſt autem completus; dummodo humanus Embryo eſſe videatur, quamvis minimus, & imperfectiſſimè figuratus, etiam primis graviditatis diebus, baptizatur, ſed præmiſſa conditione, *Si es capax &c.* Incertum eſt enim utrum Animà Rationali ſit Informatus. Si verò quamvis in eo motus non percipiatur, attamen ille non ſit corruptus, vel conquiſus, aut laceratus, nec proindè certò mortuus, baptizatur quoque ſub eadem conditione: *Si es capax* &c. etenim fortè vità non caret, quamquam externo motu careat, propter deliquium, vel defectum organorum.

VI. Si verò minimi iſti Embryunculi exeant ſecundinis involuti, ne tempus cum periculo mortis eorum dilabatur; baptizantur primò in ipſis ſecundinis adjectà conditione: *Si ex capax &c.* Scilicet ſi vivis Animà Rationali, & non obſtent Secundinæ. Deinde Secundinis laceratis iterum baptizatur, ac ſub duplici conditione: *Si es capax, & ſi non es baptizatus:* nimirùm ſi habes Animam Rationalem, & inſuper ſi primum Baptiſmum ob Secundinarum impedimentum tibi non profuit. Hos autem facillimè baptizabimus in pateram aquà plenam eos immergendo, circumagendo, atque lavando. (a) Infantes, quos ut Baptiſmi capaces exiſtant, oportet eſſe vivos, tales certè ſunt ſi motum indicent, at non ſemper ideò mortui, ſi motu expertes, præſertim ſi non dum Nati: nam Nati ipſi, ſive ex naſcendi labore, ſive ex alio malo, quamvis cunctis Adſtantium ſenſibus expoſiti, ſæpè ſine pulſu, motu, reſpiratione, ac ſenſu omnino vità ſpoliati apparent; cum revera illam retineant: ut ex innumeris claret experimentis. Et Nati igitur, & Nonnati ſi eorum mors indubitata ex corruptione, aliove certo indicio non fuerit, citò baptizentur cum conditione: *Si es capax, ego te baptizo &c.*

Hoc autem non ſolùm de Nonnatis, & Abortivis, vel Partu difficili, vel Cæſareo Natis, ſed etiam Partu facili egreſſis dicendum eſt. Hi enim ad proprium ortum cooperati ſunt; ſecus ille difficilis extitiſſet: cum ergo paulò ante vivi, & vegeti fuerint; præſumuntur ex naſcendi conatibus, aliquà Syncope oppreſſi; at non extincti: non enim ab extremo ad extremum ſine medio tranſitur. Animadvertendum tamen ne Matris humorum corruptorum fœtorem cum Fœtus putreſcentis fœtore, neve gangrænam Vivorum cum putrefactione Cadaverum confundamus. Præter alia ſigna, unam ab altera diſcriminantia; gangræna ſicca, vel humida quidem, ſed cum rubore, qui carnem integram ſeparat a corrupta; vivorum eſt, non mortuorum. Livor autem in Naſcentibus perſæpe non putrefationis initium eſt, ſed compreſſionis uteri, & naſcendi conatuum ſequela.

§. V.

De Materia Baptiſmi.

I. Materia Baptiſmi eſt lotio Aquà naturali facta, id eſt, vel è Cœlo, vel è Mari, Flumine, Fonte, vel Puteo: cum autem baptizat Obſtetrix, non opus eſt Aquam eſſe benedictam, vel Sale commixtam. Expedit autem ut Obſtetrix promptam ſibi ſemper parari faciat aquam nitidam, tum in Pelvi mundà ut inde accipiat pro Nonnatis, tum etiam in Urceolo, qui pro Natis commodiſſimus eſt. Aquam verò artificiatam, puta roſaceam, vel è Floribus malorum Aſſiriorum vulgò Aurantiorum expreſſam, adhibere non poteſt; niſi ubi naturalis fortè deeſſet: & tunc addita conditione baptizat hoc modo: *Si hac aquà poſſum, Ego te baptizo &c.* Si tamen deinde Aquam naturalem habuerit: iterùm baptizat ſub hac

a) Vide *lib. 1. cap. 12. hujus Operis.*

Digitized by Google

hàc alia conditione. *Si non es baptizatus, Ego te baptizo &c.*

II. Ablutio autem fit in Capite, ita ut carnem aqua contingat, & per eamdem tranſcurrat: verùm ter illa infundatur, eàque trinà infuſione tria ſimiliter ſigna Crucis, efformantur.

§. VI.

De Forma.

Forma Sacramenti ſunt hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ne autem unquam Obſtetrix illorum obliviſcatur; id memorià firmè retineat, verba eadem eſſe, ac illa, quę profert ſigno Crucis ſe ſignans: additis tamen in principio his aliis: *Ego te baptizo*, quæ ſunt etiam omninò neceſſaria. Verbis autem formæ nihil additur, nibil demitur, nihilque mutatur: nam grave peccatum eſſet, & ſæpe Baptiſmus invalidè miniſtraretur; quapropter formam Obſtetrices, aliique Rudes vulgari idiomate proferant: [a] neceſſe autem non erit his, qui in neceſſitate baptizantur nomen imponere: dicendo ex: grat. *Joannes Ego te baptizo*. Si tamen fiat, laudabile reputatur.

§. VII.

De applicatione Formæ ad Materiam.

Verba formæ eodem tempore, quo fit ablutio recitari debent. Simul ergo lotionem, & verba incipiat Baptizans, ut ſimul etiam finiat: tres autem Cruces efformantur tribus aquæ infuſionibus, ſingulæ ſingulis trium divinarum Perſonarum nominibus, quę pronunciantur, correſpondentes. At quamquam trina Crux, cum trina ſimiliter aquę infuſione antiquiſſimi ſint ritus unica tamen aquæ infuſio, etiam ſine Cruce, ad validitatem Sacramenti ſatis eſſet: & ideò unica fit, & citò, etiam ſine Cruce, ſi ſubita mors timeatur Infantis. Id tamen omnino eſt neceſſarium, quod ſcilicet ablutio, & formæ prolatio ab eademmet Perſona peragatur; ſecus nullus erit Baptiſmus.

§. VIII.

Monita occaſione examinis danda Obſtetricibus.

I. Obſtetricis munus ad Animarum, Corporumque ſalutem, imo ad humani generis conſervationem utiliſſimum, inſignem in Obſtetricibus ipſis charitatem, atque prudentiam requirit: quæ propterea Sapientes Mulieres, vel Commatres, veluti ſecundæ Matres, appellantur.

II. In primis hæ Conjugatas doceant, impeditionem generationis non licere. Inſuper cauſam Abortuum, Monſtrorum, & vitioſarum generationum, ex quibus partuum impoſſibilitas, ac mors Prægnantium ſubſequitur, interdum eſſe multiformem impudicitiam, ac immoderatam Generantium libidinem: ſumptàque prudenter occaſione, Mulieribus nuptis modeſtè ſignificent, quid a divina Lege permiſſum, quid vetitum ſit.

III. Prægnantes moneant, earum Conſcientiam valdè onerando, ipſas ubi ſenſerint ciborum, aut potionum, quas fortè viderint, vel ex grato ſaltem odore perceperint appetitum in ſe ipſis irritari: peſſimè agere ſi ob vanum timorem, aut verecundiam optatos cibos, aut potiones delibare non petant: cum experientia doceat ab his deſideriis, quibus ſatisfactum non fuerit, perſæpè Abortum, ac mortem Fœtus originem trahere.

IV. Item Prægnantibus earumque Domeſticis tradant, incertum eſſe tempus animationis, quam ſanè multorum Doctorum ſententia docet immediatè poſt conceptionem fieri, & addant certum hodiè putari animationem Fœmellarum non eſſe tar-

[a] Ex S. Antonino, Toleto, ac Suario. Quintanadu. *de Bapt. tract. 1. ſing. 7.*

tardiorem illà Maſculorum: quapropter inculcent in omnibus Abortibus, etiam primis graviditatis diebus, inquirendos eſſe diligentiſſimè Fœtus, vel Embryones, ac juxta regulas hoc ipſo capite §. quarto expoſitas, baptizandos.

V. Obſtetrices, quæ ad Abortum conſilium, vel auxilium quomodocumque præbent, ſive Fœtus ſit animatus, ſive non, atrociſſimè peccant: etiam ſi Abortum procurent, ut Prægnantis honorem, vel vitam tueantur. Imo ſi Fœtus eſt animatus, excommunicationem Papæ reſervatam, pœnamque mortis incurrunt.

VI. Omnes igitur a ſe auxilium, vel conſilium petentes ad finem Abortus, a prava intentione deterreant excommunicationis, & pœnarum homicidii metu: imo ſi opus eſt, Parocho ſecretò denuncient, ut is prudenter impediat: neque Gravidis remedia ignota, & priùs a Medicis non probata miniſtrent.

VII. In occultis, & illicitis prægnationibus, & Partubus illibatum ſilentium ſub peccato ſervare tenentur. Si quando verò domi pro futuro partu occultas Prægnantes hoſpitio retineant, numquam ſub ullo pretextu earum Amaſios admittant.

VIII. In Partu præſertim difficili ad orationem confugient, preces tamen prohibitas, vel ſuſpectas non recitabunt: imo pro majori cautela Orationibus ab Eccleſia non approbatis abſtinebunt; nec quidquam ſuperſtitionem redolens exequentur. Caveant etiam ne alicui quidquam ex ſecundinis, aut aliquid aliud tribuant, quod ad uſum ſuperſtitioſum adhiberi valeat.

IX. Periclitatur autem Fœtus, ubi nimis debilis eſt, ac ſine motu, vel ſi Partus eſt valdè difficilis, vel ſi ruptus exeat funiculus umbilicalis, vel ſi, egreſsà jam placentà, Fœtus ipſe moratur ad exeundum: ita enim deficiunt illi organa pro circulatione ſanguinis, atque nutritione. Si Fœtus, laceratis jam ſecundinis, ſeſe mechonio exoneravit: indicat enim ſe reſpirare jam cepiſſe. Tunc verò ſi tantisper ſubſtiterit reſpiratio, facillimè ſuffocabitur.

X. Partus autem ubi diruptis nimis citò ſecundinis aquæ dilabuntur; difficilis evadit: quocirca imprudentiſſimè ſe gerunt Obſtetrices, quæ illas dirumpere audent, quod quandoque faciunt celebriores, ut gloriam celeris partus, cui ipſæ manus admoverint, aucupentur: exceptis caſibus deſperatis, in quibus ad baptizandum Fœtum jam moriturum ſecundinas lacerare neceſſe eſt. Contrà verò monet Boerahavius, partum naturalem eſſe, cum Infans ipſe in ultimo naſcendi niſu membranas rumpit, & exit: imo valdè fæliciorem futurum partum ſi placentà maturà ſpontè diſſolutà Parvulus cum toto ſecundinarum volumine, & in eis incluſus egrediatur, quod interdum evenit Puellis occultè, & ſine Obſtetrice, ac penè ſine dolore parientibus.

XI. Syphunculum Chirurgicum [a] ſibi comparabunt, ut in extrema neceſſitate, cui aliter ſuccurri non poſſit, Puerum in utero baptizent.

XII. Nonnatum Infantem ne facilè mortuum putent. Imò quamvis natum, & gelidum, ac lividum, ac ſine ullo prorſus vitæ argumento ad vitæ uſum revocare conentur.

XIV. In præcipuis remediis laudatur calor, lotiones ex vino, aliiſque aromaticis liquoribus, ſecundinarum concrematarum vapor, umbilicali præſertim funiculo non reciſo, halitus in os Parvuli inſufflatus, Tabacci fumus in inteſtina intromiſſus. Juvat etiam papillas ejus mammarum ſugere, e quibus vulgò ſiniſtra præfertur; plantaſque pedum vellicare penicillo. Infantes tamen aliquando nonniſi poſt continuata per tres horas hujuſmodi præſidia, ſe vivos eſſe oſtenderunt. Ditioribus Puerperis quantùm fas erit ſuadeant, proprio lacte, niſi vera neceſſitas excuſarit, Filios alere: non aliis committere nutriendos, quod & Matribus, & Filiolis æquè nocere conſuevit.

XV. Deformem, aut monſtroſum Fœtum ſub gravibus pœnis occidere non li-

[a] De quo *ſupra l. 3. c. 6. n. 1.*

licet: ſed, ſi tempus quidem ſufficiat, advocandus eſt Parochus, ut de Baptiſmate deliberet. Si verò periculum urgeat, juxta traditas ſupra regulas baptizabitur. Nani, Gibboſi, & ſimiles educantur: Fœtus omninò horrendus vitalis eſſe non ſolet, eum tamen, quamquam baptizatum, non interficiant, ſed ad ſummum deſe mori ſinant.

XVI. Antequam faſcià Puerperam aſtringant, ipſam interrogent, utrum alio pondere adhuc ſentiat ſe gravatam, ne fortè alius in ea remanſerit Fœtus, & ſtrictione ſuffocetur.

XVII. In Partu illegitimo Puerperam, ejuſque Propinquos admoneant, ne quid contra Infantem moliantur; imò illum ad Noſocomium deportabunt nutriendis hujuſmodi Pueris deputatum.

XVIII. De Baptiſmate ſanis etiam Infantibus citiùs, & intra tertium ſaltem diem adminiſtrando Parentes commoneant, illudque urgeant, propoſitis etiam, ſi quæ in Diœceſi ſtatutæ ſint, pœnis. Quod ſi Domi ex neceſſitate baptizati jam fuerint, poſtulent, ut ipſis ceremoniæ in Eccleſia ſuppleantur.

XIX. Illicitum eſſe denuncient Matribus dormientes Parvulos biennio, aut ſaltem anno minores, non in cunis, ſed in lecto collocare: cum facilè opprimi, & ſuffocari poſſint: præſertim ſi manuſculas habeant faſciis devinctas: & maximè ante Baptiſmum. Pœnitentia Canonica Parentum ex incuria filios opprimentium eſt trium annorum, quorum primus in pane tantùm, & aquà tranſigendus.[a]

XX. Peccant ſi Fœtum quandoque mortuum, vivum eſſe mentiantur, vel eum arte, aut remediis moveri faciant, vel Sanctorum reſurrexiſſe miraculo comminiſcantur, ut eum ad Parentum ſolamen baptizent, & in loco Sacro ſepeliri procurent. Peccant etiam partum, ſeu Fœtum ſupponentes, ac Civili jure puniuntur.[b]

XXI. Prægnantem infirmam viſitent: ſi ad mortem tendat, curabunt ut Parochus, & Chirurgus pro Partu Cæſareo peragendo maturè advocentur. Si graviditas inhoneſta ſit, idem ſecretò præſtabunt, ſaltem ſemel ac illa expiraverit.

XXII. Cum non rarò Prægnantes in extremo mortis luctamine Fœtum enitantur, qui lecti integumentis poterit ſuffocari; ſedulò illis aſſiſtant, & interdum per lectum inquirant, utrum fortè prodierit Infans: quem ſi inter naſcendum hæreat, quoquo modo adjuvabunt.

XXIII. Modum faciendi Partum Cæſareum in Defunctis addiſcant, & Domi novaculam perpetuò habeant, ut illam, ſi quando neceſſitas poſtulaverit, miniſtrare poſſint.

XXIV. Mortuam Prægnantem ubi inciderint, inſpiciant utrum unus, an plures fortè ſint Parvuli, vel ſimul geniti, vel per ſuperfœtationem. In Abortu etiam inveſtigabunt ſemper, quid ulteriùs poſt Fœtum egreſſum emittat adhuc Mater: fortaſſis enim alius erit Embryo.

XXV. Si Infans, diſſecto utero, non apparet, graviditas autem certa ſit; ampliato vulnere inquirant, utrum ipſe in Tubis Fallopianis, Ovario, vel etiam Abdomine deliteſcat.

XXVI. Si pro Infante molam reperiant; hanc ipſam diſſecent: quandoque enim in ea inventus eſt Fœtus: Omnes ergo Molas diſcindendas meminerint, etiam reperto jam antea Fœtu: nam alios fortaſſe continebunt: eædemque cautelæ adhibendæ veniunt Molis in partu, vel Abortu exeuntibus.

XXVII. Debent ſub mortali modum rectè baptizandi callère: eumque memorià recolere, & ubi quidquam oblitæ ſint, vel ſubdubitent; Parochum ſciſcitari. Item ad examen ſingulis annis redire, & cum ejuſdem artis Fœminis, maximè Diſcipulis, de prædictis omnibus, & de dicendis paſſim ſermocinari.

XXVIII. Tenentur etiam in arte Obſtetricia peritiam adipiſci, Chirurgos expertos audiendo, & interrogan-

do:

[a] Ritual. Rom. *de Bapt. Parvul. in fin.* cap. de Infantibus: *de his, qui fil. occid.*
(b) L. 2. *ff. de Carbonian. Edict.*

do: ſectionibuſque Muliebrium Cadaverum aſſiſtendo.

XXIX. Ut aliquem etiam librum ducem habeant proprii muneris; legendi facultatem acquirere ſatagent, ſine qua vix ad artis perfectionem nec ſine maximis laboribus, erroribuſque pervenient.

XXX. Pauperibus Fœminis gratis obſtetricari, & omnimodam opem conferre tenentur. Id ſi recuſent, Deum habebunt ultorem: contra verò ſi charitatem Pueris, ac Prægnantibus omnibus, præſertim Egenis, impenderint; divinam ſentient munificentiam. Si enim Deus miſericordibus Ægiptiia Obſtetricibus Domos ædificavit, multo magis verè chriſtianis in Cœlo manſionem præparabit, ubi ſempiterno ac beato ævo fruantur.

CAPUT SEPTIMUM.

Baptiſmatis Domi, ab Obſtetricibus præſertim, collati validitatem, eſſe diligentiſſimè diſcutiendam.

1. ANtequam Parochus Infanti jam domi baptizato ſacras in Eccleſia ceremonias ritè ſuppleat, ex Romani Cathechiſmi Doctrina exactiſſimè quidem oportet inquiri, utrum is validè, fuerit baptizatus, ut in caſu dubii, Baptiſma ſub conditione reiteretur.

2. Hæc inquiſitio locum habet etſi Sacerdos alius baptizaverit: nam Sacerdotes ipſi, ſive inſcitia, ſive feſtinatione, ſive rei improviſæ novitate, quæ etiam peritiores quandoque titubare facit: non leviter interdum erraſſe deprehenduntur. Sanè Sacerdos mihi familiaris in S. Mauri Oppido duobus Gemellia ab alio Sacerdote domi baptizatis ceremonias tantùm addidit, præſumpſit enim eum rectè Baptiſmum contuliſſe: Infantibus interea mortuis, Sacerdotem eumdem ſciſcitatus eſt, quomodo baptizaſſet, & valdè dubium fuiſſe Baptiſmum illum agnovit: quod aliis etiam exemplis firmare poſſem. Si verò ab Obſtetricibus miniſtratum fuit hoc Sacramentum; pluſquam ſolertiſſimà perſcrutatione ejus validitas erit indaganda: nam ſæpè modum neſciunt legitimè baptiaandi, utpotè ignavæ, craſſioriſque minervæ; interdum quoque malitià laborantes,

3. Et ſanè Concilium Cartaginenſe quintum, ità decrevit. [a] *Placuit de Infantibus; quoties non inveniuntur certiſſimi Teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur; neque ipſi ſunt, qui per ætatem idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere poſſint abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos: ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari.*

4. Decretum iſtud probatum fuit a ſexta œcumenica Synodo, (b) quamvis ea ætate non videatur fuiſſe in uſu Baptiſmus conditionatus, ſed tantùm abſolutus. Ubi autem de Naſcentium Parvulorum feſtinato propter periculum Baptiſmate agatur, hi certiſſimi Teſtes non ſolùm teſtificari debent, collatum fuiſſe Baptiſma, ſed etiam ritè, & rectè collatum Hoc ultimum quidem, præſumitur ſi Sacerdos baptizaverit: quamquam expediat Baptiſmum ab eo adminiſtratum examinare, ſi Parochus ille non ſit; ſi tamen baptizaverit rudis aliquis Laicus, & maximè Obſtetrix, quanam ratione præſumi, & certum ſine diſcuſſione judicari valebit? Cæteroqui faciliùs etiam eſt de dato Baptiſmo, quam de eo ritè dato teſtimonium reperire Primum enim eſt de re valdè ſenſibili, publicà, atque notorià, ſecundum verò ſpecialem cognitionem, diligentiam, & attentionem in Teſte prærequirir, quas non facilè omnes habere conſueverunt. Si ergo prædicta Concilia in adminiſtrationia materialis dubio certiſſimos Teſtes exigunt, negligenda ne erit inquiſitio veritatis in ſecundo? præſertim cum Parvuli ſeſe

ipſos

(a) Can. placuit *de Conſecr. diſt.* 4.

(b) VI. Synod. *Œcum. Can.* 85.

ipſos juvare nequeant per Baptiſmi votum cum Charitatis actu copulatum; quapropter unica reſtat iiſdem adCœlum via, Baptiſmi ſcilicet fluminis aſſequutio.

5. Creditur quidem uni Teſti de Baptiſmo collato affirmanti; ſi Teſtis eſt fide dignus, maximè ubi in favorem vergat Infantis. At in caſu noſtro, præſertim ſi baptizarit Obſtetrix, plena periculi res eſt, niſi etiam Baptiſmi collatione ſuppoſitâ, ulterius de ipſius validitate quæratur. Sanè Obſtetrices, ut diximus, modum rectè baptizandi facillimè ignorant. Panormi cum Anno circiter 1713. ex mandato Archiepiſcopi Obſtetricum omnium examen a Carolo Vanni Parocho celeberrimo renovaretur; plurimi, ac varii, ut ab ipſo audivi, illarum errores etiam circa ſubſtantialia detecti ſunt, multis invicem ſeſe de mala Baptiſmi adminiſtratione accuſantibus. Idemque deinde notatum eſt, examine iterum Anno 1745. circiter inſtaurato. Sæpè illæ neſciunt, aut ſaltem non ſatis capiunt verba: *Ego te baptizo* ad formæ ſubſtantiam pertinere: ſæpè etiam verba illa. *In nomine Patris* commutant in hæc alia *cum nomine*, vel *per nomen*, quæ formam efficiunt dubiam. Cum Parochus eſſem Palmæ ex tribus Obſtetricibus, duæ *per nomen* dicebant, tertia præter hoc ipſum ſuſpectæ erat conditionis. In prima erudienda diu, multùmque inſudatum eſt. In ſecunda poſt decem laboris annos me oleum, & operam perdidiſſe cognovi. In tertia verò nullo modo fidendum eſſe animadverti: ac tunc clariſſimè perſpexi, quam rectè Synodus Agrigentina præceperit, ut quolibet bimeſtri Obſtetrices novo examini ſubjicerentur, quamvis regulariter id a Parochis fortaſſe negligatur. Hujuſmodi namque Mulierculæ non rarò duriſſimæ ſunt cervicis, labiliſque memoriæ; quamobrem quæ ipſis inculcantur, eſſe re verâ neceſſaria nequaquam ſibi perſuadent: imò tamquam ſuperflua, & a nimia Docentium ſubtilitate manantia, floccipendunt; Leporem ſcilicet, & Lepram, Paulam, & Caulam, idem eſſe arbitrantes.

6. Amicus Parochus inſignis Oppidi Syracuſanæ Diœceſis Obſtetricem, licet antea examinatam, atque probatam, ſub incerta formâ plurimos annos baptizaſſe adinvenit. Quapropter innumeros ille Adultos ab ea baptizatos, quibus tantùm ceremoniæ ſuppletæ fuerant, iterum ſub conditione baptizare coactus eſt. Quod etiam in Civitate Xericii in Hiſpania Bætica accidiſſe narrat Quintanaduenas. (a)

7. At ſupponamus eas modum Baptizandi optimè callere; attamen Baptiſmus ab eis collatus erit ſemper, & in omni caſu diligentiſſimè trutinandus, facillimè enim in errorem delabi poſſunt propter feſtinationem, qua tum de Parvulo periclitante baptizando, tum de Matre adjuvanda premuntur. *Parentes*, ait Quintanaduenas, *Cognati*, *Familiares*, *& Alii partui Adſtantes*, *videntes periculum mortis*, *aut Infantis*, *aut Parturientis*; *hujuſque etiam vehementiſſimos dolores*, *& clamores*, *in non levem turbationem incidunt*; *quam auget Famularum ſtrepitus*; *medicamentorum cura*, *& ſollicitudo*, *Conſanguineorum dolor*, *& ſæpiùs lachrymæ*, *ſuſpiria*, *aliaque hujuſmodi*, *quæ magnam attentionem impediunt in collatione Baptiſmi neceſſariò adhibendam*; *ut rectè forma proferatur*, *& materia applicetur*. In primis igitur Obſtetrices in tanta rerum turbatione non difficulter ea verba ſubſtantialia omittunt. *Ego te baptizo*, & ſola illa proferunt. *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*. Quædam nuper ita pronunciavit: *Ego te exorcizo* Siculè: *Io ti ſcongiuro*. Inſuper alia verba interdum addunt, vel demunt, vel ſaltem immutant; vel etiam in materia ipſa falluntur, quæ tamen omnia præ ſollicitudine, ac feſtinatione neque ipſæ, neque Adſtantes animadvertunt. Præterea quæ de quarumdam Obſtetricum ſuperſtitioſarum, ac Sagarum dia-

[a] Quintanadu, *de Bapt. Sacram. tract. 1. ſingul. 5. n. 2. & ſeq.*

Digitized by Google

diabolicâ nequitiâ circumferuntur.

8. Ad hæc attendens Sanctus Carolus Borromæus primò ſtatuit, Obſtetrices ſub arbitrariis pœnis munus proprium, abſque prævio examine circa modum dandi Baptiſmatis, exercere non poſſe. (a)

Secundò (b) ſolis Obſtetricibus, quamvis peritis, parùm in hujuſmodi re credendum voluit, hæc propterea decernens, *Obſtetrix autem, quæ probata eſt, cum baptizabit, curet quoad fieri poteſt, ut duæ ſaltem Mulieres, ac Mater præſertim, ſi poteſt, teſtes præſentes adſint; quæ in baptizando verba ab ea prolata audiant. Parochus verò cum perquiret ex decreto provinciali, an Infans baptizatus ſit; diligenter Obſtetricem, & Teſtes etiam de verbis prolatis interroget, ut ſibi conſtet, an Baptiſmi forma rectè adhibita ſit, an verò ſecus; quamobrem oporteat Infantem a ſe baptizari.* Fœminas teſtes nominat, quia Viri abeſſe a loco ſupponuntur in hujuſmodi circumſtantiis.

Tertiò juſſit ut ferè nunquam Obſtetrici baptizare permitteretur. (c) *Cum mulier propè paritura ægrè ſe habet, de ejuſque partu timetur; ſtudeat in primis Parochum in tempore accerſere, aut ſi eum habere non poteſt, aliquem ex Eccleſiaſticis Miniſtris, aut denique Laicum baptizandi peritum in promptu habere, ut ne Obſtetricibus Fœminis, niſi in ſumma neceſſitate, cui aliter provideri nullo modo poteſt, baptizandi locus unquam detur.*

9. Verùm hæc omnia, etſi ſapientiſſimè conſtituta, ſæpè in praxi rem non conficiunt: quocirca in hac materia non ſolùm Parochis, ſed & Epiſcopis opus eſt vigilantiâ, ſollicitiſſimi plenâ timoris. Primò quia ut plurimùm neceſſitas baptizandi Parvulos propter imminens mortis periculum, eſt in ipſo partu, in quo propter honeſtatem non niſi Obſtetrix baptizat. Secundò quia Obſtetrices de modo, quo baptizaverint, interrogatæ, facilè ea referunt, ſe feciſſe, & dixiſſe: quæ animadvertunt, ſe facere, & dicere debuiſſe: non verò quæ re ipſa præ ſollicitudine, ac feſtinatione mente alienatæ fortaſſe fecerunt, atque dixerunt: etenim examinis vexatione intellectum dante, recordantur præteritæ inſtructionis, aptèque reſpondent; quamvis ineptiſſimè antea ſe geſſerint. Tertiò hujuſmodi Fœminæ utpote infimæ conditionis non ſolùm ſunt valdè incultæ, rudes, atque imprudentes, præſertim in locis humilioribus; ſed etiam verecundiâ, & timore de facili corripiuntur: metuentes ne cum dedecore ab officio removeantur: adeout eorum teſtimonio in tanto negotio non multum ſit innitendum. Equidem ſcio Civitatem, ubi provinciali ſtatuto ſeptem teſtes pro uno reputantur: quota pars ergo teſtis erit ibi Obſtetrix Fœmina, & rudis, & parum tutæ fidei, de ſe ipſa teſtimonium perhibens? In Urbibus verò inſignibus, licet fortè ſint cultiores; plurimæ tamen ſunt: nec eas omnes Parochus quiſque noſcere probè poteſt: nam ſæpè alienæ ſunt Parochiæ, ſæpè etiam alio partu impeditæ Infantem Diſcipulæ, vel Obſtetrici ad Eccleſiam geſtandum committunt. Præterea nec ſemper, nec ubique Parochus facilè Teſtes a Divo Carolo præſcriptas examinare poterit, tum variis de cauſis [illegible] & maximè quia Puerpera, ejuſque auxiliariæ Adſtantes in hujuſmodi caſibus, ut ſupra dictum eſt, perturbantur, nec de legibus cogitant: ac propterea cautelam præparandi Teſtes omittunt.

Demum, quod pejus eſt Parochi ipſi, eorumque Adminiſtri, pace Peritorum dixerim, non omnes eâ ſcientiâ, dexteritate, ac diligentiâ pollent, quâ Obſtetrices, ac Teſtes attentè, & ſolerter interrogare, & ab eis verum elicere queant.

10. Et quidem antedictæ practicæ difficultates pluribus Theologis perſuaſerunt, omnes baptizatos ab Obſtetricibus eſ-

[a] S. Carol. Borrom. *Acta Mediolan. Eccleſ. edit. Lugdun. A. 1682, t. 1. pag. 178.*
[b] S. Carol. ibid.
(c) Idem *in Inſtruct. Bapt.*

eſſe denuo ſub conditione baptizandos, [a] quod etiam pleriſque Paſtoralibus, ſeu Ritualibus, & alicubi ſtatutis quoque Synodalibus decretum eſt [b] ac per omnem penè Siciliam ſervatur. Ajunt enim Romanum Cathechiſmum Baptiſmata domi collata reiterari improbantem, non loqui expreſsè de collatis ab Obſtetricibus, ſed ſolùm dicere Domi baptizatos non eſſe indiſcriminatim rebaptizandos, ſed eos tantùm, de quibus factâ diligenti inquiſitione, dubium remaneat, utrùm validè ſint Baptizati. Certum eſt autem non omnes, qui Domi baptizantur, ab Obſtetricibus baptizari. Igitur in eorum ſententia monet Cathechiſmus inquirendum primò quiſnam baptizaverit, & ſi Sacerdos, vel Clericus, aut Chirurgus, aut alius Laicus probè inſtructus baptizavit; inquirendum ulteriùs quomodo baptizaverit: feſtinatio enim in ſubitaneo Baptiſmo alicujus erroris occaſio eſſe potuit, etiam Sacerdoti miniſtranti, quà diligenter factâ inquiſitione, & nullo ſuboriente dubio de Baptiſmi validitate, non eſt cur ille renovetur.

11. At ſi Baptizans fuiſſet Obſtetrix putant citati Theologi, aliquam formidinem propter antedicta remanere ſemper: ideoque ex ipſa Catechiſmi doctrinâ ſentiunt, reiterationem eſſe faciendam: ob ſummam enim Baptiſmi neceſſitatem, præſertim in Parvulis, cenſent minori dubio opus eſſe ad illum adjectâ conditione repetendum, quam ad alia Sacramenta; maximè cum a Canone ſuperiùs allato certiſſimi Teſtes ad eum probandum requirantur: ſecus plurimi Pueri æterna ſalute fraudarentur. *Cæterum*, ait Sylvius, (c) *etſi qui baptizatum Domi ab Obſtetrice, poſtea ſub conditione baptizat, non ſit irregularis; quæritur tamen an peccet. Verius arbitramur non peccare; quia ſemper licet eâ formâ conditionatâ uti, quando eſt dubium de Baptiſmo ritè collato: quando autem Obſtetrices Domi baptizarunt, ſemper eſt hujuſmodi dubium, ne vel ſubitò neceſſitatis caſu turbatæ aliter, quam referant, dixerint, vel fecerint; aut ne ſemel, & iterùm deprehenſæ, quod benè baptizarint, deindè malitioſè errent, ac nihilominùs aſſerant ſe more ſolito baptizaſſe. Experientiâ enim notum eſt, multas, vel in materia, vel in forma errare, interdum per ignoran-*

[a] Ægid. *quæſt. 66. art. 9. n. 95.*
Sylvius *in 3. p. q. 66. art. 9. dub. 2.*
Molan. *in ſua Pract. tract. 4 t. 3.*
March *in reſolut. Paſtoral. tract. de Sacr. c. 5.*
Diana *p. 9. tract. 6. reſol. 35.*
Adam. Opatovius Academiæ Cracovienſis Profeſſor *tract. de Bapt. diſp. 1. q. 6. n. 49.*
Gobat. *de Bapt. tract. 2. n. 170.*
Laiman. *lib. 1. tract. 2. c. 1. & 5. n. 3.*
La Croix *de Bapt. art. 2. dub. 4. q. 5. §. 1.*
Leander. *t. 1. tract. 2. de 3. q. 54.*
Quintanadvennas *de Bap. tract. 1. ſing. 5. n. 2. & ſequ. qui tamen non abſolutè ſed ferè ſemper dicit hoc habere locum: extendit tamen ob rationis ſimilitudinem ad Baptiſmum Domi collatum a Parentibus, Cognatis, aliiſque Viris Laicis, & Fœminis etiam non Obſtetricibus.*
Salmantic. *de Sacr. tract. 2. c. 6. p. 4. n. 64.*
(b) Paſtoral. Romanum Antuerpiæ editum *A. 1670. p. 20. & 130.*
Paſtorale Mechlinienſe ſemel; & bis id ipſum præſcribens.
Synod. Iprenſis ſub Martino Rithovio *tit. 12. c. 5.*
Idem ſervatur ex ſtatutis particularibus in Diœceſi Auguſtana, Cutienſi, & Paſſavienſi, ex Manuali Paſtorum, & Gobat. loc. cit.
Abreù vero *ſpec. Par. lib. 9. ſect. 7.* citat. Conſtitutiones Diœceſanas Eborenſes, Egitanenſes, & Portalegrenſes.
[c] Sylvius *in loc. cit.*

Digitized by Google

gnantiam, vel turbationem, interdùm verò per malitiam, Dæmoni ſcilicet inſervientes: ſive quia ſint ſortilegæ, ſive ob aliud. Ut igitur Parvulorum ſaluti conſulatur, ſecurius eſt eos, tametſi ab Obſtetricibus Domi baptizatos, poſtea baptizare ſub conditione.

12. Cæterum communiùs Theologi docent, quod ſi Obſtetrices convenienter inſtructæ reperiantur, ac probatæ ſint vitæ; baptiſmus non ſit iterandus, niſi eum facta prius neceſſaria inquiſitione, aliqua circa ipſius validitatem dubitatio remaneret. Hæc autem inquiſitiò ſæpè negligentiſſimè exercetur; quamquam ex primò allata Doctorum opinione ſatis evincatur, quam ſollicitè in diſcutiendo Baptiſmate ab Obſtetricibus dato in Diœceſibus, ubi hoc reiterari non ſolet, ſit Epiſcopis, & Parochis vigilandum: nam tutò conſtare debet Eccleſiæ, Baptiſmum fuiſſe ritè, & rectè miniſtratum.

13. Ut ergo id quàm attentiùs fiat, regulas hic trademus, quas Parochi in examine Baptiſmatis domi collati perpetuò ac diligenter adhibeant. Baptiſmus ergo in quatuor Pueri ſtatibus potuit ab Obſtetrice conferri. Primò ubi Puer perfectè natus erat, & Domi baptizatus fuit propter periculum. Secundò ubi Puer natus adhuc perfectè non erat; ſed Caput emiſerat, & in Capite baptizatus fuit, reliquo Corpore manente in uterò. Tertiò cum Puer in utero ſimiliter exiſtebat; ſed minus principale membrum, puta pedem, vel manum, non verò Caput emiſerat, & in dicto minùs principali membro Baptiſmum accepit. Quartò cum Puer totus utero continebatur, ſed in ſe ipſo lavari nihilominus potuit.

14. In primo igitur caſu Parochus de materia, forma, & intentione Obſtetricem feriò, addito etiam jurejurando, ſciſcitabitur: exquiret præſertim, num ea verba in principio formæ, omnino dicenda, pronunciaverit: *Ego te baptizo*: an verò præ feſtinatione, quamvis peritiſſima, omiſerit. Deinde quia in his Obſtetrices facillimè hallucinantur, & res tam magni refert; duas etiam Teſtes a Sancto Carolo requiſitas, ac præſertim ipſam Pueri Matrem, ſub eodem jurejurando examinabit.

15. In ſecundo caſu major eſt difficultas: debet enim ultra prædicta conſtare, Pueri Caput, non autem Capitis loco alia membra, puta manus, aut pedem fuiſſe lota. Secundò ipſum Caput extra uterum verè fuiſſe, cum ablueretur. Tertiò ſufficienter fuiſſe lotum, & aquam ipſius Capitis carnem, non verò ſummos tantùm capillos tangendo, abluiſſe; quæ cum non ab Aliis, ſed a ſolius Obſtetricis teſtimonio hauriri poſſint; erit ipſa majori ſolertià, & dexteritate interroganda.

16. In tertio caſu quamvis ritè, ac rectè ſe geſſerit Obſtetrix; Baptiſmus præmiſſa conditione, ex ipſius Ritualis præcepto erit iterandus: nam pleriſque Doctoribus non valet ille in ſolo pede, vel manu, aut alio minùs principali membro adminiſtratus. Tametſi autem hodie ferè communis opinio ſit, & ipſum valere, ac Rituale præcipiat in tali ſtatu baptizari Puerum periclitantem, & conditionem, *ſi es capax* non apponat; imo ſic baptizatum, deindeque mortuum Eccleſiaſticæ ſepulturæ inferri mandet; nihilominus ubi vivus perfectè naſcatur, aut Caput emittat, denuò ſub conditione ad cautelam baptizari decernit: ne ſit vel huic minori dubio æterna Pueri ſalus obnoxia.

17. Puer in quarto ſtatu baptizatus, & ſi optimè certèque materia, forma, & debita intentio ſervata ſit; erit iterum cum conditione baptizandus; controvertitur enim de validitate Baptiſmi ſi Puero in utero adhuc exiſtenti, nec ex parte ſaltem egreſſo, conferatur. Et licet hodie ſententia validitatem affirmans communior ſit, & probabilior: non tamen eſt certa.

18. Puerorum autem ab Obſtetrice baptizandorum neceſſitas, non in totaliter Natis, qui ad primum ſtatum ſine dubio pertinent, ſed ut plurimùm in Naſcentibus præ partus difficultate contingit: eaque difficultas in tertio

Digitized by Google

& quarto ſtatu frequenter occurrit, non tamen in ſecundo. Ubi enim Caput egreſſum eſt; reliquum etiam corpuſculi poſt ſe trahit: niſi cum interea pariendi fortè vis, atque conatus in Matre ceſſarent.

Igitur Parochi Baptiſmum in tertio, & quàrto Parvuli ſtatu miniſtratum renovare non prætermittant. Equidem vereor ne baptizatum ab Obſtetrice Puerum audientes, ad ſummum de materià, formà, & intentione tantùm interrogent: de ſtatu verò, in quo ille baptizatus fuit, quemque pro validitatis certitudine trutinanda in conſiderationem quoque venire oportet, nullatenus inquirant. In qua quidem omiſſione peccarent graviſſimè, celeſtem Infantis beatitudinem evidenti periculo committentes. Nam in univerſum, ubi adhibito quàm diligentiſſimo examine, dubium aliquod, ſive facti, ſive juris de Baptiſmate validè miniſtrato remaneat; Baptiſmus in omnium ſententiá erit ſub conditione iterandus.

19. Duo Demum hac data occaſione permonenda cenſeo. Primum eſt, debere Parochos non tantùm Obſtetrices, ſed etiam Populum inducere, ut quam citiſſimè, imò ſtatim a nativitate, ſi fieri poteſt, natos Pueros generaliter ad Eccleſiam deferant baptizandos: ac multò magis ubi Cœli, aërisque temperies ad hoc ipſum alliceret. Primò ut eos abſque ullà mora e Dæmonis tyrannide in filiorum Dei libertatem aſſeramus. Deinde ut a Maleficis eorum vitæ, ac Baptiſmo inſidiantibus tueamur. Nam etſi ſæpè quæ de Maleficis mira prædicantur ad phantaſticas illuſiones anileſque fabulas ableganda ſint; negari tamen his non obſtantibus nequit, aliquando veriſſimè contingiſſe: prætér quamquod innumera alia, & frequentiora ſunt pericula, propter quæ timendum eſt, ne tenerrimus Puer ſinè Baptiſmo extinguatur. Non licebat olim juxta veteres Canones Parvulorum Baptiſmum ultra duodecimum diem differre. S. Carolus(a) hunc terminum ad novem dies addita excommunicationis pœna contraxit: Romanæ verò Urbis diſciplina, & Belgica, item Pariſienſis ex Statutis Aclęi Archiepiſcopi, pœnam interdicti imponentibus, ad tres dumtaxat.(b) Sicula item in quibuſdam Diœceſibus ad tres, aut quatuor. [c] At Synodus Panormitana(d) ſub excommunicationis commminatione Parvulos ante diem tertium baptizari præcipit. Poſtremò Agrigentina (e] ſtatim ad Eccleſiam ferri jubet, & ita Palmæ Diœceſis illius Oppido: ubi Parochus diù præſui, per hyemem quoque factitatur.

20. Quod ſecundo loco moneo a peritiſſimis Animarum Paſtoribus accepi, & ipſe inconcuſsè cuſtodivi: non debere nimirùm Parochos facilè permittere, ut Sacerdos aliquis, etſi doctus, ſine ſua, aut ſuorum Coadjutorum, uſu peritorum, præſentia, Baptiſmum adminiſtret: non enim deſunt funeſtiſſima, & diſſuadentia exempla. Profectò Eccleſia Dei antequam Parochum inſtituat, eique munus baptizandi concredat, ipſum trium Synodalium Examinatorum judicio ſubjicit, qui mores doctrinam, & omnia perſcrutentur. Quare ergo Parochus merà gratificandi vel otiandi causà, debitàque neglectà cautelà, tantum negotium alteri demandabit? Væ ergo, væ Paſtoribus inſipientibus, & incurioſis.

CA-

(a) S. Carol. Concil. Mediolan. 1. *p.* 2. *n.* 1.
[b) Natal. ab Alex. Theol. dogm. moral. *tit.* 2. *de Sacr. Bapt. c.* 4. *reg.* 3.
[c] Synod. Syracuſ. Marini *p.* 1. *c.* 7. *n.* 12.
(d) Synod. Panormit. Palafòx. *p.* 2. *c.* 3. *de Bapt. n.* 17.
[e] Synod. Agrigent. Ramirez *p.* 2. *c.* 2. *de Bapt.* §. *Baptiſmum*.

CAPUT OCTAVUM.

De neceſſaria Epiſcoporum vigilantia pro Nonnatis.

1. QUamquam Parentibus, Parochis, Principibus, Magiſtratibus, ac Medicis curam Infantium Nonnatorum commendaverimus; nihilominus neceſſarium omnino erit, Epiſcopos divinam erga illos providentiam, & Charitatem imitando, auctoritatem ſuam interponere, ſi ſucceſſum per omnia felicem exoptent.

Ad tria reduci videtur in his Antiſtitum cura: ſcilicet mala declinanda pernoſcere, apta remedia præſcribere, & ad horum exequutionem diligentiſſimè incumbere.

§. I.

Quò ad primum ergo Epiſcopus in viſitatione ſciſcitetur a Parochia, Vicario Foraneo, Teſtibuſque Synodalibus.

I. Utrum in loco ſæpè accidant voluntarii, vel involuntarii Abortus?

II. Utrum Parochi omnem operam ad eos impediendos adhibeant, & qualem? Et maximè in gravi ditatibus infamibus: ac propterea num cautè ac ſolerter interrogent de hujuſmodi graviditatibus, ubi prudens de iiſdem ſuſpicio ſuboriatur? Utrum Puerorum illegitimorum Baptiſmus, eorumque ubi moriantur, ſacra ſepultura negligatur?

III. Utrum in loco ſit Noſocomium cum Rota ad modum tympani, ac tintinnabulo, quò Projecti ad vitanda immania diſcrimina inſerantur? Si tamen deeſt Noſocomium; utrum Univerſitas, prout indubitati juris eſt, eoſdem excipiat; vel ob hujuſmodi Rotæ defectum, ſub dio publicis locis exponi ſoleant cum periculo, ne a Canibus devorentur? Et an Projectis iiſdem, ſive cum ſchedula de Baptiſmo teſtante, ſive abſque illa repertis, juxta Romana decreta conditionatus Baptiſmus miniſtrari conſueverit?

IV. Utrum debita cura vigeat baptizandi Abortivos, & an crudelitate Feris ipſis ignotà, occidantur?

V. Utrum Fœtus ipſi primorum dierum, qui dant vitæ ſigna per motum, præmiſsâ conditione baptizentur? Et an idem fiat, quando, licet motum non oſtendant, non tamen laceri ſunt, corrupti, aut conquiſi: atque ideo certò exanimes eſſe non conſtat?

VI. Utrum Nonnati, ſi baptizari poſſunt, vel Nati, aut Abortivi, quamvis aliquando ſine motu, ſine pulſu, ſine reſpiratione, & ſenſu mortui videantur, cum reverà ſæpè non ſint: dummodo putrefactionem, & alia indubitata mortis ſigna non præſeferant; cum conditione citiſſimè baptizentur: curandi poſtea ſi fortè ad vitæ munia erigi poſſint?

VII. Utrum Conjugati modum conferendi premente neceſſitate Baptiſmum, ejuſque materiam, ac formæ verba percalleant?

VIII. Utrum Parochi, eorumque Adjutores in miniſtranda Sacra Euchariſtia, vel Pænitentia Mulieribus Conjugatis, vel nuper viduatis, at gravi morbo implicitis, inveſtigent, an illæ ſint gravidæ: & an idem præſtent, ſi ipſæ matrimonio quidem ſint ſolutæ, verùm prudens aliqua ſuſcipio, vel timor exoriri poſſit graviditatis earum?

IX. Utrum Parochi in Partu Cæſareo ſuadendo, ac procurando ſint accurati, eique per ſe ipſos aſſiſtant, itaut in morem abierit. Hic Parochi fortaſſe dicent in ſua Parochia Partum Cæſareum in uſu eſſe. At pro certiſſimo ſciant Epiſcopi hoc eſſe plerumque, magna ſaltem ex parte, a veritate alienum. Amicus Parochus Deo benedicebat, quod

ſibi

ſibi olim quemdam Puerum liberare hujuſmodi ſectione dediſſet. At cum ejus Parochia ferè duodecim Incolarum millia contineret, ipſamque ille quindecim annorum ſpatio gubernaſſet; eum reprehendi: in tantâ enim temporis amplitudine, tantâq; Civium frequentia, plurimos liberare debuiſſet. Is ergo, quoniam a Parœcia fortè aberat, ſcripſit ad Œconomum, ut invigilaret attentiùs: & ecce ille citiſſimè reſpondet, monitionem fuiſſe peropportunam: jam enim occaſione ſubinde nata, mortuam Gravidam incidi fecerat, Fœtumque baptizaverat. Et ſanè deprehendent Epiſcopi Cæſaream Inciſionem in ſolis Gravidis nonimeſtribus, ac in partu occumbentibus ad ſummum frequentari: tunc enim tantùm Parochi Mortuarum prægnationes agnoſcere ſolent: reliquæ alto ſub ſilentio deliteſcunt. Ex Riolani verbis deſumitur, ejus ætate in Galliis pro Fœtibus tantùm nonimeſtribus, Matre in partu moriente; volente tamen Patre, & Prolem optante, fuiſſe miniſtratum. Quid igitur de tot Pueris nono menſe minoribus? Quid ſi Pater de Hærede habendo non curaſſet? Malum tamen hoc ad præſens etiam vigere in Galliis, ex Bruhierii ad Regem libello de renovanda Partus Cæſarei Lege, dubitare non licet. (a)

X. Itaque diligentiſſimè inquirat Epiſcopus: utrum Partus Cæſareus generatim, ut debet, in Gravidis omnibus defunctis peragatur: an in illis tantùm, quæ in partu, vel nono menſe moriuntur: omittatur autem in aliis? præſertim ubi Fœtus ſint ſeptimo menſe minores; ac ſi liceret horum perditionem tutâ conſcientiâ permittere.

XI. Utrum Conſanguinei Prægnantium Defunctarum Partui Cæſareo adverſentur, eumque negligant, vel impediant: & utrum Parochi, ubi eos obſtinatos viderint, ſæculare brachium invocent, ac laici Magiſtratus illud impertiantur?

XII. Utrum in Oppidulis, ac Pagis inveniatur, qui ſectionem efficere noverit; & utrum hic juſta ſit mercede contentus, an verò poſtulet excedentem?

XIII. Utrum poſt Prægnantis mortem ſectio fiat illicò: & an dum expectatur Peritus, ad Pueri vitam conſervandam, Gravidæ venter pannis ad ignem calefactis foveatur?

XIV. Utrum ſectio omittatur eo vano pretexto: quod longum præterlapſum ſit tempus à morte Prægnantis?

XV. Utrum in Oppidulis reperiantur Sedes, ſeu Scamna pro partu, & Chirurgi, qui in Partu difficili peritiâ ſuâ, & inſtrumentis, præſertim Palfiniano emendato, (b) Parturientem juvare valeant, vivumque Infantem extrahere incolumem?

XVI. Utrum in Partubus deſperatis Cæſarea Viventium inciſio in morem venerit?

XVII. Utrum Obſtetrices Puerulos periclitantes, quamvis prorſus in utero ſitos, dummodo falcem Syphunculo phyſicè lavari poſſint, cum conditione baptizent?

XVIII. Utrum Parochi ſaltem quotannis, Obſtetricum de Baptiſmo adminiſtrando examen renovent, ſive Baptiſmus ab eis collatus reiterari ſoleat, ſive non: & illas erudiant moneantque juxta dicta toto Capite ſexto libri hujus: ea addentes etiam, quæ de Monſtris capite nono libri tertii tradidimus.

XIX. Utrum Parochi Baptiſma domi, præſertim ab Obſtetrice, collatum, ſecundum capituli antecedentis monita, diligentiſſimè diſcutiant.

XX. Utrum Parochi de orationibus, maximè à Parentibus, pro Nonnatis ad Deum ſæpè fundendis: deque aliis huc, uſque notatis Populum ex profeſſo ſaltem ſemel in anno, reddant inſtru-

ctum

(a) Vide ſupra *l.* 2. *c.* 3. *n.* 10.
[b] *Lib.* 3. *c.* 1. *n.* 4.

Digitized by Google

ctum. Parochi enim Obſtetrices, & Populum, in omnibus erudire, quæ pro æterna Infantulorum ſalute, ſunt ſcitu neceſſaria ſub gravi culpa obſtringuntur. (a)

§. II.

Malorum deinde remedium illud erit, nimirum regulas aliquot præſcribere, quas, ne unquam oblivione deleatur, Synodalibus conſtitutionibus inſeri neceſſe eſt. Præcipuas hic ſolùm attingam.

I. Ac primò ſtatuat Epiſcopus non tantùm Obſtetrices ad munus exercendum non admitti, niſi poſt examen circa Baptiſmum, & poſtquam ipſis alia ut ſupra ſcitu digna tradita ſint; ſed etiam examen iſtud ſingulis annis eſſe renovandum. Obſtetricibus hanc renovationem recuſantibus ab officio interdictis.

II. Deinde cum futuri ſponſi ante proclamationes circa Fidei rudimenta examen ſubeunt; de modo etiam Baptiſmum conferendi, cujus ipſi urgente neceſſitate Miniſtri aliquando eſſe poterunt, examinari decernat.

III. Tertiò ſtatuat, ut ſemel ſaltem in anno, puta die Beatis Innocentibus dicata, ad id opportuna; ac prætèrea ubi ſeſe, prætertim in Catechiſmis dabit occaſio, Parochi ſub aliqua mulcta de cura pro Nonnatis habenda Populum edoceant. (b)

IV. Quarto in Noſocomiis aliiſque piis Domibus; quibus Projectorum onus incumbit, vel fortè ex fundatione, aliave cauſa incumbere debet, rotam cum Tintinnabulo pro eorum receptione ſtabiliri præcipiat.

V. Quinto jubeat ut Projectis generatim ſive cum ſchedula de recepto Baptiſmate, ſive ſine illà repertis, Baptiſmum conditionatum eſſe renovandum.

VI. Sexto Indulgentiam primò concedat iis omnibus, qui Parocho procurantes Abortum, impediendi gratia, denunciant. Secundò, alicujus Moribundæ graviditatem Parocho revelantibus. Tertiò Abortivos baptizantibus, & ad id cooperantibus. Quartò his, qui ſuaſione, aut aliter quomodocumque Partui Cæſareo Defunctarum induſtriam ſuam contribuunt, ut in Diœceſi Lingonienſi, jam inde ab A. 1404. ſtatutum fuit; vel etiam Partui Cæſareo Viventium, ſive adhuc vivo Puero, ſive etiam exanimato. Inſuper his, qui qualitercumque Fœtui, vel Parturienti ad eos liberandos opitulantur: quibus omnibus Edictum Panormitanum, ac Monteregalenſe Jacobi Bonanno Archipræſulis Indulgentiam largiuntur. Demum Projectos piè ſuſcipientibus, vel baptizari, & educari curantibus, vel eis quoquo modo ſive ad Animæ, Corporiſve ſalutem opitulantibus.

§. III.

Quò verò ad pœnas; profectò ſpirituales parcè ſunt irrogandæ; ſi autem Epiſcopo expedire videbitur, poterit excommunicationem, etiam ipſo jure, ſequuto Abortu, vel omiſſione Cæſarei Partus, ac Parvuli morte incurrendam imponere.

I. Contra eos, qui certò ſcientes procurari alicujus Gravidæ Abortum, nec aliter impedire valentes, Parocho non revelent. Etſi ſatiùs putem in eo caſu excommunicationem ferendæ tantùm ſententiæ decerni.

II. His, qui non denunciant Mortuam utero gerere, quamquam ſanguine vel affinitate conjuncti.

III. Peritis, qui inciſionem ad extrahendum Fœtum, etſi mercede prorſus

(a) Roncaglia t. 2. *tract. de Bapt. c. 4. in Reg. pro Praxi*, & *Alii*.
(b) Ex Edict. Agrigent. hic in App. mon. IX.

Digitized by Google

ſus deficiente detrectarent.

VI. Conſanguineis, Domeſticis, & aliis, qui inciſionem impedirent, etiamſi ea deinde fieret, ſed irrito eventu, propter antecedentem ſcilicet reſiſtentiam. Poterit autem Antiſtes pro excommunicationis pœna in prænotatis perſonale interdictum, ſi malit, ſubſtituere.

V. Nec impunes relinquendi ſunt Parochi negligentes: proinde in eos vel mulcta gravis, vel pœna ſuſpenſionis ipſo facto, vel ſimul ambæ ſtatui poterunt, unà ſcilicet ad ſupplementum alterius adjuncta: nempè.

1. Ubi fortè in caſu reſiſtentiæ Magiſtratus laici brachium non poſtulaverint: vel ſi opus fuerit, & in Civitate Epiſcopali degerint, ad Epiſcopum ipſum non convolarint.

2. Præcipi etiam eis convenit, ut ſi aliquis interea Puer abſque Baptiſmo deceſſerit, ipſi, rogatis tunc ſibi de adhibita à ſe diligentia Teſtibus, omnino ad Præſulem referant: in Civitate quidem Epiſcopali infra tertium diem, per Dœceſim tamen infra octavum, ac ſub eadem ſuſpenſione: ut delinquentes pœnis Canonicis puniantur. Exempla verò hujuſmodi cenſurarum habes in Edictis, quæ dabit Appendix.

3. Pœna quoque ſuſpenſionis intorqueri poterit Parochis per aquæ benedictæ aſperſionem, dantibus ultimum vale Defunctis gravidis, inciſione non facta.

§. IV.

Pro exequutione tamen regularum, quas favore Infantium Prælati deſcripſerint, oportebit.

I. Eos cum ſæculi Principibus agere, ut novis iſti Sanctionibus, Leges cæteròqui antiquas, de non ſepeliendis ante inciſionem Gravidis, ſub homicidii ſuppliciis inculcent: atque ut Magiſtratibus, aliiſque Officialibus pœnam decernant, ſi tam ſancta jura ſedulò ſervari non ſatagant: ac multò magis ubi à Parochis requiſiti non illicò brachium auxiliare concedant. Statutum quoque inſinuabunt contra procurantes Abortum; vel illegitimorum Filiorum Baptiſmum corumve, ſi mortui fuerint, eccleſiaſticam ſepulturam omittentes. Nec deſinent pro expoſitis etiam, ſeu Projectis inſtare, ut eadem Lege ipſorum incolumitati, & educationi conſulatur. Ad quod maximè conducet, & Rotæ ubique locorum erectio, & Deputationis Projectorum, de qua ſupra dictum fuit, inſtitutio. Exempla verò hujuſmodi ſtatutorum exhibimus in Appendice (a) quibus & aliqua etiam addi poterunt ex Edictis Henrici Secundi Galliarum, & Fiderici V. Boruſſiæ Regum excerpta. Profectò nobiliora Decreta, quæ in Priſcis Imperatorum conſtitutionibus ad Animarum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ bonum conducentia demiramur, Sanctorum veterum Epiſcoporum zelo debemus: qui, ut Eruditi ſæpiùs adnotarunt, in Synodos, per illud ævum frequentes, congregati, eadem præclarè jam excogitata, maturèque digeſta, ſummis Principibus edenda ſuggerebant.

2. Præſules ipſi, quæ in hac materia facienda probavimus, & Populos, & Parochos in Synodis, Viſitationibus, Parochorum congreſſibus, privatiſque cum iiſdem colloquiis diligentiſſimè commonebunt. Vicariis verò foraneis, ac Synodalibus Teſtibus injungent Parochorum circa præmiſſa negligentiam ad ſe deferre.

3. Sæpiùs per fidedignos exploratores inveſtigent utrum Regulæ a ſe conditæ a Parochis, Vicariis, aliiſque adamuſſim cuſtodiantur. Hanc verò inquiſitionem inſtituent tam in Oppidu-

(a) Vide ſtatuta Sicula *in Append. Monum.* 4. 5. 6., & *Mon.* 13. 14. 15. & *in Annot.*

dulis, lociſve ignobilioribus, quàm etiam ampliſſimis in Urbibus: etenim deteriora, & atrociora mala in hujuſmodi materia graſſantur ut plurimum, vel in primis propter Miniſtrorum quorumdam inſcitiam, ac Medicorum defectum, vel in ſecundis propter Populi multitudinem, & implicatam negotiorum varietatem, quæ non omnia Paſtoribus opportunè providere, ac moderari permittit. Quis enim crederet? Pariſiis urbe ſcilicet, in qua tanta Civilis, & Eccleſiaſtica emicat diſciplina, Sancti Vincentii à Paulo ætate (quod ſupra dictum eſt) cum ſingulis annis quadrigenti ſaltem, vel ut minimùm trecenti Expoſiti reperirentur; nullum ex his Baptiſmate donatum, omneſque tandem ſine hoc neceſſario Sacramento deceſſiſſe? [a] Si ergo tot ibi jam Nati tantam cladem ſubibant; quot alios per Abortum emiſſos, quot verò alios Nonnatos, etiam legitimos, ac Matribus morientibus conſepultos, periiſſe putandum eſt? Populoſæ Civitates Silvæ omnino ſunt quàm denſiſſimæ, in quibus feræ, atque Serpentes nimirum infanda mala, atque ſcelera uti facillimè ſeſe abdunt ita diutiſſimè quoque deliteſcunt: oportet ergo ut Epiſcopi, Regiorum Nemorum Cuſtodes imitando, ad eos extirpandos ſedulò incumbant, ſolertiamque conduplicent. Solet enim Deus Epiſcoporum zelum in divina Gloria, Animarumque ſalute promovenda, benedicere, ac fortunare.

4. Imitandum certè Melitæ Epiſcoporum ſtudium, ubi cum Hieroſolymitano Ordine Pietas, & Religio conſediſſe videntur. *In hac mea Diœceſi*, ait Paulus Alfaran Clariſſimus ejuſdem Urbis Antiſtes [b] *hac regula obtinuit a Cocco Palmerio eximiæ Charitatis Epiſcopo ſtabilita. In occultis nimirùm graviditatibus Obſtetrices omnes graviſſimarum pœnarum formidine vel Fiſcali Generali, vel Profiſcalibus Epiſcopalis Curiæ ſecretò renunciare tenentur, ut re ab his Præſuli communicata, Hic præceptum de cuſtodia Partus imponere poſſit, & Parocho, quem aptiorem judicabit, Sacri Baptiſmatis collationem committere:* puta Parocho viciniori, & accuratiori, quod in Civitatibus ubi multæ, ac magnæ ſunt Parochiæ, ad indecora puerperia occultanda ſummopere laudandum. *Porrò ex quo Deus contra quam ipſe merebar, me, ad paſtoralem hujus Diœceſis curam aſſumere dignatus eſt; ſanctam hanc methodum in plurimis Filiarum familias, aliarumque Puellarum caſibus inviolatè retinui. Addendum hic etiam, Chirurgos pari modo, ac Obſtetrices ad denunciationem obbligari. Parochi autem juxta Sacrarum Viſitationum edicta, magnà ſedulitate in id incumbunt, ut hujuſmodi Prægnantium occultarum notitiam aſſequantur, ad me illicò delaturi. Cura deinde, quæ in Sacro Noſocomio Infantibus expoſitis exhibetur adeo mirabilis eſt; ut miſeræ, infeliceſque Puellæ, quibus prægnatio turpis acciderit, plenæ fiducia propter Aſylum ipſis in ſacro iſto loco pateſcens, de procurando Abortu nullatenus cogitent. Ad evitandum etiam Abortuum crimina ſtatuit egregius Epiſcopi Cocci Palmerii Zelus, ut inter caſus reſervatos cum excommunicationis pœna tertiùs hic eſſet.* (Fœtus inanimati Abortum Procurantes.) *Quamobrem nimis rarò pullulant Abortus malitioſi.* Pudeat ergo alios, ſi qui fortè ſunt, negligentes.

5. Porrò ſi modus charitati, & ſolertiæ Epiſcoporum ſuppetit Infantibus illegitimis ſuccurrendi; quanto faciliùs impedient ne legitimi, & vivi cum defuncta Matre ſepeliantur? Æquidem ſcio ad hæc

 ipſa

(a) Abelli Vita S. Vincentii a Paulo *lib.* 2. *c.* 23. Joann. a SS. Sacramento vita ejuſdem *c.* 26.

[b] In Epiſt. ad me data.

ipſa non exiguam in Epiſcopis, æquè; & in Parochis requiri ſollicitudinem: verùm Charitas, ubi verè talis eſt, qualis in Dei Miniſtris & eſſe debet, & eſſe præſumitur, ſcilicet inſignis, obſtacula omnia vincit. Expedit tamen, ut Prælati inſtructionem aliquam, vel edictum concinnent quotannis Populo in die Sanctorum Innocentium publice legendum. Varia ex his a ſiculis Pontificibus lata in Appendice referemus. Ubi autem id Epiſcopi negligerent, Parochus inſtructionis loco Edictum adhibebit, quod ad numerum ſeptimum dabimus Appendicis ejuſdem: præciſis tamen ab illo Indulgentiis, pœnis, ac aliis, quæ non niſi Epiſcopis pro poteſtate loquentibus congruere poſſunt.

6. Quoniam verò Epiſcopi ſæpè negotiorum ingenti mole obruuntur: ne Infantium præſertim Nonnatorum cura, qui non modica ſunt Animarum illis concreditarum portio; aliquo pacto flacceſcat; oportet ut ipſi aliquem præſertim Cathedralis Eccleſiæ Canonicum deſignent, qui plurima, quæ in hoc libro proponuntur,& a Præſule ſtatuenda promoveat, & ſimilia pro re nata ſuggerat facienda, & ex officio Cœteris aliis, eadem exequuturis immineat. Præcipuum namque Senatorum Eccleſiæ munus eſt, non ſolùm Antiſtiti rem divinam facienti miniſtrare; ſed eidem etiam in ſpirituali gubernio, & procurandæ Animarum ſalute conſilium, auxiliumque conferre.

7. Poſtremo ut hujuſmodi Regulæ in praxim deducantur, ac deducta cuſtodiantur; illud ſummopere quidem præ oculis habendum exiſtimo; nimirum Prægnantium Domeſticos, & Conjunctos, Chirurgos, Parochos, alioſve circa prædicta delinquentes eſſe neceſſariò puniendos. Leges enim omnes præclaræ ſunt atque ſpecioſæ, at inutiles, & contemptæ jacebunt, ſi pœnas nunquam reipſa infigenda fruſtra comminentur. Objurgavit Chriſtus Apoſtolos ſuos, dum hi Pueros ad ſe venientes arcebant, quod non ſine myſterio Sanctus Marcus tam luculenter enarravit (a) *Et offerebat illi Parvulos, ut tangeret illos: Diſcipuli autem comminabantur offerentibus, quos cum videret Jeſus indignè tulit, & ait illis: ſinite, Parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium eſt enim Regnum Dei.*

8. Nam ut omnia ſemel dicam, Conſanguinei, Sacerdotes, Parochi, Medici, Magiſtratus, Principes, Epiſcopi, qui miſerrimis his Infantulis non opitulantur, æquè Rei ſunt, ac ſi re ipſa illos interficerent, ac a ſalutis æternæ conſequutione repellerent: præſertim verò, qui majori pollent poteſtate, quique tenentur alios ad officium cogere; dicente Seneca: *Qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet.* Verùm ſi hoc Opus Legenti nimis grave, at difficilia præſertim ab Epiſcopis, & Parochis expoſcere fortaſſe videar; fidentiſſimè reſpondebo: non debere illum eorum onera, qui Chriſti Apoſtolis, Diſcipuliſque ſucceſſere, cum propria tepiditate, vel ignavià metiri; ſed cum ſublimitate, longitudine, ac latitudine Paſtoralis muneris, cum cœleſtis Gratiæ copia, quæ a Deo tam arduæ vocationi tribuitur & cum virorum Apoſtolicorum, imo & ipſius Chriſti Domini exemplo, quod adeò magnum eſt, & ſuperexcellens;ut Patres,& ex his Tridentina Synodus, Animarum procurationem onus appellaverint, ipſis Angelicis humeris formidandum. Et profectò Deus tam onerosum, & curis undequaque plenum diviniſſimum ſalvandarum Animarum judicat miniſterium;ut etſi minimus Beatorum Angelorum pluribus Regnis gubernandis per ſe ſolum ſufficiat; nihilominùs ad rei gravitatem oſtendendam

(a) Marci 10.

dam; noſtramque deprimendam audaciam, uni Angelo non niſi unam commiſerit Animam, & inſuper Communitatibus Archangelos præfecerit, Diœceſibus tamen, aut ſaltem Provinciis, Principatus: mentes nimirùm præ Angelis cuſtodæ ſingulorum deputatis, etut plurimùm ex infimo Choro demiſſis, longè ſublimiori virtute præſtantes. Verùm hac ipſa mirabili ordinatione Sacerdotes ſuos confirmat, & roborat: nos enim apertè demonſtrat ſub tot, ac tantis Protectoribus, & Ducibus conſtitutos, & ſupernæ gratiæ vigore, ac fortitudine animatos, & auctos, omnia aggredi omniaque ad fęlicem exitum poſſe perducere, ſi verè, ac unicè Animarum ſalutem, ipſiuſque gloriam ſtudioſiſſimè perquiramus.

FINIS LIBRI QUARTI, ET ULTIMI.

Laudem dicite Deo noſtro omnes Servi ejus, & qui timetis eum Puſilli, & Magni. Apoc. 19. 5.

Digitized by Google

APPENDIX
AD LIBRUM QUARTUM
MONUMENTUM PRIMUM.

Sancti Caroli Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis Benedictio Mulieris gravidæ, præſertim de cujus infelici partu timetur.

Sacerdos dicit.

Deus in adjutorium &c. Gloria Patri &c.

Terra dedit.

DEUS miſereatur nobis, & benedicat nos: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur nobis.

Ut cognoſcamus in terra viam tuam: In omnibus Gentibus Salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi Populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter benedicat nos, Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri &c.

Terra dedit fructum ſuum.

Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvam fac Ancillam tuam.

℟: Deus meus ſperantem in te.

℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie Inimici.

℣. Nihil proficiat Inimicus in ea.

℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Domine exaudi orationem noſtram.

℟. Et clamor noſter ad te perveniat.

℣. Dominus Vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

O R E M U S.

DOmine Deus omnium Creator, & Rector, accipe, quæſumus, ſacri-

crificium Cordis contriti, & fervens deſiderium Famulæ tuæ N. humiliter ſupplicantis pro conſervatione Prolis debilis, quam dediſti eam concipere; & cuſtodi partem tuam, atque ſantifica immensâ benedictione gratiæ tuæ; & defende ab omni dolo, & injuria Inimici, ab omnique adverſitate, ut ad lucem præſentis vitæ, te adjuvante, veniat incolumis, tibique cum omnibus jugiter deſerviat, & vitam demum conſequi mereatur æternam. Per Dominum noſtrum. &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus.

℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace.

℟. In nomine Chriſti.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Deinde aquâ benedictâ illam aſpergit dicens.

Benedictio Dei Omnipotentis Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti deſcendat, & ſit ſemper ſuper te, & ſuper Prolem tuam, & maneat ſemper. Amen.

MO-

MONUMENTUM SECUNDUM.

Oratio Sancti Franciſci Saleſii recitanda a Prægnantibus: ex libro tertio Epiſtolarum Spiritualium, Epiſtola Octogeſima tertia.

O Deus æterne, Infinitæ Bonitatis Pater, qui Matrimonium ordinaſti, ut hic in terra Homines multiplicares, & iſthùc Cœleſtem Civitatem impleres: noſtrumque ſexum ad hoc munus præcipuè deſtinaſti, volens quoque, ut ſæcunditas noſtra ſignum eſſet benedictionis tuæ ſuper nos. Ecce me proſtratam ante faciem Majeſtatis tuæ, quam adoro, pro concepto Infantulo, quem in ventre meo creare dignatus es, gratiss agers. Uerùm o Domine, quoniam hoc tibi placuit, brachium Providentiæ tuæ uſque ad operis, a te incepti, abſolutionem extende: graviditati meæ tua perfectione ſuccurre, & Creaturam, quam in me formare voluiſti, uſque ad horam, qua in lucem venerit, continuà protectione tuà mecum porta; & tunc ò Deus vitæ meæ auxiliare mihi, & dexterâ ſanctâ tuà debilitatem meam confirma. fructumque meum benignis oculis reſpice, uſquequò ſicuti per creationem tuus eſt, ita medià quoque redemptione tuus effici valeat; cum Sacroſanti Baptiſmatis aquà ſuſceptà in ſinum Eccleſiæ Sponſæ tuæ reponetur. O Salvator Animæ meæ, qui dum hic in terris degeres, tam vehementer Puerulos amabas, tamque ſæpè in brachiis tuis ſuſcipiebas: ah recipe, & iſtum, eumque ad ſacram adoptionem tuam perducito; ut te habens, teque invocans Patrem, nomen tuum in illo ſanctificetur, & Regnum tuum ad ipſum pertineat, Itaque eò Mundi Redemptor eum ex toto corde meo deputo, dedico, & conſecro obedientiæ tuorum mandatorum, amoris ſervitutis tibi debitæ, & ſervituti amoris tui. Quoniam verò Juſtitia tua primam Hominum Matrem cum totà poſteritate, multis doloribus, & pœnia in partu ſubjecit, voluntariè labores omnes accepto quos o Domine, hujuſmodi occaſione placitum tibi fuerit a me ſubſtinendas permittere. Solùm te deprecor propter ſacrum, lætumque Innocentiſſimæ Genitricis tuæ partum: ut quo tempore miſera, viliſque Peccatrix paritura ſum, te mihi propitium præbeas, me una cum Filiolo, quem mihi tribuere dignaberis, benedicens benedictione æterni amoris tui, quam de tuà Bonitate ſummopere confidens, a te humillimè depoſco. Tuque Virgo Mater Sanctiſſima, Domina mea maximè dilecta, & unica Regina, ſingulare Mulierum decus; ſub patrocinio tuo, & in ſinu maternæ, & incomparabilis ſuavitatis tuæ deſideria mea, & deprecationes recipe, ut Filii tui miſericordia eas exaudire dignetur. Hæc a te peto, atque exoro, quæ omnium es Creaturarum amabiliſſima; propter virginalem amorem, quo dilectum Sponſum tuum B. Joſephum proſequuta es, propter infinita merita nativitatis Filii tui, propter ſanctiſſima viſcera, quæ eum portaverunt, & Sacra Ubera, quæ eum lactaverunt. O Sancti Angeli ad meam, Filiique mei, quem gero, cuſtodiam deputati, utrumque noſtrum defendite, & gubernate; ut veſtro tandem præſidio ad gloriam, qua fruimini pervenire poſſimus, ut una vobiſcum communem Regem noſtrum, ac Dominum, laudare, & exaltare mereamur, qui regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

MO-

MONUMENTUM TERTIUM.

Oratio pro Infantibus Nonnatis, vel non baptizatis, propter quam quadraginta dierum indulgentiam toties, quoties in ſua Diœceſi recitabitur, conceſſit Archiepiſcopus Panormitanus.

PATER Cœleſtis; qui curam geris etiam Paſſerum, qui amas Homines, eorumque Prolem: Parvulos omnes, etiam Nonnatos, oculis miſericordiæ tuæ benigniſſimè reſpice: neque permittas eos ſine gratia tua mori, ſed tuere illos ab omni Hominum, Dæmonumque nequitia, ut opitulante providentia Nati quidem Baptiſmum conſequantur; Nonnati verò incolumes tempore debito in lucem veniant, atque ita ipſi quoque ſacra lotione mundentur. Si quos verò ætate procedente, damnandos prævides, ad te potiùs jam baptizatos ante rationis uſum miſericorditer evoca. Reſpice in ſaciem Infantis tui Jeſu, qui te de Genitricis etiam utero glorificavit, & per Prophetam tibi dixit: de ventre Matris meæ tu es protector meus. Reſpice Mariam, Beatoſque Innocentes pro Pueris omnibus deprecantes, ne tuus Hoſtis unquam in illorum perditione glorietur. Per Chriſtum &c. Amen.

MO-

MONUMENUTM QUARTUM.

Recens Pragmatica Sicula de Partu Cæſareo, & Abortu.

CAROLUS Dei gratia Rex utriuſque Siciliæ, Hieruſalem &c. Infans Hiſpaniarum, Dux Parmæ, Placentiæ, & Caſtri &c. Magnus Hæreditarius Etruriæ Princeps &c.

Vicerex, & Generalis Capitaneus in hoc Siciliæ Regno Reverendiſſimis, Reverendis, ac Venerabilibus in Chriſto Patribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, eorumque Vicariis, & Locumtenentibus, Parochis, aliiſque Officialibus, & perſonis Eccleſiaſticis; nec non Illuſtribus, Spectabilibus, Magnificis, & Nobilibus hujus Regni Officialibus Magiſtro Juſtitiario, ejuſque Locumtenenti, Præſidibus Regiorum Tribunalium, Judicibus Magnæ Regiæ Curiæ, Magiſtris Rationalibus, Theſaurario, & Conſervatori Regalis Patrimonii, Judicibus Conciſtorii Sacræ Regiæ Conſcientiæ, Advocatis quoque, & Procuratoribus Fiſcalibus, Protomedico præſenti, & futuris hujus Siciliæ Regni; necnon Illuſtribus, ac Spectabilibus Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, & Baronibus, ac etiam Vicariis, Commiſſariiſque generalibus per totum hoc Siciliæ Regnum deſtinatis, ſeu deſtinandis, Armorumque Ducibus, Poteſtatibus, vulgò *Juſtitiæ Capitaneis*, Judicibus, Fiſcis, Syndicatoribus, Delegatis, & quibuſcumque aliis Officialibus, & perſonis Regni prædicti majoribus, & minoribus, quocumque officio, titulo, auctoritate, poteſtate, ac dignitate fungentibus conſtitutis, & conſtituendis, tam præſentibus, quam futuris, cui, vel quibus præſentes præſentatæ fuerint, aut quomodolibet pervenerint, Conſiliariis Regiis, fidelibuſque ſalutem.

Deteſtabilis uſquemodò fuit ſocordia, quæ in pleriſque hujus Regni Civitatibus, & Pagis graſſabatur, ubi Mulieribus gravidis mortuis, nulla ſubibat Adſtantes cura de Fœtu, ſeu Infantulo in Matris Utero exiſtente, qui ut plurimum vivus remanet, pro ut ex innumeris experimentis compertum eſt: nec enim recogitabatur eum per Cœſareum Partum, ab ipſo Jure communi, & civili præceptum, facilè extrahi poſſe, atque ita ab immatura morte liberari, vel ſaltem ad æternam fœlicitatem medio Baptiſmatis lavacro perduci: ſed contra ſæpè accidebat Matrem ſimul cum concepta, etſi non agnita, Prole, ſepeliri. A nonnullis ergo Dei zelo ferventibus Viris, qui mala prædicta ob oculos noſtros poſuerunt, excitati, neceſſarium eſſe arbitrati ſumus: graviſſimi hujus negotii examen Præſidum, & Conſultoris Conventui delegare, qui cum pro rei gravitate idipſum maturè digeſſerit; ſcripta nobis conſultatione renunciavit: Pragmaticam conſtitutionem, numquam interciſuram, eſſe omnino ſanciendam: formamque in ea præſcribendam, quæ in hujuſmodi caſibus neceſſariò ſervetur. Huic igitur inſinuationi annuentes, per hanc noſtram Regiam Secretariam Chirographum ad Sacrum Regni Concilium direximus, ut, quod ab antedicto Conventu propoſitum nobis fuerat, exequeretur. Sacrum vero Concilium eidem noſtro Chirographo obſecundans ſedulò perpendit quam æquum ſit publicam auctoritatem ejus generis malis occurrere: quamobrem de hujuſmodi re, quæ & in ſe ipſa graviſſima eſt, ac divinæ Gloriæ, Regiæque Majeſtatis quam maximè intereſt; præſentem Pragmaticam Sanctionem condi, & publicari decrevit.

Hujus igitur virtute omnes Reverendiſſimos, Reverendos, ac Venerabiles Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, Vicarios, ac Generales Locumtenentes, Parochos, Beneficiatos, Cappellanos, alioſque Eccleſiaſticos Viros in aliqua dignitate, vel exer-

citio cujuſcumque muneris, vel juriſdictionis Eccleſiaſticæ propriæ, vel delegatæ conſtitutos, vel etiam in ſtatu privato exiſtentes, hortamur, ut omnes pro virili ad id, quod in ea ſtatuitur, obtinendum, operam quique ſuam conferre ſtudeant: et inſimul omnibus, & quibuſcumque Officialibus laicis majoribus, vel minoribus, ſive ii ordinariæ Regiæ juriſdictioni ſubjecti ſint, ſive quocumque foro, etiam præcipuo, ac ſingulari muniti; præcipimus, ut & ipſi pro ſua quiſque parte illos contingente eidem conſtitutioni adamuſſim, ac ſub pœnis infra deſcribendis obtemperent.

I. Ubi ergo quæcumque Prægnans, cujuſcumque gradus, & conditionis obierit; ſi Maritus, Propinqui, vel Domeſtici ejuſdem, probabilem opinionem habuerint, eam utero gerere; onus omnibus his incumbat curandi, ut ſacta primùm indagine, utrum revera expiraverit; eadem illico mediâ operatione Cæſarei Partus incidatur, utque conceptus Infans extrahatur, & baptizetur. Ad quem finem aſſequendum, convenit antea præmonere Chirurgum, aliumve Peritum, ut infra explicabitur; qui dictam operationem efficere debebit, ut ille neceſſariis omnibus præparatis ad eam peragendam promptus inveniatur. Quod ſi fortè Peritus haberi ſtatim non poſſet; prædicti, quouſque accurrerit ille, operam dabunt, ut Prægnantis defunctæ venter, pannis lineis igni admotis, calidus interea conſervetur.

II. Operationis faciendæ onus principaliter Chirurgis imponimus, & in eorum defectu Obſtetricibus, aut Barbitonſoribus: atque ubi iſti minùs idonei fuerint, Medicis ipſis phyſicis, vel aliis, qui potiùs eligendi videbuntur. Atque ideo jubemus, ut in poſterum ii, ad quos pertinet, aliquem ad Barbitonſoris, vel Obſtetricis munus nequaquam approbent, niſi priùs medio examine, de modo, cæteroqui facillimo, Cæſareum Partum defunctarum, ubi expediat, exequendi, ſatis peritum ſeſe probaverit. Quocirca jubemus Regium Protomedicum in omnibus hujus Regni Civitatibus, & locis breviter ſimul, & dilucidè prædictæ inciſionis methodum decernere, deſcribere, ac publicare, quam volumus ab iis, ad quos attinet una cum regulis ad Nonnatos Infantes adjuvandos magis neceſſariis, aliiſque ſimiliter, quæ ipſe pro minùs Peritorum inſtructione præſcribenda duxerit, exactè obſervari.

III. Chirurgis, aliiſve, qui operationem, ut ſuprà, præſtituri ſunt; mercedem aliquam petere interdicimus, ubi Defunctæ Maritus, vel Cognati, qui ſolvere tenerentur, vel ipſa defuncta paupertie laborent: ubi tamen Hi ſolvendo eſſent, non propterea, illi mercedem, quæ conſtitutionum Protomedici taxam excedat, exquirere poterunt: de ipſa verò nunquam paciſcentur, imò neque mentionem ullam habebunt, niſi jam operatione peractâ. Itaut ſi Chirurgi, Medici, Barbitonſores, vel Obſtetrices, aliuſve, qui in eorum defectu, ab Officialibus Juſtitiæ ad ſectionem idoneus extimaretur; quacumque ratione ad parendum huic legi difficiles ſeſe oſtenderent, & propterea quamquam ad breve tempus, Partum Cæſareum remorarent; Officiales Juſtitiæ loci, & eorum quiſque illis biennalis carceris pœnam, quam ſtatuimus, aliaſque noſtro noſtrorumque Succeſſorum arbitratu infligendas interminabit. Similiter tamen eoſdem Officiales adſtringimus ad curandum, ut viceverſa palatino modo, & abſque ulla judicii figura, juſtum, ac debitum ſtipendium à Defunctæ Propinquis, vel reſpectivè Hæredibus, operationem Adminiſtranti diligentiſſimè perſolvatur.

IV. Ubi gravida Marito careat, Propinquis, atque Domeſticis; tenebuntur Vicini, & Alii, qui graviditatis, præſertim illegitimæ, notitiam habuerint, Juſtitiæ Miniſtros cum ſupradicto præventu implorare, quo celerrimè, opportunè & ex officio dent operam, ut ipſa inciſio peragatur: ſaltem ejus faciendæ curam, ſi in loco extiterit Noſocomium, ipſius Rectori committen-

Digitized by Google

do; vel aliam ſanè viam ineundo, quam pro majori celeritate opportuniorem judicabunt. Ac ſimiliter ſi Prægnans Maritum, vel alios Propinquos, aut Domeſticos haberet quidem; at inciſionem iſti negligerent; maximè ſi prægnatio ſit illegitima; ipſi vicini Magiſtratuum officium, ut hi provideant, implorare tenebuntur.

V. Omnium quoque hujus Regni Noſocomiorum Rectoribus, ex proprii muneris debito inſiſtendum erit, ut hujuſmodi inciſio in Gravidis, quæ in eorum Noſocomiis deceſſerint, pari modo efficiatur.

VI. Ubi clarè non conſtet (conſtare autem eſt difficillimum) Fœtum in Utero defunctæ Mulieris exiſtentem, jam objiſſe; præſumendus ſemper eſt vivens: proinde inciſionis cura, & exequutio ab iis, ad quos, uti ſupra dictum eſt, pertinebit; quodcumque tandem tempus a morte Matris elapſum ſit, omitti non poterit: cum plurima exempla demonſtrent, nonnumquam Infantes Matri per diem, & ampliùs in utero ſupervixiſſe.

VII. Diſtrictè pręterea decernimus, neque Prægnantis defunctæ Maritum, neque Propinquos, neque alium, nemine prorſùs excepto, poſſe inciſionem impedire: in caſu autem reſiſtentiæ, Loci Officiales, hujus Pragmaticæ, perpetuò valituræ, auctoritate, Viribus Curiæ realibus, & perſonalibus remedium adhibere debebunt: adeout inciſio abſque ulla minimà temporis jacturà exequutioni mandetur: qui verò ſeſe illi opponent pœnis infra irrogandis erunt obnoxii. Officiales etiam, & unuſquiſque ipſorum, qui hujus rei notitiam, quamvis privatam, & extrajudicialem ſortiti; non tamen conveniens remedium attulerint; prout ipſis virtute hujus Pragmaticæ vehementer injungitur; de omiſſione rationem reddere tenebuntur; & ipſo facto, ſi Nobiles, in pœnam triennalis carceris in Caſtro, ſi verò Ignobiles præter triennalem carcerem, in alias inſuper pœnas nobis, noſtriſque Succeſſoribus reſervatas incurriſſe intelligantur.

VIII. Quoniam verò contingere poterit ut aliqua Defuncta illegitimè utero gerat, quæ virtute præſentis Pragmaticæ perſonarum exceptionem non admittentis, ac ſub pœnis antea expreſſis, & infra exprimendis, incidi ſimiliter debet: cumque timendum ſit, ne illius Propinqui, ut à dedecore, quod fortè ſibi occaſione Partus Cæſarei obventurum putant, graviditatem occultare contendant, ſectionemque impedire; ſtatuimus, ac præcipimus omnibus, & quibuſcumque Juſtitiæ Officialibus, Peritis, & aliis, qui operationis Cæſareæ, Mulieribus illegitimè gravidis faciendæ ſcientiam habere, vel ei quomodocumque operam dare debebunt; ut qualibet oppoſitione, & opinione Propinquorum contempta; illam perficiant: omni tamen prudentià, dexteritate, & ſilentio utentes: itaut nemini prorſus, qui operationi non ſit omninò neceſſarius, ejus rei, vel levis notitia communicetur. Eoſdem ergo præmonemus, quod ubi ſive ex malitia, ſive etiam ex negligentia rem debità prudentià, ac dexteritate non bene geſſerint, ad ipſorum punitionem pro ignaviæ, & inobedientiæ ratione deveniemus. Qui tamen antedictam exequutionem impedire tentabunt, vel ei ſeſe opponent; pœnis contra Partus Cæſarei detrectatores, in hujus Pragmaticæ fine ſanciendis, meritò ſubijcientur.

IX. Parochos inſuper omnes hujus Regni etiam atque etiam hortamur, ut Legum Eccleſiæ memores, majori, qua poſſunt, diligentià, atque ſolertià invigilent: ne unquam Mulieres in graviditate defunctæ ſepeliantur, niſi factà priùs inciſione. Itaque haſce Prægnantes ad ſepulturam deferri, eiſque luſtralem aquam impertiri nullo ſanè modo permittant: quin imò per ſemetipſos, ubi Propinqui obſtent, Officialium localium auxilium invocabunt, qui, uti ſupra dictum eſt, de re ipſa rationem erunt deinde reddituri. Similiter quoque Reverendiſſimos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates in hoc Regno juriſdictionis Eccleſiaſticæ uſu pollentes hortamur, ut Parochos, & alios Eccleſiaſticos Homines ſibi ſubjectos, antedi-

cta omnia implere adigant, ſub pœnis illis, quas adversùs eoſdem in ſuis Edictis, vel Diœceſana Synodo pro rei gravitate, & magnitudine decernendas arbitrabuntur.

X. Quantamaximâ fieri poteſt ſeveritate, non ſolùm ſub pœnis infra exponendis interdicimus, nequa omnino Prægnans, quolibet excogitabili modo, Abortum procuret: ſed & ne Alii ad ipſum quidquam auxilii, quamvis minimum, cooperationem, conſiliumve contribuant, ſub pœnis iiſdem. Prohibitum ſit præterea Medicis, Chirurgis, Obſtetricibus, Barbitonſoribus, Pharmacopolis, cæteriſque omnibus præſcribere, porrigere, adhibere, aut vendere Medicinas, vel alia quæcumque remedia, ad finem adeo pernicioſum conducibilia. Supradictis ergo jubemus, ut majori, qua poſſunt, circumſpectione ſemper utantur, ubi in ſuſpicionem venerint, ſive Gravidas, ſive Alios prædicta pharmaca, vel alia remedia, eo pravo conſilio, Abortum ſcilicet procurandi, poſtulare: cum eo caſu manum retrahere debeant, & ab eis dandis, vel exercendis abſtinere. In Prægnantium autem curatione teneantur Medici ſummâ diligentiâ, atque cautelâ, a charitatis Lege imperatis incedere: ne concepto Fœtui medicaminibus a ſe tribuendis nocumentum, aut mortis, vel Abortus periculum inferatur. Quocirca eos etiam hortamur, quibus compertum eſt Abortum procurari, ut ſi alius impediendi modus, non eluceat; id Poteſtati ſeu Juſtitiæ Capitaneo, vel alicui Officiali ſecretò denuncient; quò ad malum arcendum ipſi media opportuna diſponant.

XI. In graviditatibus illegitimis onus erit hujuſmodi Magiſtratuum, aliorumve Officialium, ad quos earum notitia pervenerit, & cæteroqui prudenter timere poterunt, ne aliquis ex malitia ſequatur Abortus; quantocitiùs ad prudentes, ac ſecretas præmonitiones, & cautelas pro partus cuſtodia procedere: ut Prægnans, ejuſque Propinqui congruo tempore de Fœtu reſpondere teneantur: ac ſi Prægnans pauper ſit; Obſtetricem aliquam, aliamve perſonam, quæ ſollicitudinem illius gerat, deputabunt: omnem tamen adhibendo circumſpectionem, Charitatem, Zelum, atque ſilentium, quæ in ſimilibus requiruntur.

XII. Volumus etiam, & hujus Pragmaticæ virtute ſancimus, ne umquam in Abortibus, qui amodo contigerint, Conjuncti, Domeſtici, aliive, qui fortè aderunt, Fœtum imprudenti ſocordiâ projiciant, vel derelinquant: ſed attentè, ac diligentiſſimè perſcrutentur, an vivat; quò ſtatim, quid circa Baptiſmi collationem agendum ſit, deliberari poſſit.

XIII. Pari modo ſtatuimus tam in Abortu, quam in Partu naturali, nemini licere Fœtum, quia deformem, occidere, ſicuti barbaro certe more multoties factitatum eſt: ſi tamen verè ſit Monſtrum; Parochum eſſe advocandum: ut, juxta, Eccleſiæ Leges in Rituali præſcriptas utrum Baptiſmus dandus, vel denegandus ſit, judicet ipſe: vel ſi neceſſarium videatur, atque per tempus fortaſſe liceat; Epiſcopum conſulat, alioſque Peritos.

XIV. Demum præcipimus, atque ſtatuimus, quemcumque hujus perpetuò valituræ Pragmaticæ Traſgreſſorem, ſive Maritus ille ſit, ſive Sanguine Conjunctus, vel Conjuncta, uti ſupra, ſive alia quævis Perſona, cujus dolo, impedimento, vel negligentia Cæſarei Partus operatio cum damno Fœtus omittatur, aut ſaltem retardetur; eum inſuper, cujus malitiâ violentus Abortus, ut antea dictum fuit, evenerit; habendos eſſe criminis homicidii Patratores. Quapropter contra doloſos, hujuſcemodi Reos, & negligentes Tranſgreſſores, vel Impedientes, Officialibus Juſtitiæ hujus Regni mandamus, ut ſeveriori, qua poſſunt, methodo proceſſum omnino conſtruant, illoſque carceribus tradant, & conſuetâ formâ, & juxta Ritum, Legeſque Regni capitali judicio perſequantur; quo deinde ab iis, ad quos pertinet, pro ratione tum qualitatis, & circumſtantiarum in crimine, tum doli, & gravitatis negli-

gen-

Digitized by Google

gentiæ repertæ, ad pœnas damnari valeant, quibus homicidia coercentur, Iſtorum ergo maleficiorum notitiam, ubi contigerint, ad Nos, prout facere tenentur in aliis, per Tribunal Magnæ Regiæ Curiæ Criminalis traſmittant: cui quidem contra prædictos Tranſgreſſores, niſi iidem Loci Magiſtratus meri, & mixti imperii gaudeant exercitio; privativè procedere jubemus; nullo pro hujuſmodi criminibus fori privilegio, quamvis maximo, quo Rei fortè muniti ſint; beneficio admiſſo. Volumus enim eos in caſibus antedictis Regiæ Majeſtatis juriſdictioni ordinariæ unicè, ac privativè ſubjectos. Regium inſuper Fiſcum poſſe in defectu Accuſatoris principaliter agere, & ſubintrare, ut adverſus Reos judicium inſtituatur, ipſique puniantur. Jubemus denique præſentem Conſtitutionem in ſuis omnibus articulis, ac ſenſibus, totoque tenore, utpotè hujus Regni Legem inviolabilem, atque perpetuam adamuſſim, & diligenti exequutione ſervari. Quocirca, ut unuſquiſque illius ſcientiam aſſequatur, ſtatuimus eam conſuctà formà publicandam eſſe, atque ab iis, ad quos pertinet, debitia locis regiſtrandam: neque ſecus ullatenus a quoquam eſſe faciendum. Dat. Panormi die nona Auguſti duodecimæ Indictionis 1749.

DUX DE LAVIEFUILLE.

Jo. Thomas Loredano Præſes Magnæ Regiæ Curiæ.

D. Nicolaus Mira Præſes Conſiſtorii.

D. Franciſcus Gemelli Judex Magnæ Regiæ Curiæ Criminalis.

Fridericus Villaroèl Judex Magnæ Regiæ Curię Criminalis.

D. Franciſcus Paladini Judex Magnæ Regiæ Curiæ Criminalis.

Dominicus Penſabene Judex Magne Regiæ Curiæ Civilis.

Jo. Baptiſta Arceri Judex Magnæ Regiæ Curiæ Civilis.

Hieronymus Caccamiſi Judex Magnæ Regiæ Curiæ Civilis;

Ioſeph Aſmundus釘Paternò Advocatus Fiſci Magnæ Regiæ Curiæ.

D. Ignatius Papè Protonotarius.

Joſeph Maria Jurato Judex Conſiſtorii Sacræ Regiæ Conſcientiæ.

Joſeph Leone Judex Conſiſtorii Sacræ Regiæ Conſcientiæ.

D. Joſeph Catena Præſes Regii Patrimonii.

D. Jo. Baptiſta Jannucci Conſultor.

D. Roſarius Frangipane Præſes Magiſter Rationalis.

Joannes Maria a S. Martino Magiſter Rationalis.

Petrus Filingeri Magiſter Rationalis.

D. Antonius de Sandoval Magiſter Rationalis.

D. Vitalis Valguarnera Magiſter Rationalis.

Stephanus Airoldi Magiſter Rationalis.

Joſeph Arena Magiſter Rationalis.

Lucas Antonius de Laredo Conſervator.

Dominicus Cardillo Magiſter Rationalis Advocatus Fiſcalis.

Joſeph Procopi Magiſter Secretus.

Andreas Ioſeph Regio Theſaurarius Generalis Regni.

D. Franciſcus Notarbartolo Magiſter Portulanus.

Aleſ-

Alexander Teſta Judex Conſiſtorii Sacræ Regiæ Conſcientiæ.

D. Franciſcus Maria Alias Auditor Generalis.

Dominus Vicerex, & Generalis Capitaneus mandavit mihi D. Ignatio Papè Protonotario: & vidimus omnes de Sacro Regio Conſilio.

Promulgetur
Papè Prot.

P. S. P. U.
Pilo Sind.

Die decimooctavo Auguſti duodecimæ Indictionis 1749.

Ego D. Ioannes Baptiſta de Franchis hujus Felicis, & Fideliſſimæ Urbis Panhormi Publicus Præco; ſuperiorem Pragmaticam Sanctionem promulgavi per loca ſolita, publica, & conſueta Tubis Regiis &c.

Pragmatica Sanctio; qua Cæſarei Partus Operatio quibuſcumque Mulieribus in graviditate mortuis facienda, & a quo facienda ſtatuitur. Varia etiam in adeo gravi materià a Regni Officialibus, & a quolibet alio, ad quem res pertinere debebit, aut poterit, exequenda providentur, ac præſcribuntur.

MO-

MONUMENTUM QUINTUM.

Mandatum, ſive Edictum perpetuum Prothomedici Regni Siciliæ,

Onuphrius Milatius Artium, & Medicinæ Doctor, in rebus ad ſalutem attinentibus, Regius Conſiliarius, & in hoc Siciliæ Regno, Inſuliſque adjacentibus, Coſyræ, Liparæ &c. Protomedicus Generalis.

SAlutaris Cæſarei Partus Mulierum in graviditate defunctarum uſus, ut ex iis Fœtus eruatur, non tantùm ab Eccleſia Dei in Rituali Romano illis verbis præcipitur. *Si Mater prægnans mortua fuerit, Fætus quamprimùm cautè extrahatur, ac ſi vivus fuerit baptizetur*: ſed & a Jure ipſo communi, civilique ſancitur: Lex enim expreſsè in univerſum vetat, Fœminam, ſi prægnans obierit, niſi educto ex ea priùs Infantulo, ſepeliri: declarans æquè Homicidas illos, qui hoc neglexerint, ac eos, qui cum Filio ipſam ſimul revera interficerent Genitricem. *Negat Lex Regia*, en ejus aperta, famigerataque verba, *Mulierem, quæ mortua ſit humari, antequam Partus ei excidatur: qui contra fecerit ſpem Animantis cum Gravida perimiſſe videtur.* Vetuſtiſſima quidem Lex, & Regia etiam communiter dicta: quia ab antiquis Romanorum Regibus, quamquam Idololatris, & nihil de Baptiſmate cogitantibus, lata. Cum itaque jam pridem ſpecialis Pragmatica promulgata ſit, in qua Partum Cæſareum in Defunctis Gravidis faciendum eſſe ſtatuitur, ac vehementiùs inculcatur; unà ſimul in ea nobis mandatum eſt, non ſolùm ut methodum illius peragendi explicaremus, ſed & ea præciperemus, quæ nobis ad rem neceſſaria, & opportuna viderentur. Imperata igitur hujuſmodi exequi volentes, & ejuſdem Pragmaticæ articulo ſecundo inhærentes, illiuſque virtute, ac auctoritate hoc noſtro Edicto ſequentia diſponimus, præſcribimus, atque jubemus.

I. Primo cum ab eadem Pragmatica decretum ſit, Chirurgis deficientibus Partus Cæſarei faciendi onus Obſtetricibus, & Barbitonſoribus, atque ubi ipſi idonei non ſint, Medicis Phyſicis incumbere, neminemque in poſterùm Barbitonſoris, vel Obſtetricis artem exercendi facultatem obtinere poſſe, niſi priùs de modo Partum Cæſareum in defunctis Mulieribus miniſtrandi probè inſtructum, atque examinatum; edicimus ut illi, qui ante prædictam Pragmaticam ad Barbitonſoris, vel Obſtetricis artem approbati jam fuerint; etiam ipſi methodum illum exequendi perdiſcant: quæ ſequentibus continetur.

II. Poſtquam Prægnans expiraverit; Chirurgus mortem comprobet, nimirum illius arterias contrectet, ejuſque Cor, ut dignoſcat an motus omnis in ea deſierit. Defunctæ naribus filum lini, vel lanæ, vel candedulam accenſam admoveat, ut ex eorumdem quiete, vel motu conjectet, utrum reſpiratio ceſſarit, Inſuper quia hujuſmodi ſigna interdum fallunt: etiam hæc alia perpendat, Frigiditatem membrorum, ipſorumque nimium pondus, ac rigiditatem: dummodo rigiditas convulſiva non ſit, ſed propria Mortuorum; In convulſiva membrum ad ſitum contrarium ei, ad quem a convulſione ipſà determinatum fuerit, induci non poteſt: imo ſi ad eum cogitur, moxque ſibi relinquitur; ad priſtinum locum cum violentia redibit: in Mortuis verò eodem loco requieſcet, Id præſertim hoc experimento diſcernitur: maxillam ſcilicet inferiorem, e ſuperiore diducendo: nam ſi ea in eodem puncto, ubi deponitur, manet: vel ad priſtinum

qui-

quidem locum regreditur, ſed paulatim, aliquod ſpatium intèr ſe, ac maxillam ſuperiorem relinquens; rigiditas a morte proceſſit: contra verò ſi cum impetu ad ſuperiorem revertitur convulſiva dicenda eſt. Inſpiciatur etiam utrum facies deformata jam ſit: utrum Oculi panno vitreo velati, ac decolorati, & flaccidi jam effecti: & ante ſectionis initium Defunctæ carnibus accenſa candelula admoveatur; ſi fortè illa dolorem oſtendat.

III. In repentina morte notabile ſemper, ad prudentis arbitrium, tempua erit expectandum: prædictaque ſigna, & experimenta majori eum ſedulitate conſideranda, omniaque media erunt adhibenda, ut Mulier ad ſe redeat, ſi fortè Syncope tantùm vel hyſterico, aut ſimili malo proſtrata ſit. (*a*) Pregnantis morte jam comprobata ad Cœſaream operationem deveniendum erit.

Chirurgus tamen ante palpabit, ac diligenter inquiret, ubinam ſitus eſt Fœtus: propinquusnè an diſtans a peripheria, ſeu exteriori parte ventris? ut hujus craſſitiem, atque pinguedinem arbitretur: atque ita ſeſe continere ſciat circa majorem, vel minorem inciſionis profunditatem, nimirum ne feriat Infantem. Inciſio fieri ſolet ſcalpello recurvo, vel cultro, aut novacula. Incipiendum a parte, quæ ſubſtat Cartilagini Enſiformi, ſcilicet paulò ſupra umbilicum, ſed nonnihil a latere, ut ipſe umbilicus, qui ſecatu difficilis eſt, evitetur: deinde inferiùs per longitudinalem lineam uſque ad finem ventris deſcendendum erit, vulnere competentis profunditatis, quodque ad incidendam pellem, carnemque ſufficiat: quæ ſimul junctæ craſſitiem noſtri Pollicis, ideſt digiti majoris parùm excedere conſueverunt: quamvis variam quoque ſortiantur menſuram pro corporis magnitudine, atque pinguedine. Diſſectà carne apparet magna Abdominis, ideſt ventris, membrana, Peritonæum dicta: Peritus eam leviter diſcindit: non enim craſſior eſt velo firmiori cribario. His peractis, inteſtina removet, ac ſtatim ſeſe oſtendet uterus, qui tamen interdum ſubtilis eſt, neque cultri craſſitudinem ſuperat: quapropter leniter, et ipse incidendus eſt, ne Infantulus fortè lędatur: atque ita in conſpectum veniet hic ſecundinis ſuis involutus, quæ vel ſola manu, vel ſi duriores fortè ſint, eodem cultro, vel ſorbicibus, aut aliquo alio inſtrumento lacerantur. Verùm quia nonnunquam conceptio non naturalis fuit, ſed vitioſa; ubi de prægnatione conſtet, neque tamen Fœtus in utero Inveniatur; Peritus ampliori vulnere ventrem diſcindat, & Fœtum vel in cavo ipſius ventris, vel in altera ex Tubis Falloplanis, vel in Ovario, quod ſupra, ſed extra uterum, ſitum eſt; adinveniet. Diſcoopertus ergo jam Puer, ſi, quamvis vivus, debilitate laboret; in eodem ventre baptizetur: ſi tamen viget, reeiſo Umbillcali funiculo, ex utero eruatur, & Baptiſmate donetur. Puero baptizato, Umbiliealis funiculus conſueto more ligandus eſt, Os illi aperitur, Naſuſque mundatur; ipſeque vel appropinquatione ad ignem, vel halitu, vel aquà vitæ, ac ſimilibus recreatur, panniſque calefactis involvitur. Chirurgus verò ſedulò animadvertat, quærendum ſibi ſemper eſſe, utrum Gemellus aliquis, vel alius ex ſuperfœtatione minor Fœtus, vel fortè plures in Matre delliteſcant.

IV. Cum non rarò contingat neceſſitatem Cæſareæ ſectionis faciendæ ex impoſſibilitate Partus provenire: propter quam Gravida e vivis diſceſſerit; ſtatuimus ut Obſtetrlces omnes ſub pœna deſtitutionis ab officio, ſedem ſeu ſcamnum, ad Parturientium levamen adinventum, habere teneantur. Si verò in humilioribus Pagls Obſtetrices adeo fortè ſint pauperes, ut illud ſibi nequeant comparare, ab Univerſitate poſtulabunt: ipſum, quòd Reipublicæ maximopere in-

(a) Vide Bruhier. *de Incertitudine ſignorum mortis.*
Louis. *de Certitudine ſignorum mortis.*

Digitized by Google

interſit, abſque dubio accepturæ.

V. Chirurgi ſub eadem pœnà ad habendum in ſua domo Speculum Matricis tenebuntur: itemque ad habendum Palfinianum inſtrumentum a Gregorio, & Petito emendatum, quo idem Gregorius, Winslowio narrante, duodecim annorum, & aliquot menſium decurſu vivos pluſquam ſeptuaginta Fœtus extraxit: inſuper ad normam faciendi Partum Cæſareum in viventibus addiſcendam: ut requiſiti, & in circumſtantiis ab Arte Chirurgica probatis eo uti poſſint. Jubemus etiam, ut librum de illo ex profeſſo differentem ſibi coemant, puta Rouſſetum, aut ſimiles.

VI. Nemo poſthac ad Chirurgi munus idoneus judicabitur, niſi priùs de miniſtrando viventibus Cæſareo Partu ſatis edoctus, & indeclinabiliter examinatus.

VII. Phyſicos, Chirurgos, Barbitonſores, Obſtetrices, qui præfatæ Pragmaticæ, vel etiam præſenti Edicto non obtemperabunt, præter ejuſdem Pragmaticæ pœnas, privationi quoque muneris ipſo facto ſubjicimus.

VIII. Cum ſæpè Infantes tum Partu Cœſareo extracti, tum etiam quocumque modo nati, omninò mortui videantur, etſi reverà non ſint: oportet ut eorum capitis arteriæ, ſeu fons pulſatilis, itemque arteriæ umbilicales, ac ſiniſtra cordis regio contrectentur: quod ſi nulla pulſatio percipitur; nullum ſenſus indicium, nec motus, aut reſpiratio: nihilominùs noverint Univerſi, eos pro magna ipſorum parte, uti experientia patefecit, dummodo putrefacti non ſint, neque initium putrefactionis habeant; eſſe vivos, & ſolùm deliquio detentos, propter ſpirituum ſcilicet defectum, quem præſertim in naſcendi conatu ſubierunt. Animadvertendum autem, ut cautè diſcernamus fœtorem ex liquidis maternis corruptis manantem a cadaverico Parvuli fœtore: diſtinguenda etiam putrefactio reſolutiva, quæ Mortuorum eſt propria, a Gangrena ſicca, vel etiam humida, ſed cum rubore conjuncta, hæ namque duæ poſteriores ad Vivos pertinent. Igitur etſi Puer abſque motu, ſenſu, pulſu, ac reſpiratione oriatur, ac mortuus appareat: dummodò corruptus non ſit, neque corruptionis oſtendat initium; verà ſatagendum erit charitate, ut ad ſenſuum officia revocetur, multi enim ex ipſis non niſi poſt tres, imo & quatuor horas, patientis, longanimiſque curæ ad ſe rediere. Quo circa inſufflandus eſt arundineo tubulo in eorum os calidus halitus, ſugenda inſuper mamillarum ipſorum, præſertim ſiniſtræ, capita: extimulandæ pedum plantæ penicillo: eorum ſecundinæ, placenta, funiculuſque umbilicalis a corpuſculo non reſectus, comburenda: aliaque remedia tentanda ſunt ad hunc ipſum finem a Doctoribus paſſim adnotata.

IX. Idem ſimiliter pro Submerſis admonemus, qui non niſi poſt duas a ſubmerſione horas interdum Animà ſpoliantur: Nonnulli verò ſub aquis ad plures dies vivi permanſerunt, & quamvis extracti penitus extincti viderentur. poſt longam tamen benè plurium horarum curationem reſtituti ſunt: methodus verò curationis legenda tum apud Bruhierium, tum etiam apud Loviſium, Lucam Tozzium, alioſque Doctores.

X. Denique noſtras hujuſmodi Ordinationes noſtrorum Subſtitutorum zelo maximè commendamus, qui earum tranſgreſſiones ad nos deferre non prætermittent, ut eas debitis pœnis puniamus, ac probè coerceamus. Neque quidquam in contrarium a quoquam attentandum. Datum, ac renovatum Panormi 17. Cal. Octobris 1756.

Promulgetur
Cardillo M. R. C. F. P.

D. Petrus Riui Magiſter Notarius.

ANNOTATIO.

Edictum hoc ab Onuphrio Milazio Siciliæ Protomedico de Nonnatorum ſalute benemerito bis in toto iſto Regno ſub duobus Fiſci Patronis promulgatum eſt. Et primò quidem Anno 1749. unà cum Pragmatica de Partu Cæſareo & cum approbatione Joſephi Aſmundo Paternò ad præſens ob merita præclariſſima Tribunalis Conſiſtorii Præſide, qui ſtrenuam in Pragmatica ipſius confectione, ac promulgatione operam navavit: deinde ſeorſim Anno 1756. probante Dominico Cardillo egregio Senatore. Cum autem in hac iterata publicatione monitio de naſcentibus Parvulis in ſpeciem defunctis, & de Naufragis adjuvandis addita ſit; Edictum ipſum deſcripſimus juxta ſecundæ hujus Editionis exemplar.

MO-

MONUMENTUM SEXTUM.

Epiſtola Advocati Fiſcalis Magnæ Regiæ Curiæ Siculę pro Solemni Pragmaticæ Viceregię, & perpetui Edicti Protomedici promulgatione ad Officiales Juſtitiæ Civitatum, & Pagorum Regni.

Domini mei Obſervandiſſimi.

CUm recens in hoc Regno de Partu Cæſareo Pragmatica, ejuſque decreto, atque auctoritate Edictum Spectabilis Protomedici condita ſint; Chirographo ſuo Prorex Excellentiſſimus ſeptimo Idus currentis Menſis mihi demandare dignatus eſt, ut hujuſmodi nova Jura ad univerſi Regni Civitates, & Pagos publicanda, & regiſtranda dirigerem, & obſervanda curarem. Duo ergo a me Dominationibus veſtris exemplaria ejuſdem Pragmaticæ typis impreſſa mittuntur; ut a te Domine Capitanee unà cum præcitato Edicto, quod per Subſtituti Protomedici ductum tibi transmitto; ſolemniori qua poterit formà illico promulgentur. Pragmaticæ autem regiſtrationem in actis Curiæ Capitanealis, item Juratoriæ, & Protomedici ſubſtituti faciendam præcipies. Quoniam verò convenit Eccleſiaſticos quoque Viros ea ſcire, quæ in Pragmatica ſtatuuntur; eam regiſtrari etiam curabis in actis Curiæ Epiſcopalis, & reſpectivè foraneæ: item in Libro Baptiſmatum anni præſentis per omnes loci Paræcias. Unum verò ex Pragmaticæ exemplaribus excuſis conſervandum erit in actis Curiæ Capitanealis loci, alterum in actis Curiæ Eccleſiaſticæ, ſive principalis, ſive foraneæ. Edictum ſimiliter poſt promulgationem in omnibus antedictis Officiis tamquam Pragmaticæ Appendix pari modo regiſtrabitur, cujus authenticum exemplar typis editum in actis Curiæ Protomedici ſubſtituti manebit: cum enim tum Pragmatica, tum Edictum in omne futurum ævum, utpotè perpetuæ Regni Leges, cuſtodiri neceſſe ſit; æquum eſt etiam indelebilem utriuſque memoriam diligenter, & ubique ſervari. Denique poſtquam hæc omnia ſub deſcripta formà perfecta jam fuerint; id mihi tu, Domine Capitanee, per Epiſtolam ſignificabis, a me ſubinde Proregi Excellentiſſimo referendum. Tabellarium tamen encyclicum, qui vobis antedicta deferet, ultra progreſſurum, infra unius horæ ſpatium dimittetis: mercede juxta taxam Illuſtris Marchionis Rajatæ magni Pro-Tabellarii perſolutà. Meque ad mandata veſtra exequenda offero paratiſſimum. Panormi Decimo Cal. Octobris 1749.

Dominationum veſtrarum obſervantiſſimus
Joſeph Aſmundo廷Paternò Magnæ Regiæ Curiæ Fiſcalis Advocatus.

MONUMENTUM SEPTIMUM.

Edictum Archiepiſcopi Panormitani primi in Siciliæ Regno Metropolitani.

NOS Fr. D. JOSEPH MELENDEZ &c. ARCHIEPISCOPUS &c.

HOrribilis quidem, & numeroſa, ſtrages illa fuit, quam olim Innocentium Parvulorum corporibus Herodes intulit; at multò numeroſior, eſt, atque funeſtior altera, quam quotidie in tot Animabus Puerorum ſine Baptiſmate decedentium Satanas exercere conſuevit. Prima enim tandem ad ornandum Martyribus Cœlum, ſecunda verò ad implendum Reprobis Lymbum inſervit. Infelicium ergo Parvulorum miſeratione commoti, debitam Paſtoralis noſtri muneris partem judicavimus, hoc perpetuo Edicto admonere, Inculcare, ac reſpectivè præcipere, quæ ſequuntur.

I. Ac primò Patribus, Matribuſque, denunciamus, eos ad vitam Prolis conſervandam, ejuſque bonum ſpirituale, procurandum adſtringi. Prægnantes igitur omnia, quæ ipſis Abortum creare, poſſunt, evitare teneutur: puta pondera nimis ingentia attollere, valdè laborioſa opera adoriri, ac ſimilia factitare. Contra verò ad ea omnia præſtanda obligari, quæ ad Fœtus conſervationem neceſſaria exiſtimantur. Si enim grande peccatum eſt, generationem tantummodo impedire; quanto majus erit ex malitia, vel negligentia, Abortui cauſam præbere, quamvis Fœtum non dum animatum eſſe credamus?

II. Qui quomodocumque Mulieris Abortum animato Fœtu ſollicitat, verum, atque horrendum unius, vel plurium Innocentium, quot fortè Fœtus erant, perpetrat homicidium; nec tantùm Corporis, ſed & Animæ: cum facilè ſine Baptiſmate moriantur. Incidit etiam ipſo facto in excommunicationem Papæ reſervatam, quæ non ab Aliis, ſed a Nobis tantùm abſolvi poterit.

III. Qui aliquem noverit Abortum, procurare: ſi non alia impediendi ſupereſt via; Parocho, ut is provideat, revelare tenetur.

IV. Cum incertum ſit animationis tempus, quam plerique Auctores primis graviditatis diebus contingere putant; In quocumque Abortu ſedulò inſpiciendus eſt Fœtus: ac ſi quantumvis exiguus, & imperfectiſſimè figuratus, aliquem tamen motum oſtendat, illico ſub conditione, *Si es capax*, baptizetur: ſi verò motum non oſtendat, ſed nihilominus humanus Embryo eſſe dignoſcitur, nec tamen contuſus, vel corruptus: eo ſanè caſu, quis fortè vivit, quamvis moveri non poſſit, quod organa ad motum adhuc apta non habeat; graves Doctores baptizandum, ſub conditione docent, atque ita Nos faciendum eſſe monemus.

V. Baptiſmus juxta Synodum ante, tertium diem Infantibus conferatur: neque hi ante ſecundum annum expletum in lecto, ſed in cunis collocentur, ne, opprimi, vel ſuffocari contingat: præſertim ſi manuſculas habent faſciis incluſas.

VI. Prægnans ubi moriatur, Partu Cæſareo juxta Ritualis præceptum eſt incidenda, ut Fœtus extrahatur, & illico baptizetur. Qui Inciſionem impedit, vel graviditatem ſciens, non eam Parocho, antequam expiret Gravida revelat; lethaliter peccat; Nos autem tam inciſionem Impedientibus, quam Perito eam aggredi recuſanti; effectu ſequuto, mortuo ſcilicet Infante ſine Baptiſmate; excommunicationem ipſo facto ſubeundam, Nobiſque reſervatam, imponimus:

VII. Inciſio nec in graviditatibus illegitimis omittetur: maxima verò prudentia, perſpicacia, cautela, & ſilentium adhibebitur.

VIII. Peritus autem ſub gravi peccato

ad inciſionem faciendam tenetur, quamvis mercedem non ſperet, etiam in dubio an Fœtus vivat. Quod ſi Chirurgua deſit, ex decreto Pragmaticæ latæ V. Idus Auguſti 1749. inciſionem præſtabit Obſtetrix, vel Barbitonſor, vel Medicus Phyſicus, vel alter, qui ad rem ipſam præ aliis magis aptus eſſe videatur: dum verò expectatur, qui inciſionem ſit exequuturus; Defunctæ venter calidus conſervetur.

IX. Parochi, eorumque Adminiſtri, ſub gravibus arbitrio noſtro pœnis, aquam luſtralem Gravidis defunctis, ac ſepelienda non impertientur, niſi priùs extracto Fœtu. Si autem Propinqui, Domeſticive Defunctæ inciſionem detrectabunt; Parochis præcipimus omnia protinus media pertentare, ut eos ad officium inducant: maximè autem expediet ſtatim ad Officiales Juſtitiæ Sæcularis convolare, qui ejuſdem Pragmaticæ virtute ſub gravibus pœnis Obſtantes inciſioni compellere, Chirurgum, vel alium ad eam exequendam adigere, & de omiſſionibus rationem reddere tenebuntur.

X. Inciſio juxta Rituale poſtquam Prægnantis mors certa deprehendetur, fiet illicò: ſemperque indagandum erit, utrum Fœtus unus, an multiplex fortè ſit: at ſi mora interceſſerit, qualecumque tandem tempus elapſum fuerit; nunquam prætermittatur; vivi enim Infantes poſt unum, vel alterum diem, quantumvis mole minimi, aliquando inventi ſunt.

XI. Tum in Abortibus, tum in Partubus naturalibus, vel Cæſareis, Fœtus, etſi deformis, non occidatur: ſi autem verum ſit Monſtrum, tunc quo ad Baptiſmum ipſi miniſtrandum, vel denegandum Rituale ſervetur; ac ſi dubium remaneat, tempuſque permittat, res Nobis deferatur, vel Parocho, aliiſve Peritis; ubi verò periculum eſt in mora, ſub conditione baptizetur.

XII. Si quis tamen Monſtra interficiens, certò, vel dubiè rationali Animà informata, obſtaculo eſſet, quo minùs ad Baptiſmum, vel abſolutum, vel reſpectivè conditionatum pervenirent; ipſo facto in excommunicationem Nobis reſervatam incurret.

XIII. Contra verò Indulgentiam dierum quadraginta elargimur ei, qui, cum tentatur Abortus, id Parocho, ad finem impediendi, denunciat: vel Moribundæ, aut Mortuæ graviditatem revelat: inſuper qui Abortivos baptizat, vel ad id cooperatur: qui Partum Cæſareum efficiendum procurat: qui quoquomodo Fœtui ſubvenit: vel Gravidæ adjuvandæ, etiam illo extincto, dat operam. Cæterùm noverint Omnes, quod ſicuti qui alicui ex prædictis Infantibus cauſa perditionis extiterint, in terribilem Superni Numinis incident ultionem: ita divina Munificentia eos, qui æternæ illorum cooperabuntur ſaluti, remunerari non deſinet.

XIV. Quapropter præſens Edictum quotannis in hac Metropolitana Eccleſia, omnibuſque hujus Diœceſis Parochialibus, die Sanctis Innocentibus dicato, inter Miſſarum ſolemnia præcipimus perlegendum: qua ſumptà occaſione Parochi novo examini de modo Baptiſmatis miniſtrandi ſubjicient Obſtetrices: quod & nunc facient, ſtatim ac Edictum ipſum ad eos pervenerit: ac deinde ſingulis annis unà cum Vicariis Foraneis communi Epiſtolà infra dies quindecim Magnæ huic Metropolitanæ Curiæ antedictum reiteratum examen, lectionemque ſignificabunt: Datum ex noſtro Palatio Archiepiſcopali VI. Idus Januarii 1750.

Ex mandato Dominationis ſuæ Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ
Sac. Joannes Robba Cancellarius, & Magiſter Notarius.

MO-

Digitized by Google

ſertim in locis minoribus, deſiderentur; Parochi ſeſe obligatos agnoſcant ad eos, & quidem quos poterunt magis idoneos, exquirendos. Ubi verò neminem habere poſſint, ne ſcrupulo ſibi ducant Parochi hujuſmodi inciſionem facere per ſe ipſos, poſtquam ejus peragendæ modum didicerint: ne Animæ Infantis, Divini Agni pretioſiſſimo Sanguine redemptæ, perditionem permittant. Hujus ſententiæ vadem præter multos alios eruditos Auctores, damus Vaneſpenium (*a*), qui nequaquam dubitavit in ſuo de rebus canonicis Opere apertè docere. *Quum non rarò contingat nullum in Parochia reperiri, aut ſaltem hic, & nunc haberi poſſe; qui peritiam, modumqe convenientem aperiendi uterum, & extrahendi Infantem habeat; oportet ut ipſimet Paſtores, præcipuè rurales, hujus rei aliquam notitiam a Perito aliquo accipiant, quâ ſubinde, cogente neceſſitate, uti poſſint;*

IV. Si quando acciderit mortuæ Prægnantis Cognatos aliquo vano prætextu inciſioni prædictæ ſeſe opponere; vel Chirurgos mercedem ſibi, cœteroqui ex juſtitia indebitam, poſtulare, ad quam Conjunctorum vires extendi non poſſent: tunc primò Parochi benigna omnia media experientur, ut eos ad Partum Cæſareum perſuadeant; ſecus utriſque, omnibuſque aliis, qui obſtarent quo minùs Puerorum Nonnatorum Animæ in æternæ ſalutis ſtatum adducantur; pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendæ comminabuntur: quamquam ubi graviditates occultæ, & infames fuerint; Parochi circumſpectè ſe gerere debebunt, juxta prudentiæ, moraliſque ſcientiæ regulas.

V. Cum Eruditorum, ac celebrium Doctorum, etiam in praxi probabiliſſima ſententia doceat, teneri Matrem ex charitatis præcepto ad aliquem novum dolorem in Cæſarea inciſione ſubſtinendum, ut proprio Fœtui de æterna felicitate provideat: Parochi tamquam præcipuam ſui muneris partem ſibi ſtatuant, eam doctrinam a ſe tradendam eſſe, ubi id expediens, & opportunum videatur. Etenim hac ætate poſt tot experimenta Chirurgorum ars adeo in mechanicis operationibus eminet, ut & Fœtum ad Baptiſmum ſuſcipiendum extrahere poſſit; & Prægnantis vitam, quamquam diſſectæ, ſervare. (*a*)

VI. Pro tanti ergo negotii magnitudine, Parochi omnem diligentiam, & ſollicitudinem conferant, ne per errorem Prægnans citò mortua credatur: verùm antequam ad inciſionem deveniendum ſit, attentiùs explorent, utrum ipſa verè jam Animam efflaverit. Idcirco lumen parvæ candelæ cereæ labiis Gravidæ admoveri curabunt; vel vaſculum vitreum aquâ plenum ventris orificio ſuperimponi: motu enim alterutrius facilè deprehenditur, utrum illa vivat, an non. Certi ergo Prægnantem expiraſſe, exquiſitiſſimam ſolertiam impendent, non ſolùm in extrahendo ad lucis conſortium Fœtu, ſed etiam in perſcrutando, utrum ſit unus, an plures, ut ſingulis ſacra lotio tribuatur.

VII. Atque hic ſpeciali memoriâ dignum eſt, graviſſimum illud quod Paſtoribus incumbit, onus: non expectandi ſcilicet petitionem Infirmorum, e Plebe ſuâ periclitantium: ſed propriæ charitatis impulſu, vocationem præveniendi. Ad eos ergo promptè recreandos, atque adjuvandos veros Animarum ſeſe amatores exhibeant, illorum confeſſiones excipiendo, Sacrum Viaticum, & extremam unctionem adminiſtrando: eoſque conſtanti, & fervida aſſiſtentia in ultimis vitæ periodis dignando, maximè ſi pauperes illi ſint, ac prorſus auxilio indigentes.

VIII. Demum univerſalis Eccleſiæ ſenſum ſequentes, quæ nuptialem Bene-

ne-

(a) Vaneſpen. *p.* 2. *tit.* 2. *cap.* 4. *n.* 25.
[b] Bodovv. Ventilabr. *p.* 2. *q.* 20.
Gobat. *n.* 254.
La Croix *lib.* 6. *p.* 1. *art.* 2. *dub.* 6. *q.* 51. §. 2. *n.* 293.
Et præ omnibus Rainaud. *c.* 5.

MONUMENTUM NONUM.

Edictum Epiſcopi Agrigentini pro Mulieribus Gravidis, & Moribundis.

NOS D. LAURENTIUS JOENIUS AB ARAGONIA
E Ducibus Andegavenſibus, Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratià
Epiſcopus Agrigentinus, Pontificii Solii aſſiſtens, Regius
Conſiliarius &c.

DEplorabilis quidem eſt calamitas illa, quòd Prægnantibus mortuis nullà, ut plurimùm curà Propinqui premuntur, ut illæ juxta Romani Ritualis præſcriptum (*a*) incidantur, ac ita Parvuli ſaltem Baptiſmate donentur. Quod frequentiùs accidit in graviditatibus occultis, & illegitimis, in quibus Matres ipſæ Abortum ſæpè moliuntur. Neceſſarium ergo duximus Parochorum zelum hoc Edicto perpetuò valituro eſſe incitandum: ac ſequentium regularum uſum eſſe ſtatuendum,

I. Præcipimus ergo, ut ſi qua Prægnans in mortis periculo verſetur; ejus Domeſtici, ipſiuſque ac Fœtus Propinqui ſtatim id Parocho ſignificent: quòd ſi illi negligerent, idem onus notitiæ deferendæ ſub gravi culpa etiam Extraneis, ejus rei conſciis, incumbat: cum omnes juxta Poſſevinum (*b*) non minùs quam Parochus ipſe, in extremà illà neceſſitate Infantulo ſuccurrere teneantur. Si verò ſupradicti Propinqui, atque Domeſtici ſuo muneri deſint, ac Puerulus propterea ſine Baptiſmo perierit; omnes ipſo facto majorem excomunicationem incurrant.

II. Parochis ipſis præcipimus, ut Conjunctis non fidentes, de quibus ſcriptum eſt, *Inimici Hominis Domeſtici ejus:* attentè ſemper, atque ſollicitè inveſtigent, utrum Fœminæ conjugatæ, quæ Viaticum accepturæ ſunt, vel Penitentià in morbis gravibus expiandæ, utero gerant: dicente Muſſartio in Manuali Parochorum cum Gobato (*c*) *Tibi Parocho ex ſingulari causà incumbet.* Hæc autem inquiſitio multò magis facienda eſt, ubi ſuſpicio, ſeu juſtus timor habetur occultæ graviditatis: veluti exempli gratià, ſi Mulier non conjugata, præſertim juvencula, carnalia delicta confiteatur: tunc etenim interroganda, atque ubi graviditatem fateatur, obliganda erit ad rem extra confeſſionem detegendam: ut in caſu mortis, Infantis perditioni poſſit occurri, quæ cuicumq; Matris infamiæ præponderat: adeòut ſi fortè ipſa recuſet; juxta Theologorum doctrinam abſolvi non poſſit. Profectò Pontàs, & Sylvius ita expreſsè monuere. (*d*) *Si contumaciter filia perſiſtat, nolitque ulli extra confeſſionem aperire: deneget ipſi abſolutionem, tamquam eà indignæ prorſus, & indiſpoſitæ: cum nolit hoc facere, ad quod ſub reatu peccati mortalis obligatur.*

III. Præterea iiſdem Parochis mandamus, ut antequam infirma Prægnans moriatur; eam viſitent, ejuſque Conjunctos, alioſque Domeſticos ad Partum Cæſareum, ipſa ſcilice

(a) Ritual. Roman. de Bapt. Parvul. *tit.* 7. *n.* 3.
(b) Poſſev. de Off. Curat. *c.* 6. *n.* 10.
(c) Muſſart. Manual. Paroch. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 2.
Gobat. *tract.* 2. *Bapt. caſ.* 8. *n.* 260.
[d] Pontàs *Diction. caſ. conſc. t.* 1. *conf.* 2. *caſu* 10.
Sylvius *Reſolut. variar. v ſigillum* 1. *Decembris.* 1641

mortuâ, peragendum hortentur, illoſque præmoneant ea, quæ, ut omnia feliciter ſuccedant neceſſaria exiſtimantur. Quoniam verò ſi Parochus præſentiâ ſuâ rem non urgeat; grave periculum ſubeſt, ne omittatur inciſio, vel ſaltem tardè fiat, & in caſſum: eiſdem Parochis præcipimus, ut ad finem uſque operationis adſtantes cum omni ſolertia, & ſollicitudine perſeverent.

IV. Curabunt etiam diligenter, ut maturè Chirurgus advocetur, & aſſiſtat, quouſque Prægnans expiraverit. Verùm ſi Chirurgus haberi non poſſit; ejus officium ſuppleat Barbitonſor, vel Obſtetrix: qui Phyſico partem ſecandam præſignante, ſaltem novaculâ inciſionem perficient: curabunt quoque non ſolum ut plures in ſuis Parochiis peritiam hujus operationis acquirant: ſed ut etiam ipſimet aliqua circa ſecandi modum notitiâ erudiantur: neque deinde religioni ſibi ducant, quo minùs per ſemetipſos Cæſaream inciſionem, omnibus aliis deficientibus, exequantur: ne Pueri ſcilicet Anima, divino ſanguine redempta, infortunium ſubeat perditionis æternæ. *Cum non rarò contingat*, ait Vaneſpenius (a), *nullum in Parochia inveniri, aut ſaltem hic, & nunc haberi poſſe, qui peritiam modumque convenientem aperiendi uterum, & extrahendi Infantem habeat; oportet, ut ipſimet Paſtores, præcipuè rurales, hujus rei aliquam notitiam a Perito aliquo accipiant qua ſubinde urgente neceſſitate uti poſſint*. Id etiam ſapienter in Diœceſi Catanenſi præſcriptum eſt. (b) Imo doctrina, quam tradidit Gobatus, eoſdem ſeverioribus loquendi formulis ad hoc ipſum adſtringit (c). Quamvis autem Conjuncti, vel Hæredes Perito ſecanti mercedem debeant; attamen nequibit hic ſectionem omittere ob illam denegatam. Pro Pauperibus verò eam gratis miniſtrare tenetur: imo ſub graviſſima culpâ ſponte ſe ipſum offerre, etſi non vocatus, tum Divitibus, tum Pauperibus, etiam in ſòlo dubio, an Fœtus vivat: quod cum Theophilo Rainaudo Gobatus quoque adnotavit. (d)

V. Matre defunctâ, ſe de morte certiores reddent ad ipſius labia filum lini, aut lanæ, vel lumen parvæ candelæ admoventes, quibus perſpiciant utrum quæ mortua creditur, talis revera ſit, an motu indicium præbeat reſpirationis: deinde os illi arundineâ fiſtulâ, & abſque nodis antea præparatâ, ipſique impoſitâ, detineatur apertum, juxta Colonienſis Synodi A. 1528. & Cameracenſis A. 1550. decreta: non quaſi neceſſarium credamus hoc ad Infantis reſpirationem; ſed ut Ventrem Aer frigidior, & nitidior, inde etiam utero communicandus, introeat: & ut e maternis viſceribus exhalent cadaverica efflavia, quæ Infanti exiguum illum vitæ ſpiritum, qui durat adhuc, extinguere poſſent: etenim quando Mater exſpirat, Fœtus in extremo ferè mortis agone verſatur: quamobrem ſupervivere non ſolet, niſi per horam, vel horæ dimidium, nec rarò etiam valdè minùs. Alia quoque cautio juxta Rainaudum creditur expedire, uteri videlicet regio fovenda erit pannis ad ignem calefactis. (e)

VI. Itaque mandamus operationem poſt mortem Prægnantis quamprimùm eſſe faciendam: at ſi non modicum tempus elapſum ſit; nihilominus inciſionem jubemus non omitti: neque unquam Parochus fidet Medicis, & Chirurgis Infantem mortuum eſſe teſtantibus, quam

(a) Vaneſp. *p. 2. tit. 2. cap. 4. n. 25.*
(b) Edict. Cal. Junii 1741. ſupra relat.
(c) Gobat. *tract. 2. caſ. 5. n. 195. & ſeq. & caſ. 7. n. 217.*
(d) Theoph. Rainaud. *t. 14. de Ortu Infant. per ſect. Cæſar. c. 6. n. 22. & 23.* Gobat. *Append. 3 ad tract. 2. Bapt. n. 24.*
(e) Theophil. Rainaud. dict. tract.

quamvis etiam cum Genitrici præmortuum aſſeverent. Si enim jura (*a*) Maritum vivum ſemper præſumunt, etſi nimis diuturna fuerit ejus abſentia; & ſecundas prohibent Uxori nuptias: quantò magis vivi præſumendi ſunt Infantuli; ut eis Baptiſmum conferre ſtudeamus? Præſertim quia non rarò Divina Providentia, quæ illos ab æterna morte per Baptiſmum liberare contendit; eoſdem contra omnium phyſicarum rationum apparentia argumenta cuſtodit incolumes. Willelmus Fabritius Medicus Germanus [*b*] fatetur ſe in hoc negotio cum Obſtetricibus, aliiſque poſt exactiſſimas inveſtigationes fuiſſe deceptum, & noſtris hiſce diebus duo Infantuli, quamvis ſine arundineæ fiſtulæ adminiculo, unus poſt vigintitres horas, alius poſt vigintiquatuor à Matris indubitatà morte defluxas, vivi inventi ſunt. Præterquamquod cum ſectio adhibetur, nihil omninò amittimus: imo verò exoptatum finem plenè conſequi poſſumus: uti & citatus Fabritius, & Gobatus [*b*] admonuerunt: quocirca. *Præſtat* ait ille *ut potiùs centies ferentur, etſi irrito eventu Matres mortuæ; quam ut eis parcendo, negligatur vita unius unici Infantis.*

VII. Abdomen lineà ſimplici longitudinali, non verò ad Crucis figuram duplici, ſecanda eſt; ut ſi fortè Prægnans defuncta non ſit, faciliùs deinde ſanari poſſit, Chirurgus autem inveſtigabit utrum unus reverà ſit Infans, an duo, vel plures: fortè namque erunt multi, ut pluribus exemplis notavit Rainaudus, [r] maximè cum poſſibiles cenſendæ ſint ſuperfœtationes.

VIII. In dubio an, vivat formatus Infans, imponatur ſubitò ejus Capiti manus: & ſi pulſatio arteriarum percipitur: illicò & abſolutè baptizetur. Fœtus verò incompletus quantumcumque parvus, & malè figuratus, dummodo motum oſtendat; ſub conditione baptizabitur: nam, uti Lacroix animadvertit. (*d*) *Auctores graviſſimi cum Cardenas in ſua Chryſi, diſputatione decimaquarta rectè dicunt, omnes Fœtus abortivos Mulierum, etiam imperfectiſſimè figuratos, eſſe*, conditione ſcilicet ſaltem adjectà, *baptizandos, ſi dent aliquod ſignum vitæ per motum: quia putant aliqui Medici, quod Fœtus humani poſt paucos, V.G. tres vel quatuor dies à conceptione, ſtatim animentur Animâ Rationali.*

IX. Si quis Defunctæ ſectioni, licet Conſanguineus, Maritus, vel Affinis obſtaret: aut Peritus eam exequi renueret, etiam in caſu quo mercedis nulla ſpes eſſet, ipſo jure, ſequuta Infantis morte ſine Baptiſmate, majorem excommunicationem incurrat. Verùm Parochus præterquamquod illis hoc præceptum, atque cenſuram ante denunciabit; Infantis diſcrimen ad Epiſcopum deferet, imò ad Magiſtratus ipſos laicos, qui omninò ad concedendum brachium ſuum auxiliare tenentur, quo Defunctæ Propinqui compellantur: cum ipſæ Paganorum Leges tamquam in Homicidas animadvertant in eos, qui Gravidam, neglecta inciſione, ſepeliunt. Ita Lex ſecunda D. D. de Mortuo inferendo: *Negat Lex Regia Mulierem, quæ mortua ſit, humari, antequam Partus ei excidatur: qui contra fecerit, ſpem Animantis cum Gravidâ peremiſſe videtur*. Quantò magis ergo apud Chriſtianos, cum apud eos non de ſola corporali Infantis vita, ſed etiam de ſpirituali eidem tribuenda per Baptiſmum agatur? Quod ſi quis hujuſ-

(a) Cap. in præſentia de Sponſal.
(b) Willelmus Fabritius Hildan. *fol.* 1750.
[c) Gobat in Append. 3. *ad tract.* 2. *Bapt. n.* 30.
(d) Rainaud. de Ortu Infant. *per ſect. Cæſar. c.* 10. *n.* 14.
[e] La Croix *l.* 6. *p.* 1. *de Bapt. dub.* 4. *n.* 294.

modi Puer abſque Baptiſmo fortè perierit; Parochos, uti Doctores monent, (a) rogatis Teſtibus de adhibita à ſe omni diligentiâ: ſemper ad Nos eventum ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, denunciet: in Civitate quidem infra trium dierum terminum, octo verò in Diœceſi: ut eos, qui officio ſuo defuerunt, pœnis Canonicis puniamus. Et quamvis in occultis graviditatibus omnis, quantùm fieri poteſt, circumſpectio, quam ſuggeret Chriſtiana prudentia, in uſum venire debeat; nihilominus numquam æterna Infantis perditio erit permittenda.

X. Inſuper ad Abortus eliminandos, præcipimus Omnes, etiam Extraneos, qui ſciant Prægnantem aliquam Abortum tentare, vel alios ejuſdem Abortum procurare medicaminibus, vel ſine illis; aut etiam ponderibus, vel alio quocum que excogitabili medio: ubi aliter ipſi delictum impedire non valeant; ſaltem teneri ad rem Parocho citiùs aperiendam: ſi pœnam excommunicationis majoris ipſo facto, Abortu ſequuto ſubeundam, vitare cupiunt.

XI. Parochi declarabunt voluntarium Abortum inter immania crimina computari, imo ubi Fœtus eſt animatus, eſſe verum, ac proditorium homicidium, & immunitate eccleſiaſtica indignum: ſcelus denique omnium, quæ contra Proximum patrari poſſunt, præſertim à Matre, horrendiſſimum: eum illum vitâ privet corporali ſimul, & æternâ. Ulteriùs ex Bulla Sixti Quinti, & Gregorii Decimiquarti (b) Abortum procurantes, aut quoquomodo ad eum cooperantes, ipſo facto in excommunicationem majorem incidere, primò Papæ, deinde Epiſcopis reſervatam: quòd ſi illi Eccleſiaſtici ſint, in perpetuum Beneficiis omnibus accquiſitis, & acquirendis eſſe privatos: imo degradationis Reos conſtitui, qua facti, brachio ſæculari tradendi ſint, ac morte plectendi. His addent veterem Eccleſiæ diſciplinam. Mulierem impudicam, quæ deinde Abortum procuraverat ad pœnitentiam publicam, & perpetuam compuliſſe, imo mandaſſe, eam non niſi in articulo mortis abſolvi: Concilium ſanè Ancyranum (c) rigorem hunc mitigaſſe, decem annorum pœnitentiâ contentum: verùm Concilium Eliberitanum paulò poſt celebratum (d) prohibuiſſe Adulteram, Abortum procurantem, etiam in hora mortis reconciliari; ejus ſalutem ſoli contritionis efficaciæ, ac divinæ Miſericordiæ committens: quam ſeveritatem neque contra ipſos Hæreticos, Magos & Apoſtatas adhibemus.

XII. Ex adverſo iidem Parochi docebunt, ſenſum eſſe graviſſimorum Auctorum, Matres in Partu difficili, ubi Parvulus certò periturus eſſet in utero ſine Baptiſmo; teneri non ſolùm ad ſuſſerendam ſpeculi Matricis operationem, ſed & ipſum Cæſareæ inciſionis dolorem, etſi eum aliquo propriæ mortis, dummodo non quaſi certæ, periculo: ut integro penè tractatu probavit Rainaudus: neque negligent, ubi vota ſua conſequi ſe poſſe ſperabunt; eas ad excelſum iſtum charitatis actum hortari.

XIII. Demum præſens Edictum ſingulis annis in Miſſa Parochiali diei Sanctorum Innocentium ſtatuimus eſſe legendum: quo etiam die Animarum Paſtorea contra execrandum eorum ſcelus, qui Infantulos Nonnatos cum Matribus Defunctis perire ſinunt, vel Abortum procurant, declamabunt: cujus quidem lectionis Edicti, habitæque concionis documentum a ſe ſubſcriptum, & in Diœceſi à Vicario etiam locali, & in ejus defectu à Præsbitero ſeniore, ſub mul-

(a) Gobat. *d. tract.* 2. *c.* 8. *n.* 160. *& ſeq.*
Muſſart. Manuale Paroch. *p.* 2. *c.* 2.
Poſſevin. *de offic. Curat. c.* 6. *n.* 10.
(b) Sixtus V. *Conſtit.* 87 *Effrænatam*.
Gregor. XIV. *Conſtit.* 8. *Sedes*.
(c) Concilium Ancyran. *ſub S. Melchiade Papa Can.* 21.
(d) Concilium Eliberit. *ſub S. Silveſtro Can.* 62.

mulcta decem aureorum, quotannis ad Nos infra menſem dirigere tenebuntur: & inſuper ardenti zelo, & charitate eorum, quæ hic ſtatuuntur exequutioni invigilabunt. Verùm ſi id alicui nimis grave onus videatur; aurea Sapientiſſimi Auctoris Manualis Parochorum verba reſpondemus. (a) *Multa inquies mandas: verum eſt; ſed tanti eſt Infanti periclitanti Parochum non defuiſſe*. Datum Agrigenti tertio Calendas Auguſti 1744.

Laurentius Epiſcopus Agrigentinus,

Juſſu Domini mei Epiſcopi Agrigentini
D. Didacus Modica Cancellarius.

MO-

(a) Manual: Paroch. *loc. cit.*

MONUMENTUM DECIMUM.

Edictum Epiſcopi Pactenſis.

JACOBUS EPISCOPUS PACTENSIS, IMQUISITOR GENERALIS.

STriſtiſſimæ, quæ conſcientiam noſtram premit, obligationi, ſollicitudo reſpondet, qua per præſens Edictum pleriſque omiſſionibus, quæ a Paſtoribus Animarum præſertim in negligenda cura ſalutis æternæ Inſantium Nonnatorum admmittuntur, occurrere, ac providere ſatagimus.

I. Ante omnia igitur tum eis, tum eorum Adminiſtris in tota noſtra Diœceceſi ad memoriam revocamus onus, quod ipſis incumbit, omnibus explicandi, quàm enorme ſit crimen, Abortum animati præſertim Fœtus procurare: quod quidem tam immane Concilii Eliberitani Patribus viſum eſt; ut nec in morte illud abſolvi voluerint, ſed Miſericordiæ divinæ, & perſectæ contritionis efficaciæ reſervaverint expiandum: quam ſeveritatem hodiè neque in ipſis Hæreticis, Magis, Apoſtatis, alteriuſve graviſſimi ſceleris Reis puniendis intuemur.

II. Studebunt ergo Parochi, & alii, quibus Animarum cura credita eſt, Populum inſtruere, ac admonere de excommunicatione Nobis reſervata, in quam ipſo facto prolabuntur, qui ſive medicaminibus, ſive venenis, ſive verberibus, aut quomodolibet Abortum procurant Fœtus jam animati.

III. Si quis verò Mulierem noverit Abortum, puta per medicamina, attentare, vel ab Alio eius Abortum procurari; debet ex conſcientiæ munere (ubi alius impediendi modus non ſuppetat) rem Parocho, ſeu Curato Capellano detegere: ut hic remediis, quæ ipſius prudentia ad tantum malum avertendum opportuniora, & expeditiora judicaverit, antevertere poſſit; ac inſuper Nobis negotium communicare, a ſe data remedia ſignificando, ut ex his dignoſcamus utrum fortè a Nobis oporteat validiora conſerri.

IV. Maximè autem convenit admonere Pharmacopolas, Medicos, & Barbitonſores ne medicamenta præbeant, vel Sanguinem extrahant Mulieribus, cum earum pravam intentionem Abortum talibus mediis ciendi fuerint ſubodorati. Medici præſertim in curandis Prægnantibus magnà cum circumſpectione procedant, caventes ne, dum Genitricis corporalem ſalutem quærunt, medicaminibus Fœtui mortem Animæ, corporiſque inferentibus, utantur.

V. Si Abortus contigerit; exquiſitiori, qua poterit diligentià ſubitò inſpiciendum eſt, utrum Fætus, quamquam exiliſſimus, & imperſectè figuratus, per motum vitæ ſigna fortaſſis oſtendat. Ad dignoſcendum autem, utrum Fœtus adèo modicus, & malè figuratus verè motu gaudeat, eum vaſi aquæ pleno juvabit immittere, ubi motus ſit ſenſibilior; motu depræhenſo, baptizandus eſt ſub conditione, quæ Sacramenti decus in tuto reponat. Si Clerici deſint, baptizabunt Laici; imo in aliorum deſectu Pater ipſe vel Mater.

VI. Præterea ſi Mulier in mortis periculo conſtituta ſe prægnantem agnoſcit; graviditatem ſuam quamvis illegitimam, & occultam declarare tenetur. Licebit autem vel Parocho, vel alteri, cui magis fidere arcanum libuerit, ipſum revelare, ut ille in caſu mortis prudentiori modo, ac ſecretiori, quo poterit, quæ ſunt agenda, provideat. Quocirca Prægnans, quæ iſta omittit, graviditatem non manifeſtans, propriæ conſcientiæ debito nequaquam ſatisfacit, ſed peccat: & moriens in peccato ſuo morietur. At ſi legitima erit prægnatio, a ſortiori eam revelare debebit, ut interim inciſio diſponi, & morte deinde eveniente peragi queat. Hanc tamen Chirurgus efficiet, vel in ejus abſentià Barbitonſor, utroque autem deficiente,

qui-

Digitized by Google

quicumque illam aptiori modo miniſtrare ſciverit, aut voluerit.

VII. Quapropter Parochi diligentiſſimè ſatagent, ut Maritus, Propinqui atque Domeſtici omnes probè cognoſcant onus ipſis incumbere, denunciandi Moribundæ graviditatem; qua poſità notitià poſſit inciſio procurari: quamquam unius diei ſpatium à morte Matris effluxerit: nam experientià compertum eſt, etiam poſt tantum temporis intervallum, Pueros quandoque inveniri viventes.

VIII. Si Defunctæ Conſaguinei, vel Maritus inciſioni reluctentur; Parochus ad id eos compellere debet, ac ſi opus eſt apud Magiſtratum inſtare, qui, cum nihil aliud in his circumſtantiis per Defunctæ Matris inciſionem exquiratur, niſi æterna, & ſpiritualis Filioli ſalus, auxilium brachii ſui præbere omnino tenebitur. Ut autem clariùs dignoſcatur, utrum Mulier extincta ſit; expediet manum cordi ſuperimponere: ſique nec ibi, nec in arteriis motus appareat, mortua prudenter judicari poterit, & operatio inchoari: non tamen in Crucis modum, uti in diſſectione ad Cadavera balſamis condienda, vel ad anatomicas demonſtrationes aſſolet; verùm longitudinaliter, incipiendo, à parte ſupra umbilicum, & ab hujus latere, ac rectà lineá inferiùs deſcendendo, tali autem vulneris amplitudine, ut ad Fœtum extrahendum ſufficiat. Ubi Parvulus moribundus appareat; non inde extrahitur, ne per ipſam fortè motionem vivendi finem faciat, ſed in ipſo ventre baptizabitur; vividus tamen Fœtus educitur primùm, ac deinde Baptiſmate initiatur.

IX. Si quando dubium fuerit utrum Fœtus vivat, an non; id explorabitur ipſius Capiti, ubi arteriæ micant, vel etiam cordi, manum imponendo: ac ſi minima percipiatur pulſatio, abſolutè baptizabitur, cum ea manifeſtum ſit vitæ ſignum: ſi verò pulſatio non ſatis diſcernitur; quapropter dubitatio de vita perſiſtat; illicò ſine aliqua temporis jacturà, convenit eum ſub conditione, quæ Sacramenti honorem tueatur, baptizare.

X. Ubi Periti ad inciſionem faciendam deſint, cura erit Parochi, ut alius qui magis idoneus ad eam reputabitur, eligatur: imo ſi Parochus ſeſe aptum agnoſcet; ſi lenter, & eo meliori modo, quo poterit; ad operationem peragendam ſemetipſum accingat. Quamobrem non niſi laudabile arbitramur, ſi Parochi omnes præmaturè modum faciendæ inciſionis addiſcant, in caſibus improviſis, ac ſubitaneis Peritorum defectum ſuppleturi. Magno etiam auxilio Parochis omnibus, & Capellanis curatis erit, ſi ſibi comparent librum, cui titulus Embryologia Sacra, in quo valde copioſè, doctè, & eruditè materia iſta ab illius Auctore D. Franciſco Emmanuele Cangiamila Panormitano tractatur, cujus zelo ſpecialis illa cura debetur, quæ cum antea in hujuſmodi negotiis negligeretur, noſtris hiſce diebus elucet. Statuimus ergo præſens Edictum, poſtquam lectum, & promulgatum fuerit, in Sacellis eſſe affigendum, quotannis deinde Sanctorum Innocentium die; in majori ſcilicet Parochiali Miſſa relegendum, & publicandum; tunc verò RR. Parochi, & Capellani Curati Populos edocere, ac monere ſtudeant ea, quæ in eodem Edicto continentur. Datum Pactis ſexto Idus Aprilis 1747.

Doctor Canonicus Prior Joannes Antonius Martiani Vicarius Generalis.

Not. Paſchalis Dixidomino Cancellarius Epiſcopalis, & Magiſter Notarius.

ANNOTATIO

1. ALia hic Edicta ſubjungi poſſent a præclariſſimis hujus Regni Siciliæ Præſulibus lata, ſcilicet.

I. Matthei Trigona Epiſcopi Syracuſani, deinde Archiepiſcopi Iconienſis. Datum Panormi IV. Idus Aprilis 1742.

II. Franciſci Conradi Metropolitanę Eccleſiæ Monregalenſis Vicarii Generalis Sede vacante. Calendis Maji 1749.

III. Franciſci Teſta Epiſcopi Syracuſani, ad præſens Archiepiſcopi Monregalenſis. Undecimo Calendas Octobris 1749.

IV. Silvii Cardinalis Valenti Gonzaga Archimandritæ Meſſanenſis cum Territorio ſeparato per Prudentium de Pactis Priorem Caſſinatem Vicarium Generalem, nunc Epiſcopum Diocæſareenſem. Quinto Nonas Martii 1750.

V. Marcelli Muſcelliæ Abbatis Sanctæ Luciæ Nullius Diœceſis. Quarto Idus Maji 1750.

VI. Franciſci Mariæ de Miceli Epiſcopi Liparitani. Quinto Calendas Novembris 1750.

VII. Jacobi Bonanno Archiepiſcopi Monregalenſis. Quarto Calendas Februarii 1754.

VIII. Vincentii Mariæ de Franciſco Epiſcopi Liparitani, Archiepiſcopi Pelenſienſis V. Cal. Januarii A. 1758.

Hoc Edictum abſolutiſſimum eſt, totam enim continet Seriem Panormitani, addita n. 4. monitione ſuperius tranſcripta de Parvulis propter Aſphyxiam ſub mortuorum larvà naſcentibus. [a] Conſimilia tamen Liparitano, & iiſdem planè verbis in parte ut ajunt diſpoſitoria, etiam circa Parvulorum Aſphixiam, Edicta condiderunt Carolus Mineo Pactenſis Epiſcopus, & Joachimus Caſtelli Epiſcopus Cæphaledenſis. At iſta, & paulò ante notata & alia, quandoquidem cum ſuperiùs excriptis, præſertim Panormitano ferè coincidant; ne volumen excreſcat, omittimus.

2. Quoniam verò Siculorum Epiſcoporum zelum in condendis pro Nonnatis Edictis æmulati ſunt alii; ſaltem hic addam illud Egregii Cremonenſium Antiſtitis.

MO-

[a] Embryol. *l.* 3. *C.* 18. *n.* 5. *fol.* 187.

MONUMENTUM UNDECIMUM.

Edictum Epiſcopi Cremonenſis.

IGNATIUS MARIA FRAGANESCHI Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Cremonenſis, Comes &c. Prælatus Domeſticus, ac Pontificii Solii aſſiſtens.

INdeclinabile illud pondus dilectiſſimo Gregi noſtro invigilandi, cujus Cuſtodem atque Paſtorem nos eligere dignatus eſt Dominus: aliud poſt ſe trahit, nimirum ut opportunè accurrentes, caſibus illis, qui majorem exigunt ſollicitudinem, provideamus. Quoniam verò præcipuus curarum noſtrarum ſcopus in lucranda omni ſtudio Animarum Nobis creditarum ſalute ſitus eſt: in eas obtutus noſtros maximopere intendendos arbitramur, quæ ex una parte extrema laborant neceſſitate paſtoralis officii, & ex alia nec ſibi ipſis conſulere poſſunt, nec ab Aliis opem poſtulare. Quis non intelliget hic de Pueris illis ſermonem eſſe, qui vel nondum nati, vel ſi nati, non tamen divinæ gratiæ per Baptiſmi Sacramentum renati ſunt? Hi Nobis præcipuè inſident Cordi, hoſque inferiorum Paſtorum diligentiæ enixiùs commendamus, ut omni, qua poſſunt, ſolertiâ, ad eos Sacri Baptiſmatis aquis regenerandos utantur: quo unuſquiſque ipſorum in poſtremo die tutâ conſcientiâ coram æterno judice proteſtari valeat: *Meâ quidem culpâ non perdidi ex eis quemquam.* Si Lex enim Charitatis ad ſubveniendum Proximo in extremis neceſſitatibus, præſertim ſpiritualibus, adſtringit omnes: mandavit namque Deus unicuique de Proximo ſuo: quàm ſanè major in ſimilibus erit Paſtorum obligatio? cum Charitatis Legi copuletur in jis juſtitiæ debitum ex proprio munere manans, quod humeris ipſi ſuis, Animarum regimen aſſumendo, impoſuerunt?

Ante omnia igitur Parochi omni ope contendant, ut Parvuli recens orti quamcitiùs baptizentur: ita enim periculum ſatis frequens evitabitur, ne cum temporali vitâ æternam ſimul amittant. Quapropter pœnam illis a Concilio Provinciali ſtatutam in memoriam revocamus. Quoniam verò antequam Infans ad Eccleſiam deferatur, interdum ob mortis periculum baptizari neceſſe eſt; exactiſſimis examinibus certiorari ſe ſtudeant: Obſtetrices in hoc Sacramento miniſtrando eſſe verè, probèque eruditas. Imò cum in caſibus inopinatis neceſſitas quemlibet cogere poſſit ad illud conferendum; ſatagant in catecheſibus de modo tutò baptizandi Populum edocere. Si quando tamen Fœtus per Abortum ante tempus egrediatur; periculum ne fortè Baptiſmo fraudetur, non erit imaginarium, ſive ob ignorantiam eorum, qui mortuum reputant, cum tamen vivat adhùc, ſive ob Aliorum malitiam crimen proprium de Induſtria occultare nitentium, ne ſcilicet infamiæ notæ ſubjaceant. Studebit ergo maximè Parochus, ut Baptiſmus, cum vitæ ſigna dabit clara; abſolutè: ſub conditione verò ubi vita, vel animatio erit dubia, conferatur. Animadvertat autem ne tam firmiter propriæ adhæreat opinioni, ut alienis, & Parvulorum animabus magis favorabilibus locum deneget, cum periculo ne certò pereant, quæ probabiliter ſalvari potuiſſent. Nec tamen prudentiam iſtam ſibi tantùmmodo reſervet, ſed Populo ſuo in inſtructionibus communicabit. In eiſdem verò doceat, quam graviter peccent, qui Abortum procurant, pœnaſque tum a jure civili, tum a canonico ſancitas explicet, ardentique zelo contra illos declamet, qui Fœtui vitam naturalem ſimul, & ſu-

pernaturalem, gratiæ ſcilicet, auferunt, eum de induſtria Baptiſmi Sacramento privantes. Si autem priuſquam in lucem exeat Fœtus, fortè decedat Mater; tunc maximè inſtat periculum, ne illa ſepeliatur abſque eo, quòd de Parvulo, præſertim illegitimo, liberando aliqua ſubeat cogitatio. Hic ergo Romani Ritualis nitidiſſimum præceptum refricamus. *Si Mater prægnans mortua fuerit, Fœtus quamprimùm cautè extrahatur: ac ſi vivus fuerit baptizetur*. Idem edixit S. Carolus Borromèus in Inſtructione pro Baptiſmo, idem quoque plures profectò Synodi in pluribus Provinciis præceperunt. Imò Fœtus extractio ab ipſo jure Civili in Titulo Digeſtorum de Mortuo inferendo decernitur. Conſtat inſuper hanc Legem nuper in quodam Regno a Laica poteſtate renovatam, ſeveriſſimà pœnà conſtituta & iis, qui Legis exequutionem temerè impedire auſi fuerint, & iis, qui operam tantummodo ſuam conferre neglexerint. (*a*) Parochi ergo in inſtruendos de hujuſmodi præcepto Populos toto pectore incumbant, omnique ſolertià ſatagant, ne res tanta floccipendatur. Cæterùm ſi prægnatio illegitima fuerit; prudenter, ſecretò, ac circumſpectè negotium iſtud peragere oportebit.

Demum in hac adeo gravi materia ſatis ad intentum feciſſe cenſebimus, ubi cunctos monuerimus, typis Mediolanenſibus nuper iteratò editum opus, ex quo cognitiones omnes haurire poterunt ad hunc finem conducibiles. Inſcribitur autem Embryologia Sacra, ejuſque non pauca exemplaria Cremonam perlata ſunt. Auctor dignus eſt Eccleſiæ Miniſter, tum ſingulari doctrinà, tum diuturnà experientià in Parochiali munere acquiſita; ejuſque Liber in pluribus Italiæ Urbibus multà cum laude exceptus eſt. Integrum nobis eſſet aliorum ſequi exemplum Epiſcoporum, qui univerſos ditionis ſuæ Parochos, ut quiſque ejuſdem libri exemplar apud ſe habeat coegerunt. In quorum numero eximium certè locum promeretur Eminentiſſimus Cardinalis Delcios, qui in Sabinenſi ſuo Epiſcopatu idipſum præcepit. Nihilominus deſiderium noſtrum hujus Diœceſis Paſtoribus ſignificaſſe contenti erimus: Zelus enim, qui in ſingulorum pectoribus ardet, ac juſta illa formido reddendæ olim ſuperno Judici rationis, ubi aliqua ex Animabus eorum negligentià periret; certò credimus acutos futuros eſſe ſtimulos, ut ipſi hujuſmodi ſubſidio ad proprium miniſterium rectè obeundum exquirant. Reliquum eſt ut Omnes pro certo ſciant attentiſſimè nos excubaturos, & ad eos proſpiciendos, qui fortè officio ſuo deerunt, & ad pœnas, etiam duriores, infligendas, prout ſinguli caſus poſtulabunt. Cunctis ergo Vicariis Foraneis jubemus, ut pro re tanti momenti in ſua quiſque juriſdictione ſummam adhibeant ſollicitudinem: Nobiſque fideliter contingentia mala denuncient: Omnibus tamen interea paſtoralem noſtram benedictionem impertimur. Cremonæ ex Epiſcopio 7. Calendas Septembris 1750.

Ignatius Maria Epiſcopus.

P. A. Brambilla Cancell.

MO-

(a) Ad Leges alludit Siculas, quas paulò ante jam dedimus.

MONUMENTUM DUODECIMUM.

Articulus octavus Epiſtolæ Edictalis, & Encyclicæ Reverendiſſimi Patris Dominici Pizzi Præfecti Generalis Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis vulgò Cruciferorum ad ſuos datæ ſub initium ejus Magiſtratus Romæ 3. Kal. Septembris 1752.

Quicumque è noſtris ad extremum Prægnantium agonem aſſidebit, nullam prætermittet induſtriam, ut Genitricis morte ſequutà, Baptiſmus ejuſdem Proli conſeratur. Itaque maturè Parocho rem ſignificabit: ſatagetque inſuper ut præſto ſit Chirurgus, vel alius ad Partum Cæſareum efficiendum idoneus. Si enim in his circumſtantiis Chriſtiani omnes tenentur ſub gravi ad æternam Nonnatorum Puerorum ſalutem procurandam, ac propterea ad eorum Baptiſmum ſollicitandum: multò magis tenebitur Infirmorum Miniſter, qui ex proprii inſtituti munere ibidem adſiſtit.

Et in Reg. & Conſtit. Ordin. Recentior. A. 1754.

Si quando Noſtri moribundæ alicui Gravidæ adſtiterint; curabunt ut ejus morti Parochus, & Chirurgus vel alius ad cæſaream ſectionem aptus interſit: ut Baptiſma Fœtui poſſit quantocitiùs impertiri.

MONUMENTUM DECIMUM TERTIUM.

Excellentiſſimi Domini Euſtachii Ducis de là Vieſuille Siciliæ Proregis Inſtructiones pro Deputatione Projectorum.

CUm opportuno indigeat remedio grave illud malum, quod paſſim in hoc Regno graſſatur: ſæpenumero ſcilicet Pueros ex illegitimo concubitu natos in vias projici, imo & in Campos, ubi vel fame quidem pereunt, vel a Canibus aliiſve Beſtiis devorantur: decrevimus infelicibus iſtis congruà ratione ſubvenire.

Quapropter ad omnes Regni Univerſitates circulare Mandatum direximus, in quo omnibus earum Juratis Patribus generalem normam præſcripſimus: qua deinceps ratio dandi Parvulis Projectis auxilii tuta, & perpetua permaneret. Præcepimus inſuper Juratorum Viſitatoribus, quos Magiſtros Juratorum appellant; ut in viſitatione Civitatum Regiæ juriſdictionis hujuſmodi rebus invigilent: ſimiliter etiam Regni Præſulibus, ac Regiæ Monarchiæ, & Apoſtolicæ Legationis Judici; varias regulas ad eum finem conducentes inſinuavimus, quorum nonnullæ Noſocomia, aliaque pia Loca eorum poteſtati ſubjecta, & ad recipiendos Projectos deſtinata, reſpiciunt. Verùm animo perpendentes ad abſolutum generalis hujus providentiæ adimplementum neceſſarium eſſe, ut in hac Urbe principe Collegium ſive Cœtus inſtituatur Virorum ſpectabilium, & zelo, atque prudentà præditorum, qui provinciam iſtam in ſe ſuſcipiant; illud erigere ac ſtabiiire decrevimus.

I. Hoc ergo Collegium Deputatio Projectorum appellabitur.

II. Ex quinque Viris a Prorege per Chirographum hujus Regiæ Secretariæ electis conſtabit: ſcilicet ex viro Eccleſiaſtici ordinis, & in dignitate conſtituto, & quatuor Nobilibus, quorum duo ſaltem e Dynaſtarum numero aſſumentur. Eiſdem cooperabitur Secretarius Clericalis conditionis, honeſto loco natus, ac ſcientia, & charitate ornatus, à Prorege ſimiliter per Chirograpum ejuſdem Regiæ Secretariæ ſtatuendus, qui tamen votum in Deputatione habeat merè (ut ajunt) conſultatorium.

Deputationis indefeſſum ſtudium, & ſcopus erit primò executioni Conſtitutionum, & Mandatorum, quæ maturà præcedente deliberatione pro Projectis emiſimus, invigilare: ac propterea præſentibus Inſtructionibus exempla Chirographorum adjunximus, Regni Præſulibus, ac Judici Regiæ Monarchiæ deſtinatorum. Inſuper tum encyclicum decretum, quod omnibus Regni Univerſitatibus, tum aliud, quod Magiſtris Juratorum dedimus cujuſcumque Provinciæ.

IV. Præterea ex munere ſuo ſpeciali Deputatio Principi ſuggeret quidquid in dies, vel aliquando ſucceſſu temporis promovendum, vel præcipiendum emerſerit: quo hujus piæ, ac politicæ providentiæ plenior effectus, imò & perfectio haberi poſſit.

V. Deputatio per vices in Domo ſingulorum quinque Deputatorum congregabitur.

VI. Id ſaltem fiet ſecundà cujuſcumque menſis hebdommadà, nimirum ad diſcutiendas Parochorum, vel Juratorum Relationes a quibuſcumque Regni Locis fortaſſe provenientes.

VII. Congregabitur quoque tertià Januarii, & ſecundà Julii hebdommadis, cum ſcilicet ſemeſtres Relationes, quorum forma in mandato circulari ad Univerſitates miſſo explicatur, à toto Regno provenient.

VIII. Liberum tandem erit Depu-

ta-

tatis Collegium inire, quotieſcumque neceſſarium arbitrabuntur.

IX. Propter ſemeſtres Relationes, quæ, ſicuti dictum eſt, ab Univerſitatibus mittendæ ſunt; Deputatio circa finem tum Januarii, tum Julii Conſulationem ad Proregem ex his, quæ à Relationibus comperta fuerint, adornabit.

X. Idem omnino faciet, & aliis anni temporibus, ubi Relationes accipiet, quæ Principis providentiam expoſcant, vel quidquam inſurget, quod Deputatio ad illum deferendum eſſe cenſuerit.

XI. Deputationis tamen Secretarius rationem habebit omnium Chirographorum, & Mandatorum Principis, Foliorum, & Conſultationum ad Deputationem directarum; eaque omnia ordinatè digeſta cuſtodiet. Regiſtrabit etiam, quæ Principi Deputatio repræſentabit, & omnia demum, quæ litteris mandare oportuerit.

XII. Suggerenda verò ſunt Nobis a Deputatione media opportuna, ſeu modi, quibus expenſæ ad officium Secretarii neceſſariæ valeant ſuppeditari.

XIII. Quandocumque ſive ob alicujus mortem, ſive ob juſtam aliam cauſam, unus, vel plures e quinque Deputatis, vel Secretarius, erunt noviter eligendi. Deputatio Proregi tres Viros zælo, ac prudentià, & qualitatibus vacanti loco reſpondentibus ornatos nominabit: ut Prorex ad illum promoveat quem aptiorem judicaverit:

XIV. Cum erectionem hujus Deputationis ejuſque munera Præſulibus, Magiſtris Juratorum, & Juratis omnium Univerſitatum per Chirographos hodie ſignificaverimus; eos una monuimus, ut Epiſtolas, & Conſultationes, quas ab illis quandocumque ad Proregem de Projectis mitti contigerit: eas cum hac inſcriptione per publicum Tabellarium inrigant: *Ad Proregis Excellentiam per Deputationem Projectorum*: Curabit itaque Deputationis hujuſce Secretarius Epiſtolas omnes cum prædicta directione venientes accipere, a ſe in Deputationis Congreſſibus, quotieſcumque oportebit celebrandis, exinde referendas.

Panormi tertio Id. Januarii 1751.

DUX DE LA VIEFUILLE.

MO-

Digitized by Google

MONUMENTUM DECIMUMQUARTUM.

Mandatum Proregis Encyclicum de Projectis ad Senatus, Juratoſque Patres Civitatum, & Pagorum Regni Siciliæ.

CUm in hoc Siciliæ Regno ſæpè, ſicuti certo cognovimus, Infantes illegitimis orti natalibus in viis vel etiam in Pratis exponantur, ubi opportuna ope deficiente, vel inedià confecti demum occumbunt, vel a Canibus, Feriſque diſcerpti devorantur; tam verè miſerando infortunio ſequenti perpetuà Ordinatione, ab omnibus Regni Univerſitatibus fideliſſimè obſervanda, idoneum remedium afferre ſtatuimus. Illam igitur Dominationibus veſtris inculcamus in iis, quæ ad ipſas pertinebunt adamuſſim exequendam.

I. In omni Civitate, vel Pago, ubi Noſocomia, vel ſimilia pia Loca fortè inſtituta ſunt, quæ ad excipiendos, alendoſque Projectos Infantes, ac proinde ad Rotam habendam tenentur; inſtabunt Jurati ut hæc a propriis Noſocomiorum prædictorum, Locorumve piorum Gubernatoribus exactè adimpleantur.

II. Ubi in Civitatibus, vel Pagis, nec Noſocomia, nec alia ſunt Loca pia ad Rotam pro Infantibus excipiendis patentem erigendam obligata; eam ipſa Univerſitas habeat in Domo a Juratis deſtinanda, quæ commodo in loco nec valde publico, ſed ab Archipræsbitero, ſeu Parocho ipſius approbato, ſita ſit.

III. Patebit etiam Rota in Univerſitatibus illis, quæ qualicumque de jure ſentiunt aliquod ejuſdem Loci Noſocomium, aliudve pium Opus ad eam exponendam obligari: nec ab onere liberabitur Univerſitas, niſi priùs vel per ſententiam, vel per tranſactionem, vel alium ſanè modum Noſocomium ipſum, vel pium Opus, id ſibi oneris aſſumpſerit.

IV. At ubi quocumque jure putet Univerſitas ad Noſocomium aliudve pium Inſtitutum, ſive in eadem Civitate, vel Pago, ſive in alio fundatum pertinere ipſius Univerſitatis Projectos alere, ac pro jis excipiendis Rotam exponere; Jurati pro jis apud legitimos prædictorum Noſocomiorum, Operumve piorum Superiores inſtabunt.

V. Si quando in Rota alicujus Univerſitatis Projecti Infantes inveniantur, ejus Jurati ſub currentis menſis finem ad Nos referre debebunt eorumdem Infantium numerum, providamque curam pro ipſorum nutritione ſuſceptam.

VI. In Civitatibus, vel Pagis, ubi Noſocomia, vel alia Opera cum Deputatis ad excipiendos, alendoſque Projectos exiſtunt: nihilominus in fine menſis Jurati ſimilem de illis Relationem ad Nos tranſmittere tenebuntur. Addent autem authenticum documentum a Rectoribus, & Gubernatoribus Noſocomiorum, piorumve Locorum, juxta mandata mox a propriis Præſulibus recipienda, exaratum.

VII. Jurati earum Civitatum, & Pagorum, quæ inconcuſſum jus habent Projectos ſuos ad Noſocomia, Locave pia aliarum Civitatum, vel Pagorum mittendi, ſicuti hoc non obſtante Rotam in ſua Civitate, vel Pago ſtatuere ac perpetuò ſervare debebunt; ita in cujuſcumque menſis fine rationem Nobis reddent Projectorum, qui eo decurrente in Rota inventi fuerint. Tranſmittent quoque adnotata nomina eorum, quibus Infantes antea baptizatos ad prædictas Civitates, aut Pagos commiſerint deferendos. Adnectent denique documenta de receptis Infantibus, quæ a Noſocomiorum, aliorumque piorum Inſtitutorum Officialibus Infantium Portitores pro ſua, Juratorumque mittentium cautelà obtinere debuerunt. Jurati autem hæc documenta dabunt Nobis originalia: eorum tamen exemplum authenticè deſcriptum pro ſua indemnitate in Officiis Archiviſque ſuis conſervabunt.

VIII. Quibus menſibus Projecti reperti non fuerint; Jurati Univerſitatum men-

menſtruam Relationem conſcribere non tenebuntur: debebunt tamen ſemper quolibet ſemeſtri rationem nobia reddere; utrum Rota per anteactu m ſemeſtre continuò patuerit. Inſuper etſi quolibet menſe de Projectis inventis particulatim ſignificaverint; attamen tranſacto jam ſemeſtri, generalem omnium in ipſius decurſu repertorum Relationem adornabunt, atque tranſmittent, in qua etiam quomodo illorum nutritioni conſultum fuerit, explicabitur. Si verò toto ſemeſtri nullus Infans repertus fuerit; nihilominus illo completo, negativum nobis dirigent Documentum unà cum prædicta notitià, Rotam ſcilicet eo toto tempore patuiſſe.

IX. Relationes, quas Jurati per totum anni ſpatium de Projectis ſingulis menſibus repertis, ubi caſus evenerit, rationem redditurì conficient, tali pacto per publicum Tabellarium dirigant, ut ad nos primà inſequentis menſis hebdommadà perveniant. Relationes verò generales, quas, uti articulo octavo diximus, iidem Jurati ſingulis ſemeſtribus, incipientes a menſe Julio anni preſentis ad nos traſmittere tenebuntur; per publicum etiam Tabellarium dirigent: ita tamen, ut alteram ex eis tertià Januarii hebdomadà alteram ſecundà Julii hebdommadà poſſimus accipere.

X. Juratis, cæteriſque cujuſcumque Civitatis, & Pagi Officialibus inhibemus, ne occultos Puerorum in Rotis repertorum Parentes inveſtigare ullatenus audeant; niſi cum prudens ratio habeatur dubitandi Pueros a legitimis Parentibus fuiſſe projectos: quo caſu re jam probatà, Loci Officiales illos ad eorum Parvulos denuò recipiendos compellent: nec ſolùm proſpicient, ne iterùm hanc fraudem illi committant; ſed ut eorumdem Parvulorum curam quoque habeant, neque aliò projecturi deſerant, vel ipſorum vitam qualitercumque in diſcrimen adducant: qua propter Jurati de iiſdem per intervalla rationem ſibi reddi poſtulabunt.

XI. Cum in hac Metropoli a Nobis Collegium ſub titulo Deputationis Projectorum erectum fuerit; quod perpetuò conſtabit ex Viro in Eccleſiaſticà dignitate conſtitutò, & quatuor Nobilibus, quorum duo ſaltem e Dynaſtarum ordine: ſemper eligentur: cumque ad ejuſdem Deputationis Officium ſpectet, quæ ſupra ſtatuta ſunt, curare: Nobiſque indicare, tum quidquid circa receptionem, proviſionem, & alimenta Infantium, & Puerorum projectorum occurrere poterit; tum etiam quæcumque ad hujus noſtræ diſciplinæ perfectionem pertinebunt: propterea Jurati, Officiales, & cæteri omnes, cujſcumque Civitatis, ac Pagi hujus Regni, ſi quando ad Nos referrre, vel auctoritatem noſtram implorare debebunt; non ſolùm prædicto modo, & cauſis ante notatis, ſed quacumque alia occaſione, quæ Infantes, Pueroſque projectos fortaſſe reſpiciat; Relationes iidem ſuas, notificationes, petitioneſque ſequenti directione traſmittent: ſcilicet *ad Excellentiam Domini Proregis per Deputationem Projectorum*. Omnibus inſuper Juratis, atque Officialibus Locorum Regni, quibus præſentes redditæ fuerint, onus imponimus, ante deſcriptos articulos, qua parte ad eorum munus, curamque ſpectabunt, exactè cuſtodiendi: ſecus enim pœnis eorum traſgreſſioni reſpondentibus, & arbitratu noſtro juxta facti ſpeciem infligendis, meritò ſubjacebunt. Demum eis expræſsè mandamus ut has encyclicas in Juratoriæ Curiæ Tabulario, quo omnibus innoteſcant, faciant regiſtrari. Diſtrictè quoque Magiſtro Notario ſub annalis carceris pœna jubemus, ut præſentes literas quotannis mutata Juratorum ſede, poſtquam Recentiores Magiſtratum inierint; ſtatim ipſis denuncient: ut illarum ſcientiam acquirere, ac juxta eas ſeſe gerere valeant, nec ullam earum ignorantiam prætendere poſſint. Neque ſecus quidquam a quoquam erit attentandum. Cum autem Tabellarius ad id ſpecialiter deſtinatus has literas perferat; eum, non niſi tributà priùs itineris mercede, juxta taxam, quam à Marchione Rajatæ magno Pro-Tabellario ſignatam exhibebit, ad ſummùm infra horæ ſpatium, ut iter ſuum proſequi valeat; expeditum dimittetis.

MO

Panormi tertio Id. Januarii 1751.

DUX DE LA VIEFUILLE.

Senatibus, Juratiſque Civitatum, & Pagorum Regni.

MONUMENTUM DECIMUMQUINTUM.

Epiſtola hortatoria Proregis ad Præſules, ſcilicet

Ad Archiepiſcopos Panormitanum, & Meſſanenſem, & ad Vicarium Capitularem Archiepiſcopatus Monregalenſis: item ad Epiſcopos Catanenſem, Syracuſanum, Agrigentinum, Pactenſem, Cephaleditanum, Mazarienſem, Liparitanum, & ad Archimandritam Meſſanenſem, & Abbatem Sanctæ Luciæ. Inſuper ad Judicem Apoſtolicæ Legatiæ, & Regiæ Monarchiæ plura ſub ſua juriſdictione Noſocomia habentem. Ad Vicarium Magni Prioratus Meſſanenſis pro Oppidis in ſpiritualibus Religioni Hieroſolymitanæ ſubjectis, atque ad Delegatum Apoſtolicum Caſtaniæ Præſulem.

ILLUSTRISSIME DOMINE

Cum politici gubernii &c.

Deſcribit hic primò, quæ conſtituerit pro Projectis, quæque in antecedenti Encyclica lecta ſunt; deinde ait.

QUò autem tutiùs, & exactiùs diſpoſitiones prædictæ ſerventur; de zelo, pietate, ac vigilantiâ Parochorum Dominationi tuæ Illuſtriſſimæ ſubditorum confiſus, maximè quidem expedire puto, ut unuſquiſque illorum, ubi in Rota ſuæ Civitatis, aut Pagi, Projecti reperiantur; in quolibet menſis initio, me de numero Projectorum antecedenti menſe repertorum, ac de modo, quo illis proviſum fuerit, reddat certiorem. Ac ſimiliter ſingulis deinde ſemeſtribus generalem traſmittat notitiam de ſequentibus: nimirum primò utrum Rota in præcedenti ſemeſtri aperta manſerit? Secundò quomodo illis proviſum? Si vero nullus inventus fuerit; Documentum nihilominus mittat negativum. Optarem ergo ut Dominatio tua Illuſtriſſima Archipræsbiteria, Parochiſque ſuæ Diœceſis, per Encyclicas Epiſtolas, onus injungat prædictarum Relationum. Ut autem notitiæ iſtæ opportunè a me recipiantur eoſdem præmoneat, ſemeſtres Relationes ad hanc Metropolim eo tempore dirigendas, ut prima Relatio tertiâ hebdommadâ Januarii, altera verò ſecunda Julii hebdommadâ, incipiendo a Julio correntis anni; quæ autem de Projectia in dies inveniendis mittendæ ſunt, primâ ſemper hebdommadâ ſequentis menſis ad Me perveniat.

Parochis etiam ſuggerat eorum Relationes ad informandum exaratas, hac directione inſcribendas eſſe, nimirum *ad Excellentiam Domini Proregis per Deputationem Projectorum*.

Illud a me ſimiliter Dominationi tuæ Illuſtriſſimæ inſinuandum occurrit, ut paſtorali, quo pollet, zelo hac arreptâ occaſione ſeriò moneat Rectores Noſocomiorum, aliorumque piorum Operum ſuæ juriſdictioni ſubjectorum, ac onus habentium figendi Rotas, alendique Projectos; ut eidem oneri exactiſſimè, & vigilantiſſimè ſatisfaciant: plurimi enim hoc extimo: nam Noſocomiis, aliiſque Inſtitutis debitum ſuum adimplentibus, ab eodem, ſive in totum, ſive in partem relevabitur Univerſitas; pro cujus levamine Fundatores antedicta pia Opera erexerunt; probè ſcientes, ubi hujuſmodi fortè auxilia de-

ſint,

ſint, naturali quodam jure, onus providendi Projectis in Univerſitatem recipere. Inſuper ad aſſequendam notitiam Infantium in antedictas Rotas Projectorum, Dominationem tuam Illuſtriſſimam hortor, ut Rectoribus eorumdem Noſocomiorum, piorumve Locorum ſuæ ditionis, quæ ad Rotam habendam, Projectoſque alendos tenentur; præcipiat, elapſo quolibet menſe, Juratis Loci ſchedulam cum ſerie Projectorum in eorum Rotam impoſitorum exhibere. Siquidem ſchedula indemnitati Juratorum inſerviet. Cum enim ipſi nullo modo in gubernatione, & adminiſtratione Noſocomiorum, Locorumque piorum Dominationi tuæ Illuſtriſſimæ privativè ſubditorum ſeſe ingerere debeant; ſine prudenti hujuſmodi normà a zelo Dominationis tuæ Illuſtriſſimæ præſcribenda, generale mandatum a me cunctis Univerſitatibus injunctum, nimirùm de referendo mihi ſingulis menſibus numero Projectorum, ac modo, quo illis conſultum fuerit; numquam ſanè adimpleri poterit. Hoc autem, ut dixi, maximè intereſt Gubernatorum Reipublicæ: pertinet enim ad temporalem Hominum conſervationem, qui membra ſunt Univerſitatum, Civiliſque Societatis. Hæc a Dominationis tuæ Illuſtriſſimæ inſigni erga bonum publicum ſtudio me aſſequuturum planè confido. Deus tamen illam plurimis annis, quod exopto, incolumem ſervet.

Panormi tertio Id. Januarias 1751.

Dominationis tuæ Illuſtriſſime Domine

Dux de la Vieſuille.

ANNOTATIO.

I. IN Epiſtola verò ad Epiſcopum Liparitanum id additum eſt: *Relationes ab ea Inſula mittendas quidem eſſe ſtatutis communiter temporibus: niſi Maris tempeſtas, defectuſque Navigii obſtaret: eo tamen caſu dirigendas cum primùm poterint*. Idem additum eſt in Epiſtola ad Mazarienſem Epiſcopum pro Relationibus a Coſyra ideſt Pantellaria Inſula venturis.

II. Præterea quoniam Sicilia in tres Valles, veluti Provincias Mazarienſem, Netinam, ac Demanam dividitur: ac tres item numerat Officiales, qui Univerſitates quotannis viſitant, Juratiſque Patribus Regiarum Civitatum præſunt, & imminent, dicti propterea Magiſtri Juratorum: ad hos etiam ſequentia per litteras præſcribit Prorex.

Primum ut in viſitationibus quotannis faciendis, ubi Rotæ detinendæ onus ad Univerſitatem pertinet; illam inſpiciant.

Secundum ut ſecretò inquirant, num Projectis repertis Jurati conſulant.

Tertium ubi hæc onera ad Noſocomia, aliaque pia Inſtituta Prælatis ſubjecta, ſivè in totum, ſivè pro parte ſpectant; ſecretò etiam ſciſcitentur, utrum reverà adimpleantur.

Quartum ut finita viſitatione, omnia, quæcumque repererint, notatu digna, omneſque defectus, Proregi perſpicua Relatione deferant, quo iis opportunè provideat. Si quæ verò celeriori indigeant auxilio; hæc in ipſo etiam viſitationis curſu, eidem per Deputationem Projectorum datâ Epiſtola exponant.

III. Demùm ut Epiſtolæ, Relationes, Conſultationeſque omnes, e quibuſcumque Regni Locis ad Deputationem Projectorum venientes, quia manifeſtè ad publicum bonum ordinatæ, a ſolvendo pro traſmiſſione ſolito jure, immunes omnino cenſeantur: idque in perpetuum ſpeciali Chirographo a Prorege Marchioni Rajatenſi Magni Tabellarii Locumtenenti declaratum.

Poſtrema verò hujuſmodi mandata pro Magiſtris Juratis, ac Magno Tabellario, eamdem habent Loci, ac temporis adſcriptionem: ſcilicet: *Panormi tertio Idus Januarias* 1751. Hic autem ſummatim brevitatis gratiâ recenſentur:

MO-

Digitized by Google

MONUMENTUM DECIMUM SEXTUM.

Relatio Joſephi Guttadauri Chirurgi Agrigentini de Parvulo ſub defuncti larva naſcente.

CUm Libro tertio [a] hujus Operis de Puerorum Aſphyxia diſſererem; Agrigentini Parvuli mirandum caſum, qui anno præterito contigit; Petro Antonio Cicero Canonico, & Parocho teſtante, narravi. Alius autem valde conſimilis accidit & hoc anno: cujus hiſtoriam a Chirurgo deſcriptam, & ab eodem Parocho ad me tranſmiſſam, pro traditæ doctrinæ confirmatione ſubnectam.

Relatio Joſephi Guttadauri Chirurgi Agrigentini de Parvulo ſub defuncti ſpecie naſcente.

Nicolina de Thermis Agrigentina tres infeliciſſimos olim ſubſtinuerat Partus, in quibus nonniſi uncino poſt dies quatuor Infantes mortui, vel tales certò crediti, chirurgicà manu evelli potuere: os enim pubis erat illi deorſum valde inclinatum. Sed eam tertio Calendas Februarii A. 1758. quarti puerperii dolores invadunt, & quamquam neque pinguis, neque gracilis eſſet, & a duabus Obſtetricibus juvaretur; Fœtus nihilominus ceteroqui vegetus, & proclivis ad exitum, e materno carcere ſeſe expedire nequibat; inſuperabili ſupradicti oſſis obſtaculo impeditus. Poſt trium ergo dierum, totidemque noctium fruſtraneos Parvuli, Matriſque conatus, a Domeſticis quarto Nonas Februarii Ipſe accerſitus Fœtui opitulari ſategi: cumque Puerperam viribus exhauſtam perſpicerem; eas reſtituere ſum aggreſſus: deinde ad propriam domum commigravi, Matricis inde Speculum allaturus. Reverſus primà horà noctis prædictum applicui Speculum: quo nequaquam proficiente, Parvulus ob evidens periculum ab Obſtetrice baptizatur, & circa quartam noctis horam moveri deſinit. Poſtridie hora 9. Puerperam viſitans, reperi frequentibus deliquiis, & anguſtià præcordiorum afflictam, cum atrociſſimo totius ventris dolore; itaut ſine intollerabili cruciatu venter nequidem leviſſimè attingi poſſet: neque deerat illi febris, quam ipſe, inflammationis initium arbitratus, Fœtum jam vità exceſſiſſe putabam. Nihilominus rem diligentiùs indagaturus, Parturientem in lecto deponi, & a dextro ad ſiniſtrum latus, & viceverſa a ſiniſtro ad dexterum revolvi præcepi, ut agnoſcerem, utrum Fœtus, uti reverà deinde accidit, Mortuorum more in alterutrum latus alternando decideret. Puerpera interea Parvulum certiſſimè defunctum aſſeverabat. Pro majori autem cautelà Infantis caput iterum obſervavi, atque ita compreſſum ſuper os pubis inveni, ut cartilaginoſa illius oſſicula depreſſa eſſent: ex quo conjeci compreſſionem Duræ Matris, Aracnoidis, & Piæ Matris, & conſequenter etiam Cerebri, & exinde ſequutam Parvuli mortem: imò attrectato Capitis vertice, ubi major ſupra maternum os erat compreſſio, ſphacelatum animadverti: cuticula enim ſeparata erat a cute, cutis verò flaccida, & mortificata: quapropter de Parvuli morte judicavi nullatenus eſſe dubitandum, Heiſtero dicente: (a) *certius verò ſignum eſt, ſi cuticula quoque a cute cranii recedit*. Quocirca ad extractionem per Uncinum procedere ſtatui. Per partem ergo mortificatam, & locum ſuturæ ſagittalis uncinum introducens, & in occipitis oſſe defigens, quia partus erit inverſus; Parvulum educere tentavi: ſed irrità opera nam Uncinus in ipſo trahendi conatu diſſiliit. Deinde Uncino iterum introducto, Fœtum a loco, ubi hærebat, amovi, Uncinum intorquens: at illius Caput educi non potuit, Uncino iterum fugiente. Sed tertiò, inuncato capite, ipſum foras extraxi, reliquo tamen Corpuſculo interius manente ob tertiam Uncini a capite ipſo diſſolutionem. Quartùm denique immiſſo Uncino,

(a) Embryol. *Lib.* 3. c. 10. n. 7.
(b) Heiſterus de Signis partus mortui in utero *tom.* 2. *cap.* 153. *fol.* 949.

no, ſiniſtræ manus Parvuli mentum apprehendentis adjutorio, Corpuſculum totum extraxi. At natus Parvulus Adſtantes gaudio ſimul, & admiratione complevit: ad aëris enim ſenſum reſpirare cepit, poſtquam per 14. circiter horas in mortui figura permanſiſſet. Igitur Baptiſmo iterum ſub conditione illi miniſtrato, Caput eidem ex arte ſuturaſque conſtrinxi: quo facto illico Infantulus aperuit oculos: ac ſubinde ſuppletis in Parochiali Eccleſia Cæremoniis poſt horam a nativitate defunctus eſt. Dabam Agrigenti Idibus Martiis 1758.

Joſephus Guttadaurus Chirurgus Agrigentinus.

FINIS.

IN.

Digitized by Google

INDEX

Prior numerus Librum, ſecundus Caput, tertius Numerum marginalem, quartus Paginam deſignat. *App.* Appendicem; *Mon.* Monumentum; *Annot.* Annotationem.

A

ABORTUS.

Involuntarii quæ ſint cauſæ frequentiores. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 4. *p.* 2.

Ne ſequatur ad quid teneantur Conjuges, *Ib.*

A quibus aliis cauſis provenire ſoleat, ſicuti & Partus difficiles, & vitioſæ Generationes. *Ib. p.* 3.

Provenit aliquando ex Maleficiis, & quod contra ea remedium. *Ib n.* 6.

Involuntarius quomodò punitus ab Eccleſia Græca, & à Latina. *Ib. & l.* 4. *c.* 1. *n.* 10. *p.* 212.

Voluntarius quomodo à Parochis impediendus. *l* 1. *c.* 2. *p.* 4.

A quibus cauſis procedat. *Ib. n.* 1. & 5. *p.* 4. & 5.

Voluntarium exercebant Ethnici, & Manichæi. *l* 1. *c.* 2. *n.* 1. *p.* 4.

Eum damnat Chriſtiana Philoſophia, ut & impeditionem humanæ Generationis. *Ib. n.* 2. *p.* 4.

De Abortibus ſuæ ætatis querelæ Sancti Hieronymi, & Tertulliani. *Ib. n.* 3.

Eum fruſtra procurant Matres Joannis à Palafox, & S. Germani. *Ib. n.* 4. & 5 *p.* 5.

Multæ Matres procurant Choræis. *Ib.*

Illicitum eſſe doceant Parochi, etiam ubi ſubeſt infamiæ metus, *Ib. n.* 6.

Eum procurans, ſi Fœtus eſt Animatus, Reus eſt Homicidii proditorii, & Eccleſiæ immunitate indignus. *Ib.*

Etiam ubi Fœtus eſt inanimis, ad eum cooperantibus, excommunicationem reſervatam Papæ, & alias pœnas Siſtus V. impoſuit. *Ib.*

Hanc excommunicationem Gregorius XIV. ad ſolum Abortum Fœtus animati reſtrinxit; ejusque abſolutionem Epiſcopis permiſit. *Ib. pag.* 6.

Eum procurantibus, tam ſi Fœtus eſt Animatus, quam inanimis, Pœnas Canonicas inflixit S. Baſilius Magnus. *Ib. n.* 7.

Voluntariè Abortienti perpetuam publicam pœnitentiam imponebat vetus Eccleſiæ diſciplina; ejuſque abſolutionem tantùm in mortis articulo indulſit. *Ib. n.* 8.

Hujuſmodi pœnam ad decennium temperavit Concilium Ancyranum. *Ib.*

Adulteræ Abortum procuranti abſolutionem etiam in morte denegavit Concilium Eliberitanum. *Ib.*

Eum procurantes magis timent Laicos Magiſtratus, quam Eccleſiam, & quare. *Ib. n.* 9.

Denuntiandi Parochis à quolibet, qui Abortum aliter impedire non poteſt. *Ib. p.* 7.

Puniendi etiam quandoque ſunt ultimo ſupplicio. *Ib. n.* 12. *p.* 7. & 8.

Ad Abortum cooperantes, ut Homicidæ puniuntur novo jure in Sicilia. *Ib.* & in App. *Mon* 4. 4 *n.* 10 *p.* 258.

Major tamen eſt pœna, ubi Fœtus eſt animatus. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 2. *p* 34.

Hujuſmodi pœna conducit ad ſtupra impedienda. *Ib. c.* 2. *n.* 12. *p.* 8.

Abortus Fœtus animati, ſive inanimis, opponitur naturæ, & fini Generationis. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 4. *p.* 9.

Purgatio, & Flebetomia non inducunt proximum periculum Abortus, & mortis in Fœtu, & quare. *Ib. c.* 4. *n.* 2. *p.* 12.

Eum

Eum procurant Mulieres, præſertim illegitimè prægnantes, in principio Graviditatis. *Ib. c.* 5. *n.* 1. *p.* 15.

Ad Abortus arcendos curam habeant Principes de Projectis. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 3. *p.* 219.

In Abortu ſemper inſpiciendus eſt Fœtus, quamvis mole minimus, num fortè moveatur, & baptizari poſſit. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 2. *p.* 16. & *c.* 12. *n.* 2 *p.* 47.

Abortibus ſe non cooperaturum juravit Hippocrates: *l* 1. *c.* 8. *n.* 5. *p.* 29.

In Abortu Fœtus adulti, ubi etiam periclitatur vita Matris; ſæpe duplex eſt Homicidium. *Ib. c.* 9. *n.* 2. *p.* 34.

Deflctur Parentum ſocordia, & aliorum in non inſpiciendis Abortientia ejectamentis; & quare. *Ib. c.* 12. *n.* 2. *p.* 47. & in App. *Mon.* 4. *n.* 12. *p.* 258.

Abortum procurans, vel Partum Cæſareum prohibens, aut negligens, aliquando eſt plurium Homicidiorum Reus, & quare. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 1. & 2. *p.* 108.

In Abortibus Fœtuum multiplicitas ſæpe conſpicitur, & quare. *Ib. n.* 2.

Abortuum numeroſorum exempla. *Ib.*

Abortus, & Partus numeroſi certis in locis frequentiores. *Ib. n.* 8. *p.* 110.

Abortus Fœtus inanimati procuratio Melitæ eſt caſus cum Excommunicatione Epiſcopo reſervatus. *l.* 4. *c.* 8. *n.* 4. *p.* 247.

Statuta Sicula de Abortu in Pragmatica de Partu Cæſareo. *Append. Mon.* 4. *a n.* 10. *p.* 258. & *Mon.* 7.

ABORTIENTES.

Ipſarum Ejectamenta domeſtici incurioſè non obſervant. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 1 *p.* 15.

In latrinas, & ſterquilinia ea proiciunt, licet quandoque Fœtum vivum contineant. & Exempla *Ib.*

Earum Ejectamentum in principio Prægnationis an dignoſci poſſit ſit ne Embryo, vel Mola, & quomodò *Ib. c.* 12. *n.* 11. 12. & 13 *p.* 50. & *lib.* 2. *c.* 17. *n.* 12. *p.* 111.

Unde ſit Mola. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 14. *p.* 51.

Mola ſemper ſecanda, ut inſpiciatur, num lateat in ea Fœtus. *Ib.*

ABORTIVI.

Obſervandi in principio graviditatis an moveantur. *l.* 1. *c.* 5. *a n.* 2. *p.* 15. & *c.* 12. *a n.* 2. *p.* 47.

Sæpe mortui videntur, etſi vivi. *Ib.*

Vigeſimo die vivi facilè inveniuntur. *Ib.*

Etſi minimi, vivere poſſunt, quouſque baptizentur. *Ib. a n.* 6. *p.* 48.

Et ſunt ſenſibiles. *Ib. a n.* 11. *p.* 50.

Etiam imperfectiſſimè figurati, ſunt conditionatè baptizandi, ſi moveantur. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 1. *p* 36.

Phaſeolo, vel grano hordeaceo minores, etiam ſine ullo motu ſunt conditionatè baptizandi, niſi ſint conquiſi, vel corrupti, & quare. *Ib. p.* 37. & *l.* 3. *c.* 18. *a n.* 4. *p.* 186. & *l.* 4. *c.* 6. §. 4. *n.* 5. *p.* 233.

Ex omni penè Graviditatis die aſſervantur a Bianchio *l.* 1. *c.* 11. *a n.* 6. *p.* 41. & *ſeqq.*

Sæpe in neceſſitate a Parentibus baptizandi, ſi deſint Miniſtri Eccleſiæ. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 1. *p.* 46.

Completi vitalis motus indicium dantes, ſunt abſolutè baptizandi. *Ib. n.* 2. *p.* 47. & *l.* 4. *c.* 6. §. 4. *n.* 5. *p.* 232.

Nullum vitæ ſignum dantes ſunt conditionatè baptizandi, ſi non ſunt corrupti, vel conquiſi. *Ib.*

Abortivi invalidè baptizati exemplum. *l.* 1. *c.* 12 *n.* 1. *p.* 46.

Abortivus ad magnitudinem Apis motum vitalem præbens, abſolutè baptizatus, & in Eccleſia ſepultus Monteregali. *Ib. n.* 2. *p.* 47.

Alter Cammari molem habens, poſt diem naturalem vivus inventus, Panormi baptizatur. *Ib.*

Alius aëri frigido in feneſtra expoſitus, poſt ſeptem horas vivus, Panormi in Parochia baptizatur. *Ib. n.* 3.

Duo Gemelli, unus putreſcens, alter viſus mortuus: qui deinde per cordis motum vivus agnitus, Catanæ baptizatur. *Ib. p.* 48.

Abortivi minimi quomodo baptizandi. *Ib. n.* 8. & 9. *p.* 49. & 50.

Digitized by Google

Deformes, & Monſtroſi non ſunt occidendi poſt Baptiſmum. *Ib. c.* 13. *n.* 10. *p.* 50.
In abortivis baptizandis triplex aliquando conditio apponenda, & quæ. *Ib. n.* 15. *p.* 51.
In eorum Baptiſmo conditio *ſi es capax* plura reſpicere poteſt, & quæ. *Ib.*
Ipſis ſtudioſè favit Religio Clericorum Regularium Matris Dei, & Benedictus Plazza Societ. Jeſu. *Ib. n.* 16. *p.* 51.
Ætatis quadraginta dierum, viventes ſeſe oſtendunt. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 5. *p.* 77.
Quamplures mortui vitæ reſtituti ſunt precibus Sanctorum Virorum, ut baptizarentur, & qui. *Ib. c.* 13. *n.* 1. *p.* 97.
Abortivorum quamplurium reſurrectiones fuere Muliercularum inventa ad eos baptizandos. *Ib. p.* 96.
Omnes regulariter domi baptizantur, & quare. *l.* 4. *c.* 6. §. 2. *n.* 8. *p.* 231.
Secundinis involuti ſub conditione baptizantur: ſciſſis deinde Secundinis, iterum ſub dupliei conditione baptizandi, & quare. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 8. *p.* 49. & *l.* 4. *c.* 6. §. 4. *n.* 6. *p.* 233.
Minimi facilùs in Paterà aquæ plenà baptizantur. *utrobiq;*
Non licet eos fingere vivos, ut baptizentur. *l.* 4. *c.* 6. §. 8. *n.* 20. *p.* 236.

ABLUTIO.

In Baptiſmate fit in capite, ita ut aqua carnem tangat. *l.* 4. *c.* 6. §. 5. *n.* 2. *p.* 234.

ABSORPTI.

Pelago per octo dies, defectu alimenti non neceſſariò moriuntur. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 8. *p.* 201.

ABSURDA.

Et mala, quæ ſequuntur ex inediâ, habita de Projectis. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 3. & 5. *p.* 219.

ADULTI.

In eis Aſphixia rara non eſt. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 1. *p.* 172.
Nonnulli ſeptuaginta duas horas in Aſphixiâ manſerunt vivi. *Ib. c.* 14. *n.* 4. *p.* 178.

Et Infantes in dubio an ſint mortui, debent conditionatè abſolvi, aut baptizari, & quare. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 2. & 3. *p.* 194. & 195.
In quampluribus perfectæ ætatis repertum eſt Foramen Ovale apertum, itemque Tubus Arterialis. *Ib. c.* 21. *n.* 7. *p.* 201.

A E R.

Seu Aether in utero receptus Fœtui communicatur, & quomodo. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 15. *p.* 89.
Seſe inſinuat in placentam, & amnium. *n.* 16. *p.* 90.
Ad quos rareſactionis gradus pervenire poſſit? *Ib.*
Non deeſt utero, & amnio ad Fœtus reſpirationem ſufficiens. *Ib.*
Calidus, ideſt Halitus humanus quomodo juvet Submerſos. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 15. *p.* 205.

Æ G R I.

A Syncope redeuntes cur mirabilia ſe vidiſſe narrent. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 5. *p.* 170.

AFFINITAS.

Spiritualis an contrahatur a Conjugibus in neceſſitate baptizandi. *l.* 4. *c.* 6. §. 1. *p.* 231.

BEATUS ALBERTUS M.

Docuit Nonnatos poſſe à Deo emundari ab Originali ſine Baptiſmo. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 3. *p.* 151.

ALLEGORIA.

Et ſimilitudo inter duo, non oportet ut in omnibus ſubſiſtat. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 14. *p.* 144. & 145.

ALLENTOYDES.

Seu Saccus, an detur in Fœtu humano. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 2. *p.* 85.

A M O R.

Maternus, niſi ab infamia, aut mortis metu compulſus, Filios exponi non ſinit. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 18. *p.* 222.

AMNIOS.

Et Chorion, quomodo ſcindantur in extrema neceſſitate. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 1. *p.* 139.
Am-

Amnii liquor. *l.* 2. *c.* 12. *a n.* 1. *p.* 92.

ANGELUS.

Cuſtos Infantis in utero. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 3. *p.* 2.

ANGUSTIA.

Naturalis vaginæ uteri, vel Calloſitas, Ulcus, vel Tumor ejuſdem, an requirat Partum Cæſareum. *l.* 3. *c.* 4. *a n.* 8. *ad* 13. *p.* 130. & 131.

ANIMA.

Veteres dubitarunt utrum ea creetur ex nihilo, an producatur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6. *p.* 17.

De ejus origine quid ſenſerit Manes, Pithagorici, Rabbini, S. Auguſtinus. *Ib. a n.* 7. *p.* 17. & 18.

Non eſt corpore antiquior. *c.* 6. *n.* 14. *p.* 22.

Eam ex nihilo creari hodie certum, incertum tamen tempus creationis, *c.* 5. *n.* 11. *p.* 18. & *c.* 11. *n.* 27. & 28. *p.* 46. & *l.* 4. *c.* 6. §. 4. *n.* 5. *p.* 232.

Infunditur corpori in utero exiſtenti, *l.* 1. *c.* 7. *n.* 1. *p.* 24.

Eà carere Fœtum, dum in utero exiſtit, voluit Joannes Marcus, & refellitur. *Ib. n.* 2.

Ariſtotelicum inventum Animarum ſibi ſuccedentium a recentioribus ipſis Peripateticis rejicitur. *Ib. n.* 7. & 8. *p.* 26. & 27.

Creari Fœtu perfecto, an ſit in Canonico jure deciſum. *c.* 9. *p.* 33. *per tot.*

Eam ex traduce propagari Aſſerentes, dummodo ſpiritualem, & immortalem admittant; non ſunt Hæretici. *c.* 5. *n.* 10. *p.* 18.

In Nonnatis Spirituum animalium miniſterio poteſt motum ſanguinis continuare. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 21. *p.* 91.

Quandonam contrahat peccatum Originale ex S. Auguſtino. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 7. & 8. *p.* 141. & 142.

Vide Animatio.

ANIMATIO.

Ariſtoteles eam fieri aſſerens toto Embryone perfecto ab Aliis impugnatur. *l.* 1. *c.* 7. *a n.* 3. *p.* 24 *ad fin.*

Diverſitas inter Maſculi, & Fœmellæ animationem quo ad tempus, refellitur. *Ib. n.* 6. *p.* 26.

Secundùm Ficnum, & Alios ſit perfectis principalioribus organis tertio die. *c.* 8. *n.* 1. & 2. *p.* 27. & 28.

Opinio Hippocratis. *Ib. a n.* 2.

Gaſſendi. *Ib. a n.* 7. *p.* 30.

Galeni *Ib. n.* 17. *p.* 32.

Zacchias latè probat fieri immediatè poſt conceptum. *Ib. a n.* 9. *p.* 30.

B. Mariæ Virginis, & S. Joannis Baptiſtæ. *Ib. n.* 10. & 11. *p.* 30 & 31.

Opinio Ss. Baſilii, Niſſeni, Cyrilli, Gelaſii, & Cæſarii: itemque Caſſiodori. *Ib. a n.* 13. *p.* 31. & 32.

Zacchiæ ſententia Medicis accepta. *c.* 5. *a n.* 1. *p.* 15. & 16.

Aliud eſt inveſtigare animationis tempus ad baptizandum Fœtum, aliud ad puniendos Abortus. *c.* 9. *n.* 8. *p.* 36.

Zacchiæ ſententia valde placet Recentioribus. *c.* 11. *a n.* 25. *p.* 45. & *c.* 12. *n.* 15. *p.* 51.

Hodie crevit probabilitate, & quare. *c.* 11. *a n.* 21. *p.* 43.

Non tamen eſt certa, ſed veritas in hac materia ſoli Deo, ac Spiritibus reſervatur. *c.* 10. *n.* 1. *p.* 37. & *c.* 11. *n* 27. & 28. *p.* 46. & *l.* 4. *c.* 6. §. 4. *n.* 5. *p.* 232.

Vide Anima.

ANIMALIA.

Et Piſces reſpirant. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 5. *p.* 86.

Eorum plurima ſub aquis viva perſeverant, licet aëris reſpirationi aſſueta, & quæ. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 1. & 2. *p.* 199. & 200.

AMPHIBIA.

In Aquis, & in Terra commodiſſimè vivunt, & quare. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 4. *p.* 201.

ANSELMUS.

La Pegna Epiſcopus Agrigentinus Partum Cæſareum protexit. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 3. *p.* 82.

ANTIPODAS.

Non dari fuit veterum Opinio. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 7. *p.* 153.

AQUA.

AQUA.

Luſtralis non danda a Parocho Gravidæ defunctæ non inciſæ. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 2. *p.* 102.

Ejus ſorbitio Submerſis, non poteſt eſſe cauſa mortis. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 3. *p.* 203.

Submerſus ab ea ereptus, ubi collocandus. *Ib. n.* 6.

Artificialis adhibenda in neceſſitate ad Baptiſmum, ſi deficit naturalis, cum formâ tamen conditionata. *l.* 4. *c.* 6. §. 5. *n.* 1. *p.* 233.

ARBORES.

Et Plantæ Hyeme ſiccantur; Vere reviviſcunt, & quare. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 6. *p.* 171.

ARCHIEPISCOPUS.

Panormitanus quid ſuo Edicto ſtatuit in ſua Diœceſi pro Partu Cæſareo *App. Mon.* 7. *p.* 266. *&* 267.

Monregalenſis idem edicit in ſuo. *Ann.* 1. *n.* 7. *p.* 284.

ASPHIXIA.

Quid ſit, & qui ejus effectus. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 8. *p.* 166.

Eâ detenti in medio inter vitam, & mortem conſiſtunt. *Ib. n.* 9. *p.* 167.

In eâ ſi diutiùs durant, moriuntur, & quare. *Ib.*

Eâ correpti, quando poſſunt ad motum vitalem revocari. *Ib. n.* 10.

Tres habet gradus, & quos. *Ib. n.* 12.

In ſecundo ejus gradu, quamplurimi Naſcentes moriuntur. *Ib. p.* 167. *&* 168.

Eâ proſtrati, cur non moriuntur ſtatim. *Ib. c.* 11. *n.* 1. *&* 2. *p.* 168. *&* 169.

Vivunt, quouſque inſenſibilis Sanguinis Circulatio durat, & quare. *Ib. n.* 3. *&* 4. *p.* 169.

Sufficit iis ad conſervandam, vel reſtaurandam vitam motus inteſtinus Sanguinis. *Ib. n.* 5. *p.* 170.

Rara non eſt in ipſis Adultis. *Ib. c.* 12. *n.* 2. *p.* 172.

Eâ fortaſſe detenti poſt horas ſeptuaginta duas ſepeliendi. *Ib.*

In Naſcentibus ex labore naſcendi, etiam in Partu faciliori, eſt obvia. *Ib. a n.* 3. *p.* 172. *ad fin.* 173. *&* 174.

In eam potiùs cadunt Parvuli, quam in mortem. *Ib. n.* 14. *p.* 174. *& c.* 14. *a n.* 1. *ad* 3. *p.* 177.

Aliæ cauſæ Aſphixiæ in Fœtibus quæ? *c.* 13. *per tot. p.* 175.

Faciliùs Adultos, & Natos perimit, quam Nonnatos, & quare. *Ib. c.* 14. *n.* 4. 5. *&* 6. *p.* 178.

ASTROLOGI.

Quid ſentiant de tempore animationis Fœtus. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 1. *p.* 24.

AUCTORES.

Inſignes docent humanum Embryonem animari primis à Conceptione diebus. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 7. *p.* 6. *& c.* 8. *a n.* 1. *ad* 8. *p.* 27.

vide Animatio.

S. AUGUSTINUS.

Ejus opinio circa originem Animæ. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 9. *p.* 18. *& c.* 9. *n.* 4. *p.* 34.

Non eſt Auctor Libri Quæſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 4. *p.* 34.

Nec Librorum de Spiritu, & Animâ, & de Eccleſiaſticis Dogmatibus. *Ib. n.* 5. *p.* 35.

An reprobet Baptiſmum Fœtus in utero. *l.* 3. *c.* 7. *à n.* 1. *ad* 3. *p.* 146. *&* 147.

Non ſemper eum ſequi tenemur. *Ib n.* 10. *&* 11. *p.* 149.

Ejus tempore Pelagiani docebant, Nonnato prodeſſe Baptiſmum, ſi Matri adminiſtretur. *Ib. n.* 4. *p.* 147.

Explicatur ubi dicit: *Qui natus non fuit renaſci non poteſt*. *Ib. a n.* 6. *p.* 148.

Docet, Nonnatos non eſſe partem Matris phyſicam, ſed ab ea diſtinctos, & per ſe baptizandos. *Ib. n.* 9. *&* 10. *p.* 149.

Verbum *Renatus* refert ad Nativitatem ex utero: ſed hoc non proponit ut Dogma Eccleſiæ, ſed ut probabile argumentum. *Ib. n.* 11. *p.* 149. *&* 150.

S. Joannis Textum de ſola Nativitate in utero, ſeù de ſimplici generatione, aliquando interpretatur. *Ib. n.* 13.

Non docuit, Baptiſmum Nonnati, qui in ſeipſo lavari poſſit in utero, eſſe nullum. *Ib. n.* 15. *&* 16. *p.* 150.

 Quo-

Ex S. Auguſtino quandoque Malorum Filii, non verò Bonorum, perveniunt ad Baptiſmum: & quid ad hoc dicendum. *l. 4. c. 1. n. 6. & 7. p.* 209.

AUXILIUM.

Præſtandum ab Obſtetrice Gravidæ in fine vitæ conſtitutæ. *l. 2. c. 2. n. 2. p* 59.

Dubium potiùs, quam nullum, adhibendum eſt Homini in neceſſitate poſito. *l. 3. c. 18. n. 4. p.* 186.

Quod præſtandum Submerſis, & quanto tempore. *Ib. c. 22. à n. 2. ad fin. a p. 202. ad* 206.

Sufficiens ad Æternam Nonnatorum Salutem ubi creditur a Deo præparatum. *l. 4. c. 1. n. 5. p.* 208.

B

BALNEUM.

Quale applicandum Pueris veluti mortuis natis, ut ad ſe redeant. *l. 3. c. 16 n. 4 p* 183.

Et Submerſis *l. 3. c. 22. n. 8. p.* 204.

BAPTISMUS.

Quibus Abortivis dandus. *l. 1. c. 10. per tot. p.* 36.

A Rituali Romano non præſcribitur dandus, nec negandus Abortivis minimis. *Ib. n.* 5.

Id oſtendit Florentinius. *Ib. n. 5. & 6. p.* 39.

Eſt abſolutè conferendus Abortivis completis, ac ſeſe moventibus. *Ib. c. 12. n. 2. p.* 47.

Conditionatè dandus eiſdem non corruptis nullum vitæ ſignum dantibus, & quare. *Ib.*

Item Abortivis incompletis, & quare. *Ib.*

Et aliquando ſub triplici conditione, & qua. *Ib. n. 15. p* 51.

Dandus Puero periclitanti, etiam cum periculo propriæ Animæ, vel corporis, & quare. *l. 2. c. 16. n. 5. & 6. p.* 104. & 105.

Pueri in utero non caret dubio probabili. *l. 3. c. 6. n. 3. p.* 140.

Eum eſſe validum qui ſenſerint, & quare. *Ib. n. 4. 5. &* 6.

Cur dicatur ſecunda Nativitas *Ib. c. 6. a n. 10. p. 142. 143. 144. & c. 7. n. 6. ad 13. p. 148. ad* 150.

Cur vocetur etiam Regeneratio. *Ib. n. 10. & 11. p.* 143.

Collatus Puero in utero ſemper eſt ſecunda Nativitas. *Ib. n. 12. & 13. p. 143. &* 144.

Regulariter non dandus niſi Natis, & quare. *Ib.*

Collatus Matri non prodeſt Fœtui. *Ib. c. 7. n. 4. p. 146. & per tot.*

Confertur ex Romano Rituali Puero in manu, vel pede ex utero egreſſo. *Ib. n. 17. p.* 145.

Baptiſmi Flaminis, & Sanguinis eſt capax Fœtus in utero, ergo etiam Fluminis. *Ib. n. 18 & 19. p.* 146.

Collatus ei, qui phyſicè lavari poteſt ex doctrina Scoti validus. *l. 3. c. 8. n. 6. p.* 153.

Dandus Nonnato periclitanti conditionatè, & ſub gravi culpa. *Ib n. 10 p. 154. & n 17. p.* 157.

Ut validè miniſtretur, ſufficit Puerum phyſicè lavari. *Ib. n. 10 p.* 154.

Etiam ſub unica ablutione. *Ib n. 17. p.* 157.

Collatus in utero per Syphunculum, an validus *Ib. n.* 16.

Collatus Nonnato Secundinis involuto an validus. *Ib. n. 18. p. 157. &* 158.

Secundinis ruptis eſt iterandus, & quomodo. *l. 4. c. 6. §. 4. n. 2. p.* 232.

An dandus Pueris ex Muliere, & Dæmone incubo natis. *l. 3. c. 9. n. 9. p.* 160.

Non datur Natis omni figura humana deſtitutis. *Ib. n. 12. p.* 161.

Dandus eſt Parvulis naſcentibus ubi viget ſuſpicio deliquii. *l. 1. c. 12. a n. 4. p. 48. & l. 2 c. 4. n. 5. p. 71. & latiſſimè l. 3. c. 17. & 18. a pag. 184. ad 195. & l. 4. c. 6. §. 4. n. 9. & 11. p. 232. &* 233.

Actum proprium ſubjecti non requirit in Parvulis. *l. 3. c. 19. n. 3. p* 195.

Reviviſcentium. *l. 3. c. 23.* in Addit. poſt Indic.

Semper ſub conditione dandus Expoſitis, etiam cum Schedula inventis, & quare. *l. 4. c. 4. n. 16. p.* 222.

De Perſona baptizatura. *l. 4. c. 6. §. 1. p.* 230.

A quocumque collatus eſt validus, *Ib. n. 2. §. 1. p.* 230.

In neceſſitate Patrinos non requirit. *Ib. p.* 231.

Quando conferendus domi ab Obſtetrice. *l. 4. c. 6. §. 2. p. 231. &* 232.

Ba-

Baptizantis intentio qualis eſſe debet : *Ib.* §. 3. *p.* 232.
De perſona baptizanda, & præſertim Abortivis. *Ib.* §. 4. *p.* 232.
Ejus materia quæ. *Ib.* §. 5. *n.* 1. *p.* 233.
In neceſſitate ſi deficit aqua naturalis, confertur cum artificiali, & formà, conditionata. *Ib.*
Quæ ejus forma. *Ib.* §. 6. *p.* 234.
De formæ applicatione ad materiam. *Ib.* §. 7. *p.* 234.
Varia de Baptiſmo. *Ib.* §. 8. *n.* XI. XV. XVIII. & XX.
Cum domi confertur, etſi a Sacerdote, ejus validitas eſt diligenter inquirenda. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 1. & 2. *p.* 237.
Conditionatus tempore ſextæ Synodi non videtur fuiſſe in uſu. *Ib.* *n.* 3. & 4.
Collatus ab Obſtetrice Pleriſque ſemper eſt ſuſpectus. *Ib.* *n.* 7. *p.* 238. & *n.* 9. *p.* 239.
Collatus domi an reiterandus, & quando. *Ib.* *n.* 10. *p.* 240.
Praxis diſcutiendi ejus validitatem. *Ib.* *a n.* 13. *p.* 241. & 242.
Dubius, etiam leviter, eſt iterandus ſub conditione. *Ib.* *n.* 16. *p.* 241.
Vide Baptizare, Baptizandus, Infantes, Nonnati.

BAPTIZARE, BAPTIZANDUS.
Qui neſciunt, ad Conjugium non admittendi. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 1. *p.* 46.
Tenentur in neceſſitate Prolem Parentes, & quando. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 1. *p.* 46.
Abortivi ſunt abſolutè baptizandi, ſi ſint vivi; ſecus conditionatè. *Ib.* *p.* 47.
Puer ex utero per Inciſionem extractus quomodo baptizandus, & fovendus. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 4. *p.* 71.
Quando baptizanda Monſtra ex Muliere orta. *Ib.* *n.* 5. & *l.* 3. *c.* 9. *per tot.* *p.* 158. *vide* Monſtrum.
An baptizanda Bruta ex Muliere nata. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 5. *p.* 159.
Conditionatè baptizandi ſunt Naſcentes Semihomines, & Semibruta, & quare. *Ib.* & *n.* 6. 7. 8. *p.* 159. & 160.
Neminem baptizare ſinant Parochi ſine ſua, aut ſuorum Comminiſtrorum adſiſtentia, & quare. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 19. *p.* 242.

BARBITONSORES.
Venam Prægnantibus incidentes ſine Medici præſcripto, peccant. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 10. *p.* 7.
Et Obſtetrices debent à Chirurgis Partum Cæſareum addiſcere, & quare. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 9. *p.* 55.
A Sicula Pragmatica obligantur ad præſtandum Partum Cæſareum, ſecus puniuntur. *App. Mon.* 4. *p.* 256.
Officium in Sicilia non exercent, niſi Partum Cæſareum Defunctarum facere ſciant. *App. Mon.* 5. *n.* 1. *p.* 261.
Pragmaticæ non obtemperantes officio privantur. *Ib.* *n.* VII. *p.* 263.

S. BASILIUS M.
Pœnis Canonicis addixit Abortum omnem Procurantes. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 7. *p.* 6.
Diſtinctionem Fœtus animati, & inanimis non admiſit. *Ib.* *c.* 8. *n.* 13. *p.* 31.

BELLUA. BRUTUM.
In Mulieris utero generari poteſt, & quomodo. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 5. *p.* 159.
Egreſſum à Fœmina an baptizandum. *Ib.*
Bruta dicuntur aliquando ex Homine, concepiſſe, vel cum Muliere generaſſe. *Ib.* *n.* 5. & 6. *p.* 158. & 159.
Monſtrum ex Homine, & Vacca natum, & baptizatum. *Ib.*
Tritones, & Syrenes an baptizandi. *Ib.* *n.* 8. *p.* 160.
Nati ex Syrene, & Homine an baptizandi. *Ib.*

BENEDICTIO.
Prægnantium pro felici Partu. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 3. *p.* 217.
Ejus ſormula à S. Carolo edita. *App. Mon.* 1. *p.* 251.

BENEDICTUS XIV.
Baptiſmum conditionatum Nonnatorum admittit. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 10. *p.* 154.

BIANCHI JOANNES BAPTISTA.
Partum Cæſareum viventis impugnans refellitur. *l.* 3. *c.* 2. *per tot.* *p.* 120.

S. BIRGITTA.
Ejus Mater Naufragium evaſit in gratiam Fœtus, Birgittæ nimirum Nonnatæ. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 1. *p.* 216.

S. BONAVENTURA.
Cur docuit Baptiſmum non eſſe Nonna-

natorum. *l* 3. *c*. 8. *n*. 5. *p*. 152.

BRASILIA.

Ejus Incolæ diu ſub aquis degunt. *l*. 3. *c*. 21. *n*. 2. *p*. 200.

BRUHIERIUS.

Et Winslovius docent ſolam putrefactionem eſſe mortis indubitabile ſignum. *l*. 2. *c*. 3. *n*. 1. *p*. 65.

Exempla vivorum ſepultorum, quæ refert, explicantur. *Ib*. *n*. 2. 3. & 4. *p*. 66.

Ejus liber à quibus impugnatur. *Ib*. *n*. 6.

Non docuit Partum Cæſareum differendum uſque ad putrefactionem Prægnantis: imo illi favet. *Ib*. *n*. 10.

Optat ut in Partubus deſperatis fiat Inciſio Cæſarea, vivente Matre. *Ib*. *p*. 69.

Reprehendit tres Errores, & quos. *Ib*. *n*. 11.

Quædam ab eo præſcripta Parochi ſervari curent in Parochia. *Ib*.

B U L L A.

Innocentii XI. damnat dicentes licitum Abortum Fœtus inanimati. *l*. 1. *c*. 2. *n*. 6. *p*. 5.

Xiſti V. Excommunicationi Summo Pontifici reſervatæ ſubjieit Procurantes Abortum Fœtus animati, & inanimis, præter alias pœnas. *Ib*.

Gregorii XIV. Excommunicationem ad ſolum Abortum animatum reſtrinxit, & Caſum Epiſcopalem fecit. *Ib*. *p*. 6.

Cum hæ Bullæ prodirent. Medici, & Philoſophi erant Ariſtotelici. *Ib*. *c*. 9. *n*. 7. *p*. 36.

Xiſti V. videtur ſequi opinionem S. Baſilii, & Zacchiæ. *Ib*. *n*. 3. *p*. 36.

C

C A D A V E R.

NOn liceret ad Anatomiam incidere, nec ſepelire, ſi ejus putrefactio eſſet expectanda. *l*. 2. *c*. 3. *n*. 7. *p*. 67.

CAJETANI CARDINALIS.

Opinio de Pueris ſola fide Parentum ſalvandis ſine Baptiſmo, non eſt eadem cum illa Gerſonii. *l*. 4. *c*. 2. *n*. 5. 6. & 7. *p*. 214. & 215.

C A N I S.

Prægnans reddita exanguis per venarum ſectionem, & mortua: cujus Catuli extracti ſunt vivi, & ſanguine abundantes. *l*. 2. *c*. 11. *n*. 22. *p*. 92.

C A N O N.

Non eſt Capitulum *Moyſes*, & quare. *l*. 1. *c*. 9. *n*. 2. *p*. 33.

Pœnitentialis Gregorii III. quomodo punit Abortus involuntarios. *l*. 4. *c*. 1. *n*. 10. *p*. 212.

Quam pœnitentiam imponit Pueros opprimentibus. *l*. 4. *c*. 6. §. 8. *n*. XXIX. *p*. 236.

Canoniſtæ. *vide* Theologi.

C A R N I F E X.

Magiſtratus cogit qui Carnificis officium ſuppleat, quod olim Nobiles non dedignabantur. *l*. 2. *c*. 16. *n*. 1. *p*. 103.

S. CAROLUS BORROMEUS.

Et plures Synodi jubent Partum Cæſareum Defunctarum. *l*. 2. *c*. 1. *n*. 3. *p*. 53. & 54.

Præcipit Gravidæ Benedictionem recipere Sacerdotis, & quando. *l*. 4. *c*. 3. *n*. 3. *p*. 217.

Ac ante, & poſt Partum Sacramenta Pœnitentiæ. & Euchariſtiæ. *Ib*.

Decrevit ne Obſtetrices proprio munere fungantur, niſi examinatæ de Baptiſmo ritè conferendo. *l*. 4. *c*. 6. *n*. 2. *p*. 230.

Parum fidebat Obſtetricibus in Miniſtratione Baptiſmi. *Ib*. *c*. 7. *n*. 8. *p*. 239.

Mulieris Gravidæ Benedictionem ordinavit. *l*. 4. *c*. 3. *n*. 3. *p*. 217. *App*. *Mon*. 1. *p*. 251.

CAROLUS III. Siciliæ Rex.

Generalem Projectorum Deputationem in Sicilia erectam confirmavit, aliaque ad rem ſtatuit. *l*. 4. *c*. 4. *n*. 33. *p*. 26.

C H A R I T A S.

Sacerdotum extendenda ad Nonnatos, ne pereant. *l*. 1. *c*. 1. *n*. 2. *p*. 1.

In Parochis jure divino debet eſſe major erga miſerabiles. *Ib*. *n*. 2. *p*. 2.

Niſi ſuccurrat Fœtui, huic mors Matris erit exitialis. *l*. 2. *c*. 1. *n*. 1. *p*. 53.

Urget omnes ut Puerum juvent ad recipiendum Baptiſmum. *Ib*. *n*. 6. *p*. 54.

Obligat quandoque cum periculo ſpirituali, & corporali. *l*. 2. *c*. 16. *a* *n*. 4. *p*. 104.

Et an ad obſtreticandum. *Ib*. *a* *n*. 8. *p*. 105.

An urgeat Sacerdotes ad miniſtranda conditionatè Sacramenta repentè mortuis,

tuis . *l.* 3. *c.* 18. *n.* 6. *&* 7. *p.* 187. *&* *c.* 19. *p.* 188.
S. Vincentii a Paulo erga Projectos . *l.* 4. *c.* 4. *n.* 5. *p.* 219.
S. Franciſci Saleſii erga Nonnatos . *Ib.* *c.* 5. *n.* 1. *p.* 227.
Ejuſdem erga alios Pueros , & Mariam Amedæam de Blonai. *Ib. a n.* 3. *ad fin.* *p.* 228.

C Æ S A R E S.

An dicti a Partu Cæſareo. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 4. *p.* 54.

C Æ S O N E S.

Soliti à Deo protegi. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 4. *p.* 54.
Sunt capaces hæreditatis , & Legati , & quando . *Ib.* *c.* 7. *n.* 4. *p.* 77.
Debent ad hoc in Hiſpania eſſe baptizati, & ſupervivere viginti quatuor horas . *Ib.* *&* *l.* 3. *c.* 4. *n.* 44. *p.* 135.
Gemelli æquali portione hæreditati ſuccedunt . *Ib.* *n.* 43. *p.* 135.
Uni ex Gemellis a Patre prædilecto hæreditas indiviſibilis eſt conferenda. *Ib.* *n.* 44. *p.* 135.

CHIRURGUS.

Non peccat extrahens in Partu difficili Fœtum cum aliquo ejus periculo . *l.* 1. *c.* 3. *n.* 5. *p.* 9.
Advocandus à Parocho , ut Gravidæ moribundæ aſſiſtat . *l.* 2 *c.* 1. *n.* 9. *p.* 55.
Sed in vicino cubiculo . *Ib* *c.* 2. *n.* 1. *p.* 58.
Tenetur Partum Cæſareum adminiſtrare , etiam ſine ſpe mercedis , & cum dubio vitæ Fœtus , etiam pro Filio Inimici . *Ib.* *c.* 1. *n.* 10. *p.* 56.
Peccat , ſi ob humanum finem id præſtare recuſet . *Ib.*
Ante Defunctæ ſectionem per lectum inquirat , an Fœtus fortè ſit natus . *l.* 2 *c.* 2. *n.* 2. *p* 58.
Ante ſectionem manu tentet num Fœtus ſit proximus ventris peripheriæ , & quare . *Ib.* *c.* 4. *n.* 1. *p.* 69.
Ad inciſionem quo ferro utatur . *Ib.*
A qua parte inciſionem incipiat , & cujus profunditatis faciat . *Ib.* *p.* 70.
Curet ne veſicam pro utero ſecet. *Ib.* *n.* 2.
Non inveniens in utero Fœtum , ubi quærat . *Ib.* *n.* 7. *p.* 71.
Si Molam pro Fœtu inveniat , eam ſecet , & quare . *Ib.* *n.* 8. *p.* 77.
Si recuſat incidere , cogitur . *Ib.* *c.* 15. *n.* 2. *p.* 102.
Imperitus Parturienti nocet , & eſt puniendus , *Ib.* *n.* 4. *p.* 103.
Peccat , ſi in neceſſitate nolit curare verenda Mulieris , vel obſtreticari ob periculum peccati. *Ib.* *c.* 16. *n.* 6 *p.* 105.
In partu difficili quibus inſtrumentis utitur . *l.* 3. *c.* 1. *n.* 3. *&* 4. *p.* 114. *&* 115.
Tenetur ubi expedit Partus Cœſareus in vivente , congruo tempore illum proponere , & exequi : & artis ſuæ libros habere & inſtrumenta , & quæ. *l.* 3. *c.* 5. *a n.* 6. *ad fin.* *p.* 137. *& ſeq.* *&* *in App. Mon.* 5. *n.* 5. *p.* 263.

CHIRURGIA.

Præter Cœſareum viventium Partum , graviores alias habet inciſiones , & valde periculoſas, non tamen inſuperabiles , & quas . *l.* 3. *c.* 2. *a n.* 18. *p.* 126.

CHRISTUS.

Diligit Nonnatos amore benevolentiæ . *l.* 1. *c.* 1. *n.* 2. *p.* 2.
Ejus præceptum ponendi vitam pro Proximo , urget matrem pro quærenda vita ſpirituali Fœtus. *Ib.* *c.* 3. *n.* 6. *p.* 10.
Ejus verba : *Niſi quis renatus fuerit denuò* quomodo intelligenda . *l.* 3. *c.* 6. *n* 7. *p.* 141. *& a n.* 9. *p.* 142.
Ejus Diſcipuli fieri poſſunt , qui nihil habent , quod renuntient . *Ib.* *c.* 6. *n.* 14. *p.* 144.
Onus ab Eo Animarum Paſtoribus impoſitum, quàm formidandum . *l.* 4. *c.* 8. *n* 8. *p.* 248.

CHORION.

Inter , & Amnium efformatur Embryo . *l.* 2. *c.* 11. *n.* 2. *p.* 85.
Ipſi adnaſcitur Placenta , & quæ ſit . *Ib.*
In ipſum quomodo diffunditur Subſtantia lactiginoſa . *Ib.* *c.* 12. *n.* 3. *p.* 93.
Quomodo cum Amnio ſcindatur . *l.* 3. *c.* 6. *n.* 1. *p.* 138.

CIRCULATIO SANGUINIS.

In Nonnatis non indiget reſpiratione ; & quare . *l.* 2. *c.* 11. *n.* 3. *p.* 85.
Ueteribus ignota , & a quo inventa , & promulgata . *Ib.* *n.* 4. *p.* 86.
Quomodo , & quibus viis completur in humano corpore . *Ib* *n.* 6.
In Nonnatis quomodo fiat . *Ibidem* *a n.*

a n. 7. ad 10. p. 87.

Opiniones Mery atque Winſlovii de circulatione in Nonnatis. Ib. n. 11. p. 88. & 89.

Circulatio perſeverare poteſt quieſcente corde, & quare. l. 3. c. 11. n. 4. p. 169.

In Nonnatis eſt lentior, quam in Natis, & quare. Ib. c. 13. n. 6. & 7. p. 176.

Accedente Spirituum diſſipatione, fit inſenſibilis. Ib. n. 8.

CLYSTERES.

Proſunt Submerſis. l. 2. c. 2. n. 16. p. 64. & l. 3. c. 22. n. 16. p. 205.

Vide Submerſi.

COMITOLUS.

Baptiſmo Nonnatorum contrarius impugnatur. l. 3. c. 8. n. 10. p. 154.

CONCEPTIO.

Ejus impeditio illicita. l. 1. c. 2. n. 2. p. 4. & l. 2. c. 17. n. 1. p. 108.

B.M.V. dicta formalis, celebratur ab Eccleſia. l. 1. c. 8. n. 10. p. 30.

S. Joannis Baptiſtæ cur, & à quibus celebratur. Ib. n. 11.

Fœtus eſt aliquando vitioſa, & quomodo. l. 2. c. 4. n. 7. p. 71. & l. 3. c. 2. per tot p. 120.

Uſque ad diem quadrageſimum eſt dubia. l. 2. c. 8. n. 2. p. 70.

Extra Uterum Partum reddit impoſſibilem. l. 3. c. 2. n 2. p. 120.

Ventralis quotuplex ſit, & quomodo agnoſcitur. Ib. c. 4. n. 19. p 131.

Ventrales conceptus quomodò inter ſe differant, & dignoſcantur. Ib. à n. 22. ad 25. p. 132.

Ventralis an, & quando requirat Partum Cæſareum viventium. Ib. n 27.

Si Ventralis in Pelvi fuerit; Fœtus ad maturitatem non perducitur. Ib. n. 28. p. 133.

CONCILIUM.

Anciranum pœnam pro Abortibus impoſitam temperavit, & quomodo. l. 1. c. 2. n. 8. p 6.

Eliberitanum Adulteram voluntariè abortientem cui pœnæ addixit. Ib.

Africanum cum S. Cypriano quomodo confutavit differentes Baptiſmum ad octavum diem. l. 4. c. 3. n. 2. p. 216.

CONFESSARIUS.

Solerter, & prudenter Puellam, de illicito commercio ſe accuſantem, interroget num ſit Gravida, ut ab Abortu abſterreat, & quomodo. l. 1. c. 2. n. 13. p. 8.

Idem faciat cum Infirma, ad mortem ægrotante, quam obliget ad manifeſtandam Prægnationem extra Confeſſionem pro caſu mortis, & quare. Secus non abſolvat. l. 2. c. 1. n. 7. & 8. p. 54.

Vide Parochus.

CONGREGATIO.

Indicis Romana quid ſenſerit de Libro Hieronymi Florentinii. l. 1. c. 10. n. 3. p. 38.

Doctrinæ Chriſtianæ in Siciliæ etiam Pueros docet Baptiſmi ritum. Ib. c. 12. n. 1. p. 46.

Filiarum Crucis, & Sacræ Familiæ à quibus inſtitutæ. l. 4. c. 5. n. 5. p. 228.

CONJUGES.

Ad quid tenentur, ne ſequantur Abortus. l. 1. c. 1. n. 4. p. 2.

Eorum Culpas in ſtatus electione, & in uſu Conjugii commiſſas, quomodo punit Deus. l. 4. c. 2. n. 8. p. 209.

Matrimonium non celebrent, niſi Confeſſi, & S. Euchariſtia refecti. Ib.

Quæ inter ipſos licita ſint, vel illicita erudiendi, & quomodo. Ib.

Item de continentia diebus jejuniorum & orationis peramanda. Ib.

Hæc eorum Inſtructio in Rituali, & Miſſali Romano præſcribitur. Ib.

CONVULSIO.

Ejus effectus qui. l. 2. c. 2. n. 12. p. 61. & ſeq.

In quo differat membrorum rigiditas Cadaverica à Convulſiva. Ib.

C O R.

Eo formato Animam infundi probabile eſt. l. 1. c. 11. n. 23. p. 44.

Ad ejus refrigerationem an præcipuè ordinata reſpiratio. l. 2. c. 11. n. 4. p. 86.

Ab Eo ad omnes Corporis partes auctus perfectione Sanguis excurrit. Ib. n. 6.

In morbis repentinis, & violentis non ſemper amittit pœnitùs motum. l. 3. c. 11. n. 2. & 3. p. 168. & 169.

Si-

Sine eo nonnullos Fœtus natura ſormavit. *Ib. n.* 4.

CORPUS.

Sine Anima juxta quoſdam ſormari non poteſt. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 22. *p* 44.

A ſanguinis motu progreſſivo irrigatur, & quomodo. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 6. *p.* 86.

Ejus ſenſus extimulandi ubi de Prægnantium aliorumque morte dubitatur, *l.* 2. *c.* 2. *n.* 15. *p.* 63. *&* in dubio mortis Parvuli naſcentis. *l.* 3. *c.* 16. *a n.* 1. *p.* 182. *& l.* 4. *c.* 6. §. 8. *n.* 12. *&* 13. ex errore 14. & in Submerſis quomodo, & quare. *l.* 3. *c.* 22. *a n* 9. *p.* 204.

D

DEFECTUS.

Reſpirationis in Natis eſt Mortis indicium, minimè in Nonnatis, & quare. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 4. *p.* 175.

DEFUNCTUS : DEFUNCTA.

Dæſunctæ Prægnantis *ori* an fiſtula imponenda. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 3. *p.* 59.

An & quando Caramueli, & Feiſoo Deſunctorum mors ex morbo regulari, vel repentino dubia ſit, ut eis poſſit conditionata abſolutio adminiſtrari. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 6. *&* 7. *p.* 187. *&* 188. *& c.* 19 *per tot. à p.* 188. *ad* 193.

DELIQUIUM.

Propter ejus ſuſpicionem Nonnatus non facilè extrahendus eſt inſtrumentis, & quare. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 2. *p.* 129.

Ejus ſpecies quot, & quæ ſint. *Ib. c.* 10. *a n.* 7. *p.* 166.

Ex qua cauſa oritur. *Ib. n.* 11. *p.* 167.

In ipſum faciliùs incurrit homo rarioris, & delicatioris texturæ, & qui mobiliores habet ſpiritus. *Ib.*

Magnum eſt interdum naturæ ipſius remedium, & quomodo. *Ib. n.* 13. *p.* 168.

Eo affecti ſenſum quandoque non amittunt. *Ib. c.* 13. *n.* 9. *p.* 177.

Eo abſorptus potiùs judicandus eſt Parvulus naſcens, quam verè mortuus, & quare. *Ib. c.* 14. *n.* 1. 2. *&* 3. *p.* 177. *&* 178.

DEPUTATIO.

Projectorum expedit ut ubique inſtituatur. & quare. *l.* 4. *c.* 4 *n.* 32. *&* 33. *p.* 226.

Quod ejus munus in *Sicilia*. *Ib.*

Ejus erectio in Sicilia confirmatur a Rege. *Ib.*

DEUS.

Statis temporibus Naturæ Arcana revelat, & quando. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 4. *p.* 16.

Protegit Cæſones, *l.* 2. *c.* 1 *n.* 4. *p.* 54.

Præſervat Matrem in gratiam tenerioris Fœtus. *l.* 2. c. 7. *n.* 2. *p.* 76.

Ejus iræ ſcopus ſit Familia, quæ Partum Cæſareum prohibet. *Ib. c.* 17. *n.* 16. *p.* 111.

Poteſt Nonnatos immediatè juſtificare, ſine Baptiſmo. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 3. *p.* 151. *& l.* 4. *c.* 2. *n.* 1. *p.* 212.

Hoc tamen non pertineret ad viam ordinariam. *Ib.*

Ejus providentia erga irrationabilia, quid indicet. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 1. *p.* 207.

Uult omnes Homines etiam Parvulos fieri ſalvos. *Ib. n.* 2. *p.* 208.

Diſpoſuit media ad ſalutem neceſſaria Parvulis in utero morientibus per Baptiſmum, & quomodo. *Ib. n.* 2. 4. *&* 5. *p.* 208.

Naturales cauſas immutat propter Matris orationes. *Ib. n.* 5. *p.* 208.

Ejus Judicia in electione Parvulorum, non inveſtiganda, & quare. *Ib. n.* 9. *p* 210.

Ejus Juſtitiæ, vel Miſericordię tribuendum, quod Pueri decedant, vel non ſine Baptiſmo. *Ib.*

Exorandus, ut Nonnatos in vita ſervet in Partubus præſertim deſperatis; ut poſtea Nati Baptiſmo donentur. *Ib. c.* 2. *n.* 2. 3. *&* 4. *p.* 213. *& c.* 3. *per tot. p.* 216.

Poteſt per Angelum Nonnatos baptizare: aut rationis uſu illuſtrare, & ſalutaribus actibus juſtificare. *Ib. c.* 2. *n.* 4. *p.* 213.

Reſtituit vitæ Pueros, ut baptizarentur ad preces Parentum, & Aliorum.

Digitized by Google

rum. *Ib.*

Elegit Parentes ut ſuos Miniſtros in Prole procreanda, & ſuæ charitatis adjutores in ejus æterna ſalute procuranda. *Ib. c. 3. n. 4. p. 217.*

Ejus miſericordiam imitantur Principes curam Projectorum habentes. *Ib. c. 4. n. 4. p. 219.*

Ædificavit Domos Obſtetricibus Ægyptiis, & quare. *Ib. c. 6. §. 8. n. 30. p. 237.*

Benedicere ſolet zelum Epiſcoporum pro Animarum æterna ſalute. *Ib. c. 8. n. 3. p. 247.*

D I E S.

Septimus cur Criticus in Morbis; & Vulneribus. *l. 1. c. 8. n. 6. p. 29.*

D O M E S T I C I.

Manifeſtent moribundæ graviditatem pro Partu Cæſareo. *l. 2. c. 1. n. 2. p. 53. & App. Mon. 4. n. 2. p. 256.*

Eorum pœna ſi taceant. *l. 2. c. 1. n. 6. p. 54. & in App. Mon. 4. n. 14. p. 258.*

Partum Cæſareum negligent, & impediunt in Prægnationibus illegitimis. *l. 2. c. 14. a n. 1. p. 99.*

In hoc autem graviſſimè peccant, & alicubi pœnis canonicis, & excommunicationi ſubjiciuntur. *l. 2. c. 15. n. 1. & 2. p. 102. & in Ap. Mon. 7. n. 6. p. 266. & Mon. 8. n. 4. p. 269. & Mon. 9. n. 9. p. 279.*

D U B I U M.

Fœtus dubiè animatus, pro animato à Prægnante habendus. *l. 1. c. 3. n. 7. p. 10.*

In dubio an Monſtrum ſit unus Homo, vel plures, quid agendum. *l. 3. c. 9. a n. 13. p. 161. & l. 4. c. 6. §. 4. n. 4. p. 232.*

De putrefactione particulari in Natis, an dubitandum à quo proveniat. *l. 3. c. 15. a n. 10. p. 181. & c. 17. n. 2. p. 185.*

Quæ Mors dicenda eſt dubia. *Ib. c. 18. n. 3. p. 195.*

E

E C C L E S I A.

Cum lætitiæ ſignis Pueros baptizatos ad Sepulcrum diſtinctum deducit, & quare. *l. 1. c. 1. n. 1. p. 1.*

Cur celebrat Feſtum Conceptionis formalis B. M. V. *Ib. c. 8. n. 10. p. 30.*

Ei certò conſtare debet Baptiſmum fuiſſe rectè, collatum. *l. 4. c. 7. n. 12. p. 241.*

EDICTUM, EDICTA.

Epiſcoporum Siciliæ de Partu Cæſareo pœnas interminantur eum prohibentibus, vel negligentibus. *l. 2. c. 15. n. 1. p. 102. & in App. Mon. 7. n. 6. p. 266. & Mon. 8. n. 4. p. 269. & Mon. 9. n. 1. p. 277. & n. 9. p. 279.*

Seu conſtitutio Friderici Beruſſiæ Regis de erudiendis Obſtetricibus. *l. 4. c. 4. n. 1. p. 218.*

Henrici Regis Galliarum de Vita, & Baptiſmo Puerorum furtivè conceptorum. *Ib. p. 218. & 219.*

Inſtructorium circa Partum Cæſareum, & alia, Epiſcopi conficiant quotannis legendum. *Ib. c. 8. n. 5. p. 247.*

Protomedici Regni Siciliæ quid contineat, quoties, & quando publicatum. *l. 3. c. 1. n. 17. p. 119. & App. Mon. 5. p. 261. & in Annot. p. 264.*

Joſephi Melendez Archiepiſcopi Panormitani. *App. Mon. 7. p. 266.*

Petri Galletti Epiſcopi Catanenſis. *Ib. Mon. 8. p. 268.*

Laurentii Jojenii Epiſcopi Agrigentini. *Ib. Mon. 9. p. 277.*

Jacobi Bonanno Epiſcopi Pactenſis. *Ib. Mon. 10. p. 282.*

Aliorum Epiſcoporum Siciliæ. *Annot. p. 284.*

Ignatii Mariæ Fraganeſchi Epiſcopi Cremonenſis. *Ib. Mon. 11. p. 285.*

S. ELZEARIUS.

Et S. Vincentius Ferrerius Monſtra omni ſpecie carentia in Pueros converterunt. *l. 3. c. 9. n. 12. p. 161.*

E M E T I C A.

Et lunaria tributa cientia Gravidis non præ-

Digitized by Google

præſcribenda. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 5. *p.* 13. *vide* Medicamen.

EMBRYO.

An animetur, cum eſt formatus, & diſtinctus. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 3. & 4. *p.* 24. & 25. & *n.* 5. & 6. *p.* 26.
Ejus menſuræ juxta Ariſtotelem. *Ib. n.* 4.
Juxta Gaſſendum. *n.* 5. *p.* 25.
Ejus augmentum. *Ib.* & *c.* 12. *à n.* 5. *ad* 20. *p.* 41 & *ſeqq.*
Fœmineus non tardiùs maſculino animatur. *c.* 7 *n.* 6. *p.* 26. & *l.* 4. *c.* 6. §. 8. *n.* 4. *p.* 234.
An Ei tres animæ ſucceſſivè adveniant. *c.* 7. *à n.* 7. *p.* 26.
An Animâ Matris informetur ante ſui animationem. *Ib. n.* 8. *p.* 27.
Moveri viſus eſt ſexto die à Conceptu. *Ib. c.* 8. *n.* 3. *p.* 28.
An ubique eodem temporis ſpatio formetur. *Ib. n.* 6. *p.* 29.
Articulatum vidit Gaſſendus die duodecimo à conceptu. *Ib. n.* 7. *p.* 30.
Quomodò contineatur in Ovo Muliebri. *Ib. c.* 11. *n.* 5. *p.* 41.
Creſcit more Arborum. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 5. & 23. *p.* 41. & 42.
Quomodo evadat Punctum Saliens. *Ib. n.* 8. *p.* 42.
Quando adnectatur utero per Placentam. *Ib.*
Quam figuram habeat ſeptimo poſt conceptum die. *Ib. à n.* 9. *ad* 5. *p.* 42. & 45.
Utrum ab initio vegetetur ab Animâ. *n.* 21. *p.* 43.
Motus privatio in Embryone paucorum dierum eſt fallax mortis indicium, & quare. *Ib. c.* 12. *n.* 5. *p.* 48.
Hinc non eſt ei negandus Baptiſmus conditionatus, ſi eſt integer, & à corruptione immunis. *Ib.*
Animatus an ſit ſenſibilis. *Ib.*
Imò poſt Fœcundationem eſt in Ovo ſenſibilis. *Ib.*
Die tertio a conceptu vermis inſtar apparet. *Ib.*
Egredi poteſt vivus per abortum, & aliquandiu conſervari. *Ib. n.* 6. *p.* 48. & 49.
Quò imperfectior eſt, eò diuturniùs vivit. & quare. *Ib. n.* 2.
Quomodo etiam ſine motu baptizatur. *Ib. à n.* 1. *ad* 5. *p.* 47. & *n.* 8. & 9. *p.* 49. & *n.* 5 *p.* 51. & *l.* 4. *c.* 6. §. 4. *p.* 232. & 233.
Quomodo a Mola & ſimilibus diſcernatur. *l.* 1. *c.* 12. *à n.* 11. *p.* 50.
Intra Chorion, & Amnium efformatur. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 2. *p* 85.

EPISCOPUS EPISCOPI.

Siculi quam cenſuram in impedientes, negligentes, vel differentes Partum Cæſareum inflixerunt. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 1. *p.* 102.
Aliique Præſules requirant num Projecti cum ſchedulâ vel ſine illa reperti ſub conditione baptizentur. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 16 *p.* 112.
Negligentes Obſtetricum Examen non benè ſe gerunt. *Ib. c.* 6. *n.* 2. *p* 230.
Et Parochi attentè Baptiſmum examinent ab Obſtetrice collatum, & quare. *Ib. c.* 7. *n.* 9. *p.* 239.
Ipſis a Deo Nonnatorum cura præcipuè commiſſa. *Ib. c.* 8. *n.* 1. *p.* 243.
Eorum cura de Nonnatis in quo conſiſtat. *Ib.*
Quid in viſitatione inquiret à Parochis, & Vicariis. *Ib.* §. 1. *à p.* 243.
Quid præſcribet pro Nonnatis. *Ib.* §. 2. *p.* 245.
Quas Indulgentias ſtatuet cooperantibus Nonnatorum ſaluti. *Ibid. n.* 6. *p.* 245.
Quas pœnas imponet negligentibus vel impedientibus eorum ſalutem. *Ib.* §. 3. *p.* 245.
Suarum ordinationum circa Nonnatos executionem quomodo exiget. *Ib.* §. 4. *p.* 246.
Cum ſæculi Principibus agat pro Nonnatorum, & Projectorum ſalute ſpirituali ſtatuendis legibus procuranda. *Ib.* §. 4. *n.* 1.
Melitenſium circa prægnationes occultas providentia. *l.* 4. *c.* 8. *n.* 4. *p.* 247.
Illegitimis, & Nonnatis ſuccurrere debent, & quomodo. *Ib. n.* 5. *p.* 247.
Nonnatorum curam Aliis etiam committant, & quibus. *Ib. n.* 6. *p.* 248.

EPISTOLA

Encyclica Advocati Fiſcalis Magnæ Regiæ Curiæ Siculæ de promulganda Pragmatica Sicula de Partu Cæſa-

Digitized by Google

ſareo. *App. Mon. 6. p. 265.*
Pars Epiſtolæ Præfecti Generalis Ordinum Clericorum Regularium Infirmis Miniſtrantium de curando Cæſareo Partu. *App. Mon. 12. p. 287.*
Proregis Siciliæ ad Univerſitates de Projectis. *App. Mon. 14. p. 290.*
Ejuſdem pro iiſdem ad Antiſtites. *App. Mon. 15. p. 292.*
Quid dictum ſpecialiter Liparitano, & Mazarienſi. *Ib. Ann. n. 1. p. 292.*
Summa Encyclicæ ejuſdem Proregis ad Viſitatores Univerſitatum pro Projectis. *Ib. n. 2.*
Ejuſdem Chirographus ad Magnum Vice-Tabellarium pro iiſdem. *Ibid. n. 3.*

ETHNICI.
Et Manichæi ut licitos exercebant Abortus voluntarios. *l. 1. c. 2. n. 1. p. 4.*

ERRORES.
In doctrina Generationis a Drelincurtio detecti. *l. 1. c. 5. n. 5. p. 16.*
In forma Baptiſmi familiares Plebi, & Domeſticis Abortientis, & quare. *Ib. c. 12. n. 1. p. 46.*
Tres reprehendit Bruhierius, & quos. *l. 2. c. 3. n. 11. p. 69.*

EXEMPLA.
Abortivorum neglectorum, vel in latrinas projectorum. *l. 1. c. 5. n. 1. p. 15.*
Allegata à Bruhierio explicantur. *l. 2. c. 3. n. 2. & 3. p. 65.*
Fœtuum ſub Omento, vel in veſica urinaria inventorum. *l. 2. c. 4. n. 7. p. 72.*
Fœtuum in mortuo Matris utero viventium. *ib. c. 6. a n. 5. ad 11. p. 73. & 74.*
Fœtuum ſua vi Natorum ex Matre mortua, & ſepulta. *ib. n. 1. per tot, à p. 74. ad 75.*
Fœtuum minimorum Partu Cæſareo extractorum. *ib. c. 7. n. 6. p. 77. & 78.*
Prægnantium graviditatis tempus excedentium. *ib. c. 8. n. 4. p. 79.*
Fœtuum viventium ſine funiculo umbilicali vel eo putrefacto natorum. *ib. c. 12. n. 7. p. 95.*
Redivivorum ad Baptiſmum ſuſcipiendum. *ib. c. 13. a n. 1. p. 96.*
Impedientium Partum Cæſareum in graviditate legitima. *ib. c. 14. n. 2. & 3. p. 100.*
Varia plurium Fœtuum uno Partu natorum. *ib. c. 17. à n. 4. ad 8. p. 109. & 110.*
Varia ſuperfœtationum. *ib. n. 9. & 10. p. 111.*
Prægnantis ſine inciſione ſepultæ. *ib. n. 16. p. 111.*
Inciſionum Cæſarearum Gravidis viventibus. *l. 3. c. 1. n. 13. & 14. p. 118. & 119.*
Partus Cæſarei viventium, ubi Abdomen, & Uterus ſecatur. *ib. c. 3. n. 5. & 6. p. 121. & 122.*
Infantium Syncope affectorum, & Adultorum ſubmerſorum ad vitam revocatorum. *ib. c. 10. n. 1. 2. & 3. p. 163. & 164.*
Puellæ in Sylva inventæ, veluti mortuæ, & ad vitæ uſum redeuntis. *Ib. c. 11. n. 10. p. 172.*
Infantium per annos plurimos in Matrum utero incorruptorum, & in lapidem converſorum. *Ib. c. 12. n. 12. p. 174. & c. 15. n. 5. & 6. pag. 180.*
Submerſorum diu ſub aquis viventium. *ib. c. 20. à p. 195. ad 199.*
Abortivorum, & aliorum Fœtuum, qui putreſcere videbantur; vivi tamen inventi ſunt. *l. 2. c. 13. n. 9. p. 57. & l. 3. c. 15. n. 9. p. 199. & in App. Mon. 16. p. 295.*
Conjugatorum Sanctorum circa caſtitatem. *l. 4. c. 1. n. 8. p. 210.*

EXPERIENTIA.
Ab Hyppocrate facta in Abortivis Meretricum, quæ. *l. 1. c. 8. n. 6. p. 29.*
Viſum eſt Fœtum diu ſupervivere poſt Matris obitum. *l. 2. c. 6. n. 4. p. 73.*
Partum Cæſareum viventium firmavit, & quando. *l. 3. c. 1. n. 12. & 13. p. 118.*
Suſpenſos laqueo interdum ad vitam revocari eo reſecto docuit. *ib. c. 20. n. 17. p. 199.*

EXPOSITI. *vide* Projecti.

F

S. FELICITAS.

UTero gerens, Deum precata ne, ſuum differretur Martyrium infra triduum peperit. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 11. *p.* 57.

FERRUM.

A magnete tactum, ſibi unit cætera ejuſdem ferri fragmenta. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 23. *p.* 44.
Filii ſunt dona Dei. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 24. *p.* 45.

FISCUS.

Regius in Sicilia principaliter agit, ut Violatores Pragmaticæ Sanctionis de Partu Cæſareo, & Abortu juridicè puniantur. *App. Mon.* 4. *p.* 260.
Fiſci Patronus in Sicilia præcipit omnibus Regni officialibus Pragmaticæ, & Edicti Protomedici ſolemnem publicationem, & obſervantiam. *ib. Mon.* 6. *p.* 265.

FLORENTINIUS HIERONYMUS.

Ejus liber de Hominibus dubiis, ſive de Baptiſmo Abortivorum. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 1. *p.* 36.
Ejuſdem approbationes. *n.* 2. *p.* 37.
Et accuſatio. *n.* 3. *p.* 38.
Modificatus permittitur. *Ibid.*
Ejus argumentum a Conceptione B. Virginis deſumptum. *ibid* *n.* 5. *p.* 38.

FLEBOTOMIA.

Et purgatio licitè poſſunt Gravidis præſcribi, & quare. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 3. & 4. *p.* 13.
Prudenter imperatæ Gravidæ indigenti, proſunt, non nocent. *ibid. n.* 4.
Non ſemper inducunt periculum proximum Abortus. *ibid. n.* 2. & 4.

FŒTOR.

In Nonnatis, interdum provenit non ab eorum morte, ſed a ſanguine, & fluidis uteri putrefactis. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 10. *p.* 181.
Vel a Gangræna particulari. *Ib. n.* 11. & 12.

FŒTUS.

An animetur ſtatim poſt conceptionem. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 4. *p.* 9.
Si ſit certo moriturus, an poſſit extrahi chirurgica manu in partu deſperato. *ib. n.* 5.
An in partu difficili poſſit occidi ut Maternæ vitæ aggreſſor. *ibid.*
Ejus vita ſpiritualis præferenda vitæ corporali Matris. *ibid. n.* 6.
Et ſi Matris morbo inficiatur, poteſt tamen ipſi tandiù ſupervivere, donec baptizetur. *ibid n* 8.
Fortè animatur multò ante diem quadrageſimum. *ibid. c.* 5. *n.* 3. *p.* 16.
In quatruplici ſtatu conſideratur in utero. *ibid. c.* 7. *n* 1. *p.* 24.
An animetur ſeptimo die a conceptu. *ibid. c.* 8. *n.* 8. *p.* 30.
Imperfectus non reputatur ut Homo, ſed non inde ſequitur non eſſe revera animatum. *ibid. c.* 9. *n.* 3. *p.* 34.
Morti proximus ante extractionem baptizatur. *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 4. *p.* 76.
Ejus vita quomodo dignoſcatur, & quid in dubio circa Baptiſmum. *ibidem* *n.* 5. *p.* 71.
Putrefactio in eo non confundenda cum Gangrena ipſius viventis, & quomodo. *l.* 7. *c.* 4. *n.* 5. *p.* 71.
Ejus conceptio aliquando vitioſa, & propterea extra uterum ipſe reperitur. *ibid. n.* 7.
Diu ſuperviventes *c.* 5. *per tot. p.* 72.
E mortua Matre nati. *c.* 6. *per totum* *p.* 74.
Minores nono menſe imo & minimæ quoque ætatis vivi reperiuntur. *c.* 7. *per tot. p.* 76.
Immaturi, & ſi non vitales, attamen Baptiſmi ſunt capaces. *ibid. n.* 1.
Extracti ſeptimeſtres quando habeantur pro Natis, & ad ſucceſſiones admittantur. *n.* 4. *p.* 77.
Quinquemeſtres, aut quadrimeſtres quandoque vitales. *n.* 5.
Exempla Fœtuum minimorum qui Partu Cæſareo vivi extracti ſunt. *ibid.* *n.* 5. & 6. *pag.* 77. & 78.
Immaturi citiùs extrahendi, & quare. *ibid. n.* 8.
Utrum incidendæ Prægnantes pro ejus

extractione graviditate incipiente, & quando. c. 8. a n. 1. ad 3. p. 79.
Ejus conceptio eſt dubia uſque ad diem quadrageſimum. ibidem c. 8 n. 2. p. 79.
Ejus locus, & ſitus in utero initio graviditatis incertus. ibid.
Utrum incidendæ Prægnantes ad extrahendum Fœtum longè poſt nonum menſem. ibid. n. 4. p. 80.
Rarò Fœtus in Partu Cæſareo mortuos inveniri. c. 9. n. 1. p. 80.
Extracti Monteregali. ibid.
Corileone. ibid. n. 2. pag. 82.
Caltaniſſectæ, n. 3. Victoriæ, & Sambucæ. n. 4. p. 83.
Non præmoritur Matri ex materno morbo, & quare. c. 10. a n. 1. ad 4. p. 84.
In dubio Mater eſt incidenda. ibid n. 5.
Non commoritur Matri ex defectu reſpirationis. c. 10. n. 1. per totum p. 85.
A Matre non habet motum, & inſpirationem. ibid. c. 11. n. 1. & 3. p. 85. & 86.
Non communicat cum organis reſpirationi Matris inſervientibus. ibid.
Cur naſcitur mortuus, ubi Placenta priùs egreditur, vel Funiculus umbilicalis ſit contortus. ibid n. 10. p. 88.
In utero non eget reſpiratione ad figenda ſulphura. ibid. n. 13. p. 89 & l. 3. c. 21. n. 3 p. 200.
An reſpiret in utero. ibid. a n. 13. ad 20. p. 89. 90 91.
Ejus ſitus in utero favet reſpirationi. ibid. n 17. p. 90.
Innatat liquori chiloſo, quo nutritur. lib 2. c. 11. n. 15. p. 89. & c. 12. per tot.
Quomodo is Fœtui a Matre communicetur. ibid. n. 2. p 93.
Liquor iſte fortaſſe conducit ad ſanguinis motum. ibid. n. 4. p. 94.
Aliquando vagit in utero, movetur, & ſitum mutat. c. 11. n. 15. p. 89. & n. 18. p. 90.
Quando centrum gravitatis mutet, & in caput cadat. ibid. n. 18. p. 90.
Egreſſus ab utero an reſpiret in membranis. n. 19. p. 91.
Reſpirat etiam ceſſante reſpiratione Matris mortuæ. ib. n. 20. p. 91.
Non moritur, mortua Matre, etiamſi haberet cum ea communem ſanguinis circulationem. ibid. n. 22. p. 92. & App. Mon. 4. & 5. p. 255. & 261.
Matre mortua non ei deficit nutrimentum, & quare. ibid. c. 12. p. 92. & 93.
Ejus Nutritio in utero. ibid. n. 1. p. 92.
An, & ubi deponant impuritatem in alimento inventam. ib. p. 93.
Non nutritur materno ſanguine per Placentam hauſto. ib. n. 3.
Quò eſt debilior, eò minori eget alimento. ib. n. 5. p. 94.
Sine cibo diu, quandoque vivunt, ut accidit in Adultis, & quare. ibid. p. 94.
Imò quandoque ſine placenta, & funiculo. ibid. n. 7. p. 95.
Tantam ſpirituum diſſipationem ex tranſpiratione non habet. ib.
Nonimeſtris vivus extractus a Gravida, quæ ultimos viginti dies vitæ ſine ullo cibo, & potu tranſegerat. ib. n. 6. p. 94. & 95.
Propriâ non Matris vitâ vivit. ibidem n. 8.
Præſumendus eſt ſemper vivus Matre mortua. ib. & App. Mon. 4. p. 257.
Poteſt ſupervivere Matri per horas, & dies integros. ib. n. 9 p. 95.
Quamvis obiiſſe Fœtum aſſeverent Medici, & Obſtetrices attamen Partum Cæſareum non eſſe omittendum, & quare. c. 13. per totum p. 96.
Partu inſtante vivi pro mortuis a peritiſſimis habiti, & ferramentis extracti. ibid. a n. 3. ad fin. p. 98.
Eos in utero ſinere, ut pereant, eſt iram Dei provocare in Genus humanum. ib. n. 6. p. 99.
Extractus, & deinde baptizatus, & mortuus cum pompa ſepeliendus. lib. 2. c. 13. n. 4. & 5. p. 98.
Fœtus gravidi. c. 17. n. 3. & 4. p. 108. & 109.
Utero clauſi non baptizandi. lib. 3. c. 6. n. 1. p. 138.
Fœtuum deſcriptio cum figuris ex Bianchio. l. 1. c. 11. a n. 6.

Vide

Vide ; Infans , Nonnatus Puer , Mater .

Multiplicitas Fœtuum in Abortibus , & in Partubus maturis obſervata. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 2. 3. *&* 4. *p.* 108. *&* 109.

Maturus naſci conatur , & aliquando , non adjutus oritur . *l.* 3. *c.* 1. *n.* 2. *p.* 113.

Si exit ſecundinis veſtitus , partus eſt feliciſſimus . *l.* 3. *c.* 1. *n.* 3. *p.* 114. *&* *l.* 4. *c.* 6. §. 8. *n.* 10 *p.* 235.

Eo mortuo in utero , Mater non obligatur ad Partum Cæſareum. *ibid. n.* 6. *p.* 116.

Eo vivente in utero, obligatur Mater , niſi ſectioni ſubſtinendæ ſit impar , *ibidem* .

Conceptus extra uterum, moritur cum Matre , niſi natura , aut ars provideat , & quomodo , *ibid. c.* 2. *n.* 8. *p.* 121.

Certò mortuus in utero non eſt a Vivente per inciſionem extrahendus, & quare . *ibid. c.* 4. *n.* 2 . *p.* 129.

Si videatur mortuus non facilè extrahendus eſt ferro . *ibid. n.* 8.

Contentus in ſuperiori abdominis cavo , an extrahendus a Matre vivente Partu inſtante . *ibid. n.* 26. *&* 27. *p.* 132.

Qumodo extrahendus cum conceptus fuerit in Pelvi . *ibid n.* 28 *p.* 133.

Conceptus in intima ſubſtantia Ovarii diſperditur . *ibid. n.* 29.

Si eſt in Ovarii margine , vel Tuba , & matureſcat , erit extrahendus . *ibid. n.* 30.

Si eſt in medio Tubæ Matrem enecat , & propterea extrahitur a fortiori verò Matre extinctâ . *ibid. n.* 31.

Degens in utero ante tempus pariendi baptizari non poteſt ; ſecùs ſi partus inſtat , & quare . *l.* 3. *c.* 6. *n.* 1. *p.* 138. *&* 139.

Mortuus in utero Matrem non cruciat , niſi putreſcere incipiat . *ibid. c.* 12. *n.* 12. *p.* 174.

Natus veluti exanimis aliquoties revocatur ad vitam , ſi diù curetur , & quomodo . *ibid. c.* 16. *n.* 8. *p.* 183. *& c.* 23. *in Add. poſt Ind.*

Aliquoties ad ſe redeunt poſt tres , imò quatuor horas curationis. *ibid. n.* 9. *&* 10. *p.* 154.

Quandonam vita periclitatur in Partu . *l.* 4. *c.* 6. §. 8. *n.* 9 *p.* 225.

Deformis non occidendus , *App. Mon.* 4. *p.* 258.
Vide Monſtrum .

FORAMEN OVALE.

Ubi reperitur : & de valvula quæ in eo obſervatur , *l.* 2. *c.* 11. *n.* 7. *p.* 87.

Ejus munus a Meryo aſſertum quod ſit, & an verum . *ibid. n.* 11. *p.* 88.

Occluditur in Natis, & quare . *ibid. n.* 12. *p.* 89.

Si perdurat in Adultis , hi quamquam ſine reſpiratione non moriuntur , & quare . *l.* 3. *c.* 21. *n.* 3. *p.* 202.

In aliquibus perdurat apertum. *ibid. n.* 7.

S. FRANCISCUS XAVERIUS.

Ejus zelus in baptizandis Parvulis . *l.* 1. *c.* 1. *n.* 1. *p.* 1.

Hujuſmodi zelus ab eo ſuis Sociis commendatur . *ibid.*

Parvulorum a ſe baptizatorum Patrocinium pro ſe , & ſua Societate expetebat . *ibid.*

S. FRANCISCUS SALESIUS.

Matris utero eum gerentis pietas ipſi ſalutaris . *l.* 4. *c.* 3. *n.* 4. *p.* 217.

Antequam naſceretur Deo a Matre oblatus , *ibid. p.* 218.

In Matris utero vita periclitatus eſt , ſed Matris oratione convaluit. *ibid. c.* 5. *n.* 1. *p.* 227.

Pro Nonnatis quam ſollicitudinem habuit . *ibid.*

Sanctorum Virorum ſanctitatem , Matrum precibus adſcripſit . *ibid.*

Gravidis jejunium vetat , & quare . *ibid.*

Parturientem ab atrociſſimis doloribus liberat , & quomodo . *ibid.*

Hæreticæ Matris Filium ſine Baptiſmo mortuum reſuſcitat , & quare . *ibid.*

Se Puerum cum Pueris faciebat , & quomodo . *ibid. n.* 3. *p.* 228.

Ejus charitas erga Amedæam de Blonai . *ibidem* .

Meditatur Congregationem inſtituere , quæ Puellas educaret . *ibid. n.* 5. *p.* 228.

Chri-

Digitized by Google

Chriſti Infantiam imitatur & premio aſſicitur. *ibid. n.* 6. *p.* 229.

Eſt Parvulorum Protector. *ibid. n.* 7. & 9. *p.* 229.

Ejus orandi formula pro Gravidis concinnata. *ibid. n.* 8. & 9. *p.* 229.

Hæc oratio a Gravidis recitanda habetur. in *App. Mon.* 2. *p.* 253.

F R U C T U S.

Gravidi. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 4. *p.* 109.

FUMUS TABACCI.

Et Placentæ, ac Funiculi umbilicalis combuſtorum ad Pueros a deliquio excitandos utilis. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 5. & 6. *p.* 182. & 183.

Et Chlyſteres Submerſis proſunt. *ibid. c.* 22. *n.* 16. *p.* 205.

Vide Submerſi.

FUNICULUS UMBILICALIS.

Contortus eſt cauſa mortis Fœtus in utero, & quare. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 10. *p.* 88.

Eo putrefacto, Fœtus tamen natus eſt vivus, & quare. *Ib. c.* 12. *n.* 7. *p.* 95.

G

G A L L I.

GErmani, aliique Chirurgo ad obſtetricandum utuntur. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 3. *p.* 114.

G A L L I N A.

Olim non ovum, ſed Pullum enixa. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 7. *p.* 41.

Ejus roſtro in inteſtinum introducto utuntur Obſtetrices Siculæ, ut Nati a Syncope revocentur. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 6. & 7. *p.* 183.

G A R S I A S.

Rex Navarræ quomodo natus. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 10. *p.* 106.

G A S S E N D U S.

Embryonem duodecim dierum articulatum vidit. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 5. *p.* 25. & *c.* 8. *n.* 7. *p.* 30.

Videtur credere Animam infundi in primo conceptus inſtanti. *Ib. n.* 8.

G E M E L L I.

Tergemini, & ſimiles unde proveniant. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 7. *p.* 41. & *l.* 2. *c.* 17. *n.* 10. *p.* 108.

Interdum ſub iiſdem ſecundinis, interdum ſub diverſis naſcuntur, & quare. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 7. *p.* 41. & *l.* 3. *c.* 9. *n.* 13. *p.* 161.

Abortivus Catanæ qui mortuus videbatur quomodo vivus agnitus. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 3. *p.* 48.

Orti vivi a Prægnante ſuſpendio mortua poſt quatuor horas. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 11. *p.* 57.

G E N E R A T I O.

Eam impediens quot homicidiorum reus. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 1. *p.* 108.

Etiam in Viviparis fit per ova. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 2. *p.* 39.

Antiqui Medici ſemper in utero fieri crediderc. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 1. *p.* 120.

Duplex, naturalis in utero ſcilicet, & vitioſa extra uterum. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 7. *p.* 71. & *l.* 3. *c.* 2. *n.* 2. *p.* 120.

Vitioſa quotuplex ſit. *Ib.*

Ejus raritas. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 25. *p.* 128.

Vitioſa quomodo a naturali, præſertim tempore Partus, dignoſcatur. *Ib. c.* 4. *n.* 19. *p.* 131.

Et nativitas pro Synonymis habitæ a S. Iſidoro, & aliis Patribus. *Ib. c.* 8. *n.* 1. & 2. *p.* 158.

S. G E R M A N U S.

Auguſtudonenſis a Matre fruſtrà ad Abortum laceſſitus. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 5. *p.* 5.

S. G I L D A S.

Junior poſt diem circiter a Matris nece vivebat. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 5. *p.* 73.

G O B A T U S.

Proprià revocatà, Raynaudi ſententiam de Partu Cæſareo viventium tandem amplectitur. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 2. *p.* 136.

GOBIUS PISCIS.

De ſub glacie veluti mortuus eductus

ad

ad ignem reſurgit. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 7. *p.* 171.
Gravida *vide* Prægnans.

G R Æ C I.

Et aliqui Latini idem ſentiunt de celeri Fœtus animatione. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 14. 15. & 16 *p.* 32.
Etiam hodie puniunt in fœminis Abortum involuntarium. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 10. *p.* 106.

H

H E B R Æ I.

Mirabiliter multiplicati in Ægipto. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 8. *p.* 110.

HENRICUS RICCA.

Quot Partus Cæſareos feliciter promovit Victoriæ. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 4. *p.* 83.

HERNIA UTERI.

An, & quando requirat Partum Cæſareum viventium. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 32. *p.* 133.

S. HIERONYMUS.

Et Tertullianus de Mulierum fragillitate, & Abortibus ſuorum temporum dolent. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 3. *p.* 4.

HIERONYMUS FLORENTINIUS.

Vide Florentinius Hieronymus.

HIACINTUS SERRYUS.

Vide Serryus Hiacintus.

HIPPOCRATES.

De Fœtus animatione quid ſentire videatur. *l.* 1. *c.* 8. *a n.* 1. *ad* 7. *p.* 28. 29. 30.
Jurat ſe Abortibus non cóoperaturum. *ibid n.* 5. *p* 29.
Quæ fecerit experimenta in Abortibus Meretricum. *ibid.* *n.* 6. *p.* 29.
An ipſius ſit Liber de Natura Pueri, & de Carnibus. *ibid.* *n.* 5. 6. & 7. *p.* 28. 29. 30.

H O M O.

Ejus formatio in utero eſt abſtruſiſſimum Naturæ arcanum. *l.* 1. *c.* 5. *a n.* 5. *p.* 16.
Natus non magis Homo, quàm Nonnatus, & quare. *l.* 3 *c.* 6 *n* 6. *p.* 140.
Ejus nativitas duplex in utero, & extra uterum. *ibid n.* 7 *p.* 141.
In prima nativitate contrahit Peccatum Originale. *ibid.* *n.* 7. *p.* 142.
Homines Marini, ſeu Trytones, & Sirenes an baptizandi. *l.* 3 *c.* 9. *n.* 8. *p.* 160.
Repentino malo mortuus, eſt dubiè mortuus, & quomodo ſpirituali præſidio eſt adjuvandus. *ibid.* *c.* 18. *a n.* 2. *p.* 186. & *ſeq.*
Quidam ſenſibus, ac maxima libertate ſe præditum fuiſſe dixit, dum ab aliis mortuus putabatur. *ibid.* *c.* 13. *n.* 9. *p.* 177
Sine ullo cibo, & potu quandoque per plures annos vivit. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 5. *p.* 94. & *l.* 3. *c.* 21. *n.* 8. *p.* 201. & 202.

HIRUNDINES.

Hyeme in cavernis ut mortuæ ſine pennis jacent ver expectantes. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 8. *p.* 171.
In frigidioribus Regionibus ſub aquis morantur. *ibid.* *c.* 21. *n.* 2. *p.* 199.

HOROLOGIA.

Similesve machinæ eo difficiliùs labefactantur, quo minori inſtrumentorum numero conſtant. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 6. *p.* 48.

I

I L L E G I T I M I.

Sunt, ut plurimum Projecti, ſeu Expoſiti. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 28. *p.* 233. & *n.* 27. *p.* 225.
Quo nomine minùs odioſo vocandi. *Ib.* *n.* 28. *p.* 225.

I N C I S I O N E S.

Cæſareæ in Montis Regalis Urbe, factæ ab Ignatio Amato, quæ. *l.* 2. *c.* 9. *a n.* 1. *p.* 80.
Corleone a. Joſeph Cimino, quæ. *Ib.* *n.* 2. *p.* 82.
Caltaniſſectæ a Petro Cummarano promotæ. *Ib.* *n.* 3.

Vi-

Victoriæ ab Henrico Ricca. *Ibid. n.* 4. *p.* 83.

Sambucæ a Mariano Panepinto. *Ib. n.* 4. *p.* 83.

Inciſio Franconiana per Hypogaſtrium, quæ, & an periculoſa. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 20. *p.* 126.

Per Perinæum an ſuperabilis. *Ib. n.* 21. *p.* 127.

INDULGENTIA.

Partum Cæſareum promoventibus, & Gravidas Nonnatoſque juvantibus quæ. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 5. *p.* 54. *&* *l.* 4. *c.* 8. §. 2. *n.* 6. *p.* 245. *& App. Mon.* 7. *n.* 13. *p.* 267.

Quadraginta dierum recitantibus orationem pro Nonnatis. *App. Mon.* 3. *p.* 254.

INFANS INFANTES.

Palmæ a morte præſervati recurſu ad Laicum Magiſtratum. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 9. *p.* 6.

Sepulti a Matribus, effoſſi vivi poſt ſeptem horas. *Ib. p.* 7.

A Matre vexatus ad mortem, & pro mortuo relictus, deinde recreatus, & baptizatus, vixit, & adolevit. *Ibid.*

In utero Matris pro eadem perſonâ cum Eâ quodammodo reputatur. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 1. *p.* 53.

Si moritur non baptizatus Domeſticorum ſocordiâ, hi puniendi ſunt. *ibid. n.* 6. *p.* 54.

An baptizandus antequam ex utero extrahatur. *ibid. c.* 4. *n.* 4. *p.* 70.

Extractus ex utero, quomodo dignoſcatur an vivat. *ibid. n.* 5. *p.* 71.

An baptizandus, ſi vitæ ſignum non habet, nec eſt corruptus, vel conquiſſus. *ibid.*

Extractus per Sectionem Cæſaream eſt domi baptizandus. *ibid. n.* 6.

Baptizatus in utero Matris ſemper extrahendus, ut iterum baptizetur ſub conditione, & quare. *ibid. n.* 10. *p.* 72.

Aliquando dirupto utero intrat in Abdomen. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 14. *p.* 124. *&* an eo caſu competat Partus Cæſareus Viventis. *ibid. c.* 4. *a n.* 14. *p.* 131.

Non extrahendus uncinis, aliiſque inſtrumentis diſcerpentibus, niſi conſtet ejus mors, quod eſt difficillimum. *ibid. n.* 2. *p.* 129.

Si magnus mole ex natura, vel hydrope an extrahendus a Matre vivente per inciſionem. *l.* 3. *c.* 4. *a n.* 33. *ad* 36. *p.* 133. *&* 134.

An eodem modo extrahendus a Vivente ſi eſt biceps, aut bicorporeus. *ibid. n.* 37.

Naſcentes præſertim ex partu difficili ſæpe apparent mortui, ſed non ſunt. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 1. *p.* 153.

Plures lividi, & exanimes nati recuperantur, & quomodo. *ibid. a n.* 5. *ad* 7. *a p.* 164. *ad* 166.

Quot, & quibus modis naſci poſſunt. *ibid. c.* 12. *n.* 4. *p.* 173.

Nati per abortum, vel partum difficilem, aut cæſareum, vel extractionem chirurgicam facilè labuntur in Syncopen, vel Aſphyxiam. *ibid. a n.* 5. *ad* 9. *a p.* 175.

Nati ex partu etiam facili Aſphixiæ ſubjiciuntur. *ibid. a n.* 10. *ad* 14. *p.* 173. *&* 174.

In utero non indigent reſpiratione. *l.* 2. *c.* 11. *per tot. p.* 85. *&* *l.* 3. *c.* 13. *a n.* 2. *p.* 175.

Extra uterum ovali foramine aperto remanente, an egeant reſpiratione. *ibid. n.* 5. *p.* 175.

Nati ſani, & vivaces, atque ſepulti, poſt plures horas vivi reperti ſunt. *ibid. p.* 176.

Quando ſub conditione baptizandi, ſi naſcuntur ſine reſpiratione, & motu. *ibid. c.* 17. *a n.* 1. *p.* 184. *& c.* 18. *n.* 2. *&* 3. *p.* 186.

Nati exanimes quibus remediis adjuvandi. *l.* 3. *c.* 16. *a n.* 1. *ad* 10. *a p.* 182. *ad* 184.

Plures Parvuli, qui reſuſcitati creduntur ab aſphixya, non a morte detinebantur. *lib.* 3. *c.* 17. *n.* 1. *p.* 184. *& lib.* 1. *c.* 12. *n.* 4. *p.* 48.

Mors eorum ſine Baptiſmo Parentum peccatis imputanda. *lib.* 4. *c.* 1. *a n.* 7. *a p.* 209. *ad* 212.

Nati ad Eccleſiam illicò deferendi pro Baptiſmate. *ibid. c.* 7. *n.* 19. *p.* 242.

Recens nati habent ſenſus ſtupidos. *l.* 3. *c.*

3. *c.* 13. *n.* 9. *p.* 177.
Quare vivi potiùs præſumendi, quamquam ſub mortui larva nati. *ibid. c.* 14. *n.* 1. 2. *&* 3. *p* 177. *&* 178.
In aſphyxia diutiùs quàm nati vitam retinent. *ibid. n.* 4. *&* 5.
Quædam ſigna mortis, quæ obſervantur in Natis, in Naſcentibus obſervari non poſſunt. *ibid. c.* 15. *p.* 179.
In utero mortuus, an năſcatur frigidus. *ibid. n.* 3. *&* 4. *p.* 179. *&* 180.
Particularis in eo gangræna a corruptione corporis diſtinguenda. *ib. n.* 11. *p.* 181.
Gangræna in capite affectus, & pro mortuo extractus, inventus eſt vivus. *lib.* 2. *c.* 13. *n.* 3. *p.* 97. *& lib.* 3. *c.* 15. *n.* 12. *p.* 181.
Biennio minores in lecto non collocandi. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 21. *p.* 222. & pœna collocantium. *ibid. & c.* 6. §. 8. *n.* 19. *p.* 236.
Octimeſtris eſt magis vitalis, quàm ſeptimeſtris. *lib.* 4. *c.* 6. §. 2. *n.* 9. *p.* 231. *&* 232.
An ſecundinis involutus, urgente neceſſitate, ſit baptizandus. *ibid. c.* 6. §. 4. *n.* 2. *p.* 232. *& lib.* 3. *c.* 8. *n.* 18. *p.* 157.
An ſit iterum baptizandus, ſi in manu, pede, vel capite ex utero egreſſo ſit baptizatus. *lib.* 4. *c.* 6. §. 4. *n.* 1. *&* 2. *p.* 232.
Baptizatus in neceſſitate aquà artificiali, habità deinde aquâ naturali; an iterum baptizandus? *ibid.* §. 5. *n.* 1. *p.* 233.

INFIDELES.
Eorum filii extrahendi etiam Partu Cæſareo. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 12. *p.* 57.

INSECTA.
Non generantur ex putri, ſed ex ovo in putredine. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 4. *p.* 40.
Terreſtria, & aquatilia hyeme mortua videntur; ſed vere adveniente reſurgunt. *lib.* 3. *c.* 11. *n.* 6. *&* 7. *p.* 171.
Serpentes, & nonnulla Quadrupedia per hyemem cordis motu, & aliis vitæ ſignis privantur, quæ vere deinde recuperant. *ibid. n.* 9.

INSTUMENTUM INSTRUMENTA.
Palfini multis Fœtibus valdè ſalutare. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 5. *p.* 9.
Eo utens Chirurgus cum aliquo Fœtus periculo, non peccat. *ibid.*
A quibus emendatum. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 4 *p.* 115.
Quam figuram habeat, & quibus partibus conſtet. *ibid.*
Eo ſi nequit extrahi Fœtus, eſt in evidenti mortis periculo. *ibid. n.* 5.
Illud tenentur habere Chirurgi, præſertim Siculi, cum Speculo Matricis. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 9. *p.* 138. *& App. Mon.* 5. *n.* 5. *p.* 263.
Chirurgica in partu difficili. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 2. *p.* 139.

JOANNES PALAFÒX.
Eum Nonnatum diſperdere, natum in flumen mergere fruſtrà tentavit Mater. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 4. *p.* 5.

S. JOANNES BAPTISTA.
Cononem hortatur, ut Mulieres baptizet tentatione contempta. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 11. *p.* 106.

JOSEPH MASTIANI.
Aſſertum de Partu Cæſareo viventis feliciter peracto. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 15. *p.* 119.

L

LANCISIUS.
DUas Infantium reſurrectiones, ne pro miraculis approbarentur, monuit, & quare. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 6. *p.* 201.

LAPIDES.
Prægnantes. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 4. *p.* 109.

LEGATA.
Ad Pauperes alendos relicta an ad Projectos extendenda. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 6. *p.* 221.

LEX. LEGES.
Fœtum animatum ab inanimi diſtinguunt. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 8. *p.* 30. *& c.* 9. *n.* 6. *p.* 35.

Ad humanas facultates ſpectantes communiori Profeſſorum ſenſui ſe accomodant. *Ib. n.* 7.

Hebræorum lex quid circa Abortum diſponat. *Ib. n.* 2. *p.* 33.

Capitis non damnant reos Abortus Fœtus quinto menſe minoris, & quid in Sicilia. *Ib. p.* 34.

Vide Abortus.

Ægyptiæ prægnantem morti dare partu non expectato, vetabant. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 11. *p.* 57.

Divinæ jubent ſuccurrere vitæ ſpirituali Proximi cum periculo vitæ noſtræ corporalis. *Ibid. c.* 16. *n.* 5. *p.* 104.

Quæ pro Partu Cæſareo latæ in Sicilia, *Ap. Mon.* 4. 5. *&* 6. *a p.* 255. *ad* 265.

Earum inobſervantia neceſſariò punienda, & quare. *l.* 4. *c.* 8. *n.* 7. *&* 8. *p.* 248.

LITHOTOMIA.

Seu ſectio ad extrahendum calculum, ejuſque ſpecies. *l.* 3. *c.* 3. *a n.* 19. *p.* 126.

LIVOR.

In Natis eſt ſignum putrefactionis inceptæ, non ſic in Naſcentibus, & quare. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 7. 8. *&* 9. *p.* 180. *& l.* 4. *c.* 6. §. 4. *n.* 6. *p.* 233.

LOCA.

Ad excipiendos Projectos deſignata Rotam habeant patentem. *l.* 4. *c.* 4. *a n.* 7. *p.* 221.

LUXURIA.

Cauſa Abortuum, Monſtrorum, & Partuum difficilium. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 4. *p.* 3. *& l.* 4. *c.* 1. *n.* 8. *p.* 210. *& c.* 6. §. 8. *n.* 2. *p.* 234.

M

MAGISTRATUS LAICUS.

MAGIS timetur a procurantibus Abortum, quam Eccleſiaſticus, & quare. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 9. *p.* 6.

Durioribus pœnis, & nonnumquam ultimo ſupplicio punire debet Abortum procurantes. *Ib. n.* 12. *p.* 7.

In Sicilia ut homicidas damnat procurantes Abortum, & cooperantes. *ibid.*

Supplicio addicat ſepelientes gravidam Fœtu non extracto, alioquin peccat. *l.* 2 *c.* 15. *n.* 3. *p.* 102.

Sub gravi tenetur dare brachium ad Partum Cæſareum faciendum, ſi requiratur: alioquin puniendus. *Ib. n.* 2. *p.* 102.

Exemplum brachii conceſſi. *Ib.*

Peritis deficientibus, cogere poteſt ad Partum Cæſareum præſtandum quoſcumque noverit aptiores, & quare. *Ib. c.* 16. *n.* 1. *p.* 103.

Implorandus a Parocho, vel aliis ante Prægnantis mortem. *Ib.*

Cogere poteſt ad officium Carnificis exercendum, & a fortiori Chirurgi. *Ib.*

Curam Nonnatorum gerere tenetur. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 1. *p.* 218.

MALEFICIA.

Nonnumquam ſunt cauſa Abortus. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 6. *p.* 3.

MANICHÆI.

Abortus tamquam licitos exercebant. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 1. *p.* 4.

Eorum de Anima opinio. *Ib. c.* 5. *n.* 7. *p.* 17.

MATER.

Gravida in Partu difficili tenetur pati remedium ſpeculi matricis, & inciſionem cæſaream. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 5. *p.* 6. & latiùs *l.* 3. *c.* 4. *a n.* 39. *p.* 135. *& c.* 5. *n.* 1. *&* 2. *p.* 136.

In dubio ſe gerat, ac ſi Fœtus eſſet certè animatus. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 4. *p.* 9.

Semper ſecanda, quamquam ſæpè ipſius morbo Fœtus inficiatur, & quare. *l.* 2. *c.* 10. *a n.* 1. *p.* 83.

Non tenetur profundere propriam vitam pro vita prolis temporali, & quid pro ſpirituali. *Ib. c.* 3 *per tot. p.* 8. 9. 10. *&* 11.

An medicamen poſſit ſumere Fœtui periculoſum, ſi nulla ſit ſpes extrahendi Fœtum vivum, eà mortuà. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 9. *p.* 11.

Tenetur lactare propriam Prolem, & quare. *Ib. c.* 4. *n.* 9. *p.* 14. *& l.* 4. *c.* 6. §. 5. *n.* 14. *p.* 235.

Quo-

Quomodo Fœtui communicet nutrimentum. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 1 *p.* 92.
An etiam ſanguinem. *Ib. n.* 3. *&* 4. *p.* 93. *&* 94.
Natos biennio minores ſecum in lecto non collocet, *l.* 4. *c.* 4. *n.* 21. *p.* 223. *& c.* 6. §. 8. *n.* 19. *p.* 236.
Vide Prægnans.

MAURICEAU.
Prohibet Partum Cæſareum viventium, & admittit Baptiſma Nonnatorum *l.* 3. *c.* 6. *n.* 2. *&* 3. *p.* 139.

MECONIUM.
Unde proveniat. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 1. *p.* 91.

MEDICAMEN MEDICAMINA.
Seu remedia præbentes ad Abortum quomodo puniat Monteregali. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 12. *p.* 7.
Triplicis generis Gravidæ præſcribi poteſt; Fœtui periculoſum, nocivum, & quod ad ejus damnum dirigitur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 2. *&* 3. *p.* 8.
Præſcindendo a periculo ſpirituali Fœtus an primi, vel ſecundi generis adhiberi liceat. *Ib. n.* 4. *p.* 9.
Damnatur quod directè Fœtum diſperdit. *Ib. n.* 4.
Ciere valens Abortum cum proximo periculo mortis Parvuli ſine Baptiſmo, reprobatur. *Ib. c.* 4. *n.* 1. *p.* 11. *&* 12.
An Matri ſalutare ex ſui naturâ poſſit præſcribi, quando Fœtus æquè periclitatur & ex medicamine, & ex morbo. *Ib. n.* 6. *p* 13.
Ubi Matri a medicamine abſtinendum eſt favore Fœtus, in Deo ſpem ſuam reponat. *Ib. n.* 7. *p.* 14.
Medicamina pro Parvulis qui mortuorum ſpeciem imitantur; & quamdiu continuanda. *l.* 3. *c.* 16. *p.* 182. *& l.* 4. *c.* 6. §. 8. *n.* 14. *p.* 235.

MEDICUS MEDICI.
Et medicaminum venditores peccant, ſi remedia ad Abortum ciendum præſcribunt, aut vendunt. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 10. *p.* 7.
De eorum cautela in curandis gravidis. *Ib. c.* 3. *p.* 8.
Non præſcribat Prægnanti id, quod Fœtum vitâ, & ſpe Baptiſmi privet. *Ib. c.* 3. *n.* 6. *p.* 10.
Olim ſanguinem ad libras educebant, & purgantibus eradicativis utebantur. *Ib. n.* 2. *&* 3. *p.* 12.
Præteriti ſæculi putarunt Embryonem primis diebus non eſſe ſenſibilem. *Ib c.* 12. *n.* 15. *p.* 48.
Eorum ſententiis non nimis fidant Theologi, Canoniſtæ, & Juriſperiti. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 4. *p.* 28.
Eorum imperitia, vel malitia eſſet culpanda, ſi mortem apparentem a vera non diſcernerent. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 5. *p.* 66.
Aſſeverantes Fœtum in utero eſſe mortuum non credendi, & quare. *Ib. c.* 13. *n.* 1. *p.* 96.
In Partu difficili quibus inſtrumentis utantur. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 3. *&* 4. *p.* 114. *&* 115.
Deſperato Partu tenentur ſub gravi præcipere Inciſionem Cæſaream Viventium, & quando. *Ib. c.* 5. *n.* 6. *&* 7. *p.* 137.

MIRACULUM MIRACULA.
Reſurrectionis probari ſufficienter poteſt, etiam ante Cadaveris corruptionem. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 9. *p.* 68.
Sanctorum referuntur, qui mortuos Pueros ad Baptiſmum recipiendum ſuſcitarunt. *Ib. c* 13. *n.* 1. *p.* 97.
B. Virginis ad eumdem finem. *Ib. n.* 2.

MOLA.
Primis prægnationis diebus an a Fœtu diſcriminari poſſit. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 11. 12. 13. 14. *p.* 50. *&* 51.
In quo differat a falſo Germine, & unde proveniat. *Ib n.* 14.
Eſt ſecanda, nam fortè Fœtum continet. *Ib. & l.* 2. *c.* 4. *n.* 8. *p.* 72. *& l.* 3. *c.* 9. *n.* 12. *p.* 161. *& l.* 4. *c.* 6. §. 8. *n.* 26. *p.* 236.

MONSTRUM. MONSTRA.
Abortivum deforme, neque poſt Baptiſmum eſt occidendum. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 10. *p.* 50. *& l.* 3. *c.* 9. *n.* 18. *p.* 162.
Sæpiùs occurrunt in Partu Cæſareo Viventium, *l.* 2. *c.* 4. *n.* 5. *p.* 71.
Item in Abortibus, & in Partubus deſperatis, quia ſæpè ſunt eorum, & mortis

Digitized by Google

iis Gravidarum cauſæ. *l. 3. c. 9. n. 1. p.* 158.
Eorum ſpecies in Natis ex Muliere, quot, & quæ ſint. *ibid. n.* 2.
Quot ſint eorum cauſæ, & quæ. *ib. n.* 3.
Quandonam Animà rationali præditum putetur. *ibid. a n. 4. ad* 12.
Ex Muliere, & humano ovulo natum, Animâ rationali informatum præſumitur. *ibid. n. 5. p.* 158 *&* 159.
Bruta in Mulieris utero an generari poſſint. *ibid. p.* 159.
Brutum ex Fœmina natum non baptizandum. *ibid.*
Si naſcitur mixtum ex Homine, & Bruto an baptizandum. *ibid.*
Centauri, Fauni, & Satyri quid? *ibid.*
Natum ex Viro, & Muliere cum capite humano, & toto corpore belluino an baptizandum. *ibid. n. 5 & 7. p.* 159.
Et quid ſi vice versà caput eſt belluinum, & reliquum corpus humanum. *ibid. p.* 159. *&* 160.
Humanam ideam referens, ſed Dæmonem repræſentans, an baptizandum. *ibid. n.* 10.
Acephalum an ſit poſſibile, & baptizandum. *ibid. n.* 11.
A Ss. Elzeario, & Vincentio Ferrerio reformata. *l. 3. c. 9. n. 12. p.* 161.
Quandonam unicà, vel duplici Animà informentur. *ibid. a n. 13. ad* 17. *p.* 161.
Bicorporeum eſt duplici Baptiſmo abluendum. *ibid. n. 14. p.* 161.
Biceps cum duplici pectore an duplici Baptiſmo abluendum. *ibid. n.* 15.
Et an ſimpliciter Biceps. *ibid. n.* 16.
Habens ſub uno capite duo pectora, vel duo corpora, an duplici Baptiſmo donandum. *ibid. n.* 17.
Humanam ſpeciem non habens, non eſt baptizandum. *l. 3. c. 9. n 12. p.* 161. *& l. 4 c. 6. §. 4. n. 3. p.* 232.
In dubio an ſit unus, vel plures Homines, quomodo baptizandum. *l. 3. c. 9. a n. 14. p.* 161.
Ex Muliere natum non occidendum, ſed Parocho, vel Epiſcopo præſentandum, & quare. *ib. n. 18. p.* 162. *& l. 4. c. 6. §. 8. n. 15. p.* 235.

M O R S.

Gravidæ Fœtui exitialis, niſi charitas accurrat. *l. 2. c. 1. n. 1. p.* 53. *& c. 16. n. 12. p.* 107.
Gravidæ quomodo comprobanda. *ibid. c. 2. a n. 7. ad fin. a p.* 59. *ad* 64.
Ejus periculum eſt majus onus periculo gravis tentationis, & quare. *ibid. c. 16. n. 5. p.* 104.
Dubia quæ ſit. *l. 3. c. 19. n. 8. p.* 195.
Vide Mortis ſigna.

MORTIS SIGNA.

Quæ in morbis chronicis, & acutis. *l. 2. c. 2. a n. 8. ad 13. p* 60 *&* 61.
Quæ verò in repentinis. *ibid. a n. 14. ad fin. p* 62. *& ſeq.*
Communia mortis indicia ſunt privatio ſenſus, motus, & reſpirationis. *l. 2. c. 2. a n. 8. p.* 60.
Aliquando tamen fallunt? *l. 3. c. 10. n. 7. p.* 166.
Experimenta pro mortis comprobatione. *l. 2. c. 2. n. 11. p.* 62.
An ſemper ſint fidelia. *ibid. a n. 12. p.* 63.
Certiora quæ ſint. *ibid.*
Certa an ſint membrorum rigiditas, vel pannus vitreus in oculis. *ibid. n. 12. & 13. p. 61. & 62. & n. 17. p.* 64.
An ſola putrefactio ſit certum mortis ſignum. *l. 2. c. 3. n. 1. p.* 65.
Putrefactio expectanda non eſt ad Gravidæ inciſionem. *ibid. n. 8 p.* 67.

M O T U S.

Syſtolicus, & Diaſtolicus ubi incipit, vita Fœtus juxtà aliquos incohatur. *l. 1. c. 8. n. 2. p.* 27.
Sanguinis quando incipit in Fœtu. *c. 12. n. 8. p.* 42.

M U L A.

Nata prægnans. *l. 1. c. 17. n. 4. p.* 109.

MULIER MULIERES.

Multæ Choreis, & Saltationibus Abortum procurant. *l. 1. c. 2. n. 5. p.* 5.
Præbentes medicamina pro Abortu rigidè ſunt plectendæ. *ibid. n. 12. p.* 7. *&* 8.
Præſertim furtivè Gravidæ, primis menſibus Abortum procurant, aut ſaltem non evitant. *l. 1. c. 5. n. 1. p.* 15.

Mulierum abortientium Domeſtici ejectamenta inſpicere non curant, ſed in latrinas projiciunt. *ibid.*
Habent ſuum Ovarium, & quod. *ibid. c.* 11. *n.* 5. *p.* 41.
Earum Ovum quantum, & cujus figuræ ſit, & quomodo ſitum. *ibid.*
Hoc Ovum quomodo fœcundetur. *ibid. n.* 7.
Quædam olim verum Ovum enixa eſt. *ibid. p.* 42.
Earum Ovum dilabitur in uterum, & ibi alitur. *ibid. n.* 8. *p.* 42.
Earum Ovum fœcundatum intumeſcit, & ad figuram ovalem propendet tertio, vel quarto die. *ibid.*
Verum earum ſemen eſt Ovum. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 2. *p.* 39. & *c.* 12. *n.* 5 *p.* 48.
Prægnantes ad mortem infirmæ, ubi convaluere, ſæpè Gravidæ permanſerunt, & ſuo tempore pepererunt. *l.* 2 *c.* 10. *n.* 4. *p.* 84.
Putata Mortua, & inciſa Palmæ. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 6. *p* 59.
Stantes non rarò pariunt. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 2. *p.* 113.
Abyſſinæ, & Ruſticæ in Germania quomodo pariant. *ibid.* & *p.* 114.
Apud Indos Ovum integrum ſine Obſtetrice, & ſine magno dolore enituntur. *ibid. n.* 3.
Decentiùs Obſtetricariam exercent, ſi addiſcant. *ibid.*
Valentinæ a ſenibus Paſtoribus obſtetricantibus adjuvantur. *Ib.*
Mulier. cui fruſtratim ſepties Fœtus extractus eſt. *Ib. n.* 5. *p.* 115.
Plures ex Partu Cæſareo viventium olim occubuere, & quare. *Ib. n.* 10. *p.* 117.
Quædam integro ejecto vel exciſo utero, incolumes vixere. *Ib. n.* 14. 15. & 16. *p.* 124. & 125.
Nonnullæ poſt Partum Cæſareum quidem, ſed non ex eo mortuæ ſunt. *Ib. n.* 17. *p.* 126.
Germana in partu deſperato ſeipſam ſecuit. *Ib. c.* 5. *n.* 5. *p.* 137.

Vide Fœtus, Mater, Ovum, Prægnans.

N

NATI.

Quæ ſit in Natis circulatio ſanguinis. *l* 2. *c.* 10. *a n.* 3. *ad* 6. *p.* 85. 86. & 87.
Quamplures, etiam adulti, ſine ullo cibo, & potu annos traduxere. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 5. *p.* 94.
Etiam adulti per horas ſeptuaginta duas, ut mortui, vitâ comite perdurarunt. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 4 *p.* 178.
Ceſſante reſpiratione moriuntur. *Ib. n.* 5. *p.* 178.

NATIVITAS.

Artificialis quæ. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 1. & 2. *p.* 53.
Secunda eſt Baptiſmus Nonnato collatus, & quare. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 12. & 13. *p.* 143. & 144.
Ex utero, & in utero in quo differant. *Ib. c.* 7. *n.* 1. & 16. *p.* 146. & 150.

NATURA.

Aliquando ludit deflectendo a curſu ordinario. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 2. *p.* 85.

NECESSITAS.

Spiritualiter renaſcendi unde proveniat. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 9. & 10. *p.* 142. & 143.
Sola tribuit Obſtetrici facultatem baptizandi. *l.* 4. *c.* 6. §. 2. 230.

NONNATI.

An proprio gaudeant Angelo Tutelari. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 3. *p.* 2.
Eorum nutrimentum in utero quomodo depuretur. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 3. *p.* 84.
Qua ſanguinis œconomia, & circulatione gaudent. *l.* 2. *c.* 11. *a n.* 7. *ad* 10. *p* 87. & 88.
Divina Miſericordia eorum vitam tuetur, ut deinde nati baptizentur. *Ib. c.* 13. *n.* 1. *p.* 96.
Partu inſtante poſſunt ablui aquâ. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 2. *p.* 139.
Et ideo validè baptizari. *Ib. a n.* 4. *p.* 140.
In ea circumſtantia reputantur Nati. *Ib. n.* 16. & 17. *p.* 145. & 146. & *c.* 7. *a n.* 14 *p.* 150. & 151.
Maximè ſi manum emiſerint. *Ib. n.* 17.

Ca-

Capaces ſunt Baptiſmi ſanguinis , & flaminis. *Ib. n.* 18. *p.* 146.
In utero mortui an facilius putreſcant. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 7. *p.* 180.
Eorum ſalutis æternæ media, a Deo præordinata , quæ ſint. *l.* 4. *c.* 2. *n.* 9. & 10. *p.* 210. 211. & 212.
An ipſis præter Baptiſmum aliud ſuppetat ſpirituale remedium . *Ib. c.* 2. *per tot. p.* 212.
Eorum conſervatio, vita, & Baptiſmus ſunt fructus probitatis Parentum. *Ib. n.* 1. *p.* 213.
Sanctificati in utero nonnulli, & qui. *Ib. n.* 1. & 2.
Opiniones Gerſonii , & Cajetani quo ad hoc. *Ib. n.* 3. & *ſeqq. p.* 213. 214. 215.
Ut vivi naſcantur , & baptizentur , Deus ab omnibus exorandus. *Ib. c.* 3. *n.* 5. *p.* 228.
De vigilantia Epiſcoporum pro Nonnatis . *Ib. c.* 8. *per tot. p.* 243.
Inſtructio legenda populo pro Nonnatis . *L.* 4. *c.* 8. §. 4. *n.* 5. *p.* 247. & 248.
Eorum curam aliis etiam commendent Epiſcopi , & quibus . *Ib.* §. 4. *n.* 6. *p.* 248.
Monita , quæ pro illis attulimus difficilia putantes, tepiditatis & ignaviæ arguuntur. *Ib. n.* 8.
Oratio pro Gravidis , Nonnatis , & non baptizatis. *App. Mon.* 1. 2. & 3. *p.* 251. 253. & 254.
Vide Animatio , Embryo, Fœtus, Mater , Mulier, Prægnans , Puer .

NOSOCOMIA .

Debent pauperes Gravidas pro Partu excipere , & aliquando Prolem alere. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 13. *p.* 221.
Eorum vel Univerſitatum Rectores, nullo prætextu Projectorum Parentes inquirant. *Ib. n.* 18. *p.* 222.
Ad ea quomodo, & a quibus deferendi Projecti. *Ib. n.* 22. 23. & 24. *p.* 223. 224.
Eorum Rectores teneantur curare , ut fiat in eis Partus Cæſareus. *App. Mon.* 4. *n.* 5. *p.* 257.

NUTRICES .

A Parocho probatæ , & cum quibuſdam qualitatibus: a Rectoribus Univerſitatum , & Noſocomiorum in Catalogo deſcribantur. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 19. *p.* 223.
Ad Rectores Univerſitatum , & Hoſpitalium ſemel in menſe conveniant, & quare . *ibid. n.* 20. *p.* 223.
Ab iiſdem Rectoribus deputanda Præfecta Nutricum, & quod ejus munus. *ibid. n.* 21.
Projectos gratis nutrientes a publicis oneribus eximendæ , & pane donandæ. *ibid. n.* 25. *p.* 224.

O

OBLIGATIO.

Baptizandi Puerum vitâ periclitantem urget, etiam in periculo vitæ corporalis propriæ. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 5. 6. & 7. *p.* 104. & 105.

OBSTETRIX . OBSTETRICES.

A Parocho furtivè Prægnanti aſſignanda, & quare . *l.* 1. *c.* 2. *n.* 9. *p.* 6. & 7.
A Peritis addiſcat modum Partus Cæſarei perficiendi . *l.* 2. *c.* 1. *n.* 9. *p.* 55.
Ad Partum Cæſareum commodiſſima . *ib.*
Gravidæ morienti adſiſtat , & quare. *ibid. c.* 2. *n.* 1. & 2. *p.* 59.
Si noceant Puerperæ , vel Fœtui ob ineptitudinem , puniendæ. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 4. *p.* 103.
Puerperam interrogent , utrum alio Fœtu ſe gravari ſentiat. *ibid. c.* 17. *n.* 14. *p.* 111.
In Oppidulis plerumque obſtetricatiam ignorant . *l.* 3. *c.* 1. *n.* 3. *p.* 114.
Et nocent Parturientibus, & interdum ex malitia. *ibid.*
Secundinas in Partu non laceret, niſi in extrema neceſſitate , & quare. *ibid. l.* 4. *c.* 6. §. 8. *n.* 10. *p.* 235.
Quid agat pro Fœtu , qui mortuus naſcendo videatur. *lib.* 3. *c.* 16. *per tot. p.* 182. & *l.* 4. *c.* 6. §. 8. *n.* 12. & 14. *p.* 235.

Clien-

Clientes moneat, quæ Conjugibus licita ſint, vel illicita. *l. 4. c. t. n. 8. p. 210. & c. 6. §. 8. n. 2. p. 234.*

Ad Baptiſmum ritè conferendum inſtruatur. *ibid. c. 6. n. 1. p. 230. & §. 8. n. 27. p. 236.*

Munus ſuum non exerceat, niſi examinata, & approbata, & a quibus. *ib. c. 6. n. 2.*

Earum examen ſaltem ſingulis annis renovandum. *ibid. & cod. c. 6. §. 8. n. 27. p. 236.*

Quamquam in ejus Diœceſi baptizati ab Obſtetrice, iterum ſub conditione baptizari ſoleant, & quare. *d. c. 6. n. 1. p. 236.*

Baptizat in ſolo periculo Nonnatos, vel eos, qui naſci ceperunt. *l. 4. c. 6. §. 1. p. 230. & §. 4. n. 1. & 2. p. 232.*

Quæ ſint pericula, ob quæ tenentur Infantem baptizare. *ibid. §. 2. per tot. p. 231. & 232. & §. 8. n. 9. p. 235.*

Baptizat etiam Natum, etſi benè valentem, ſi timeat eſſe occidendum, vel cum periculo exponendum. *ibid. n. 10. p. 132.*

Monita eis danda occaſione examinis. *ibid. §. 8. p. 234.*

Oportet eſſe præditas inſigni charitate. *ibid. § 8. n. 1. p. 234.*

Clientes doceant Fœtum etiam fœmineum fortaſſe animari immediatè poſt conceptionem. *ibid. n. 4. p. 234.*

Abortui non cooperentur, imo Clientes ab eo deterreant. *ibid. n. 6 p. 235.*

Non permittant ab Amaſiis viſitari Gravidas, quas domi hoſpitantur. *ibid. n. 7.*

In partu difficili preces ab Eccleſia non approbatas ne recitent. *ibid. n, 8. p. 235.*

Nihil de ſecundinis, aut aliquid aliud Ulli ad ſuperſtitionem tribuant. *ibid.*

Syphunculum Chirurgicum habeant, & quare. *Ib, n. 11.*

Quid ipſis agendum antequam faſcià Puerperam adſtringant. *Ib. n. 16. p. 236.*

In Partu illegitimo quid Puerperam, ejuſque Propinquos moneant. *Ib. n. 17.*

Natos infra triduum baptizari procurent. *Ib. n. 18.*

Peccant mentientes Infantulum mortuum eſſe vivum, vel miraculo ſuſcitatum: itemque Partum ſupponentes, & civili jure puniuntur. *Ib. n. 20.*

Gravidas infirmas viſitent, præſertim in periculo mortis: Parochum, & Chirurgum pro Partu Cæſareo moneant, & quid ubi graviditas inhoneſta ſit? *Ib. n. 21.*

Tenentur ſcire modum faciendi Partum Cæſareum Defunctarum illumque exequi. *Ib. n. 23. & in App. Mon. 4. n. 2. & 3. p. 256. & Mon. 5. n. 1. p. 291.*

Tenentur ſub gravi baptizandi modum callere, & illum Diſcipulas docere. *l. 4. c. 6. §. 8. n. 27. p. 236.*

Ut libros habeant duces proprii muneris; legendi facultatem acquirere ſatagent. *Ib. n. 29. p. 237.*

Tenentur gratis Pauperibus Gravidis obſtetricari. *ib. n. 30. p. 237.*

Tenentur habere ſedem Partui deputatam. *App. Mon. 5. n. 4. p. 262.*

OMENTUM SIVE RETICULA.

Ubi ſitum eſt, & an incidendum in Partu Cæſareo. *l. 2. c. 4. n. 3. p. 70.*

OPINIO. OPINIONES.

Variæ de tempore creationis Animæ. *l. 1. c. 5. a n. 7. ad 11. p. 17, 18. & 19.*

Sentientium Ovulum fœcundari Uermiculo ſeminali, refellitur. *Ib. c. 6. per tot p. 19.*

Aſtrologorum de tempore animationis exploditur. *l. 1. c. 7. n. 1. p. 24.*

Zacchiæ de animatione Fœtus exponitur. *Ib. c. 8. a n. 9. ad n. 17. a p. 30. ad 32. & c. 11. n. 21. p. 43.*

Tyrſi Ganzalez de animatione B. M. V. quæ? *Ib. n. 10. p. 30.*

Ariſtotelis de animatione minùs olim recepta. *Ib. n. 12. p. 31.*

Bruhierii de incertitudine ſignorum mortis, excepta putrefactione, impugnatur. *l. 2. c. 3. a n. 1. ad 10. a p. 65. ad 68.*

Cajetani de Pueris, quos baptizare non poſ-

poſſumus, adjuvandis; quæ. *l.* 4. *c.* 2. *n.* 5. 6. & 7. *p.* 214. & 215.

ORATIO.

Pro Gravidis, & pro Nonnatis, & pro non Baptizatis, quæ? *App. Mon.* 1. 2. & 3. *p.* 251. 253. 254. *Vide* Deus.

ORIGINALE PECCATUM.

S. Auguſtinus in id propendebat, ut opinaretur per traducem propagari. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 9. *p.* 18. & *l.* 3. *c.* 6. *n.* 8. *p.* 142.

Quomodo transfundatur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 11 *p.* 18.

Ab eo Nonnati poſſunt divinitùs mundari. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 3. *p.* 151.

ORGANIZATIO.

Accidentalis, & eſſentialis apud Peripateticos celebris. *l.* 1. c. 8. *n.* 1. & 2. *p.* 27.

OVARIUM MULIEBRE.

Quid ſit, & quomodo fœcundetur. *l.* 1. c. 11. *n.* 5. & 8. *p.* 41. & 42.

Quam connexionem habeat cum Tubis fallopianis. *l.* 3. c. 3. *n.* 25. & 26. *p.* 127. & 128.

Faciliùs ipſi applicantur Tubæ, quàm Ovario volatilium infundibulum. *Ib. n.* 26. & 27. *p.* 128. & 129.

OVIPARA.

Eorum Pulli non egent reſpiratione Matris, ut vivant in Ovo. *l.* 2. c. 11. *n.* 21. *p.* 92.

In Ovi vitello habent cibum ſemel congeſtum. *Ib.* c. 12. *n.* 1. *p.* 54. 91.

OVUM.

Vivipararum. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 2. *p.* 39.

Inſectorum. *Ib. n.* 4. *p.* 41.

Mulierum. *n.* 5. *p.* 41.

Quomodo a virili ſemine fœcundetur. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 3. *p.* 40.

Embryonis principium quo loco in eo ſitum, & quando evadat punctum ſaliens. *Ib. n.* 8. *p.* 42.

Quæ ejus magnitudo, figura, & ſitus. *Ib. n.* 4. *p.* 41.

Humani immaturi, maturi, & fœcundati figuræ. *Ib. n.* 6. 7. & 8. *a p.* 40. *ad* 42.

Labitur in uterum per Tubas, & quando. *ib. n.* 7. & 8. *p.* 41. & 42.

Tertio poſt fœcundationem die quam figuram, & ſitum habet. *Ib. n.* 8. *p.* 42.

Eſt verum Mulieris ſemen. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5. *p.* 48.

Ejus ſecundinæ ſunt Fœtus partes. *Ib.*

Quot invenit matura ſemen virile, tot fœcundat. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 1. *p.* 108.

Altero minori Ovo gravidum obſervatur in Daniâ. *l.* 2. c. 17. *n.* 4. *p.* 109.

Fœcundatum, extra uterum difficilè cadit, & quare. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 25. *p.* 127.

Temporis decurſu ſiccatur, vel decidit. *Ib. n.* 25. *p.* 128.

Si duo Ova matura conglutinantur, naſcuntur Monſtra bicorporea. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 13. *p.* 161.

P

PARENTES.

Eos precentur, ut eorum Proles naſcatur, & baptizetur. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 2. *p.* 216.

Sunt Divinæ providentiæ miniſtri in procreatione Filiorum, & Divinæ charitatis pro iſtorum ſalute adjutores. *Ib. n.* 4. *p.* 217.

Præter eos, cui etiam competat Patris nomen? *Ib. c.* 4. *n.* 1. *p.* 218.

Non pauperes Prolem exponentes ad quid obligentur. *Ib. n.* 18. *p.* 223.

Exponentes Filios patria poteſtate privantur. *Ib. n.* 29. *p.* 225.

In neceſſitate propriam Prolem baptizant, & inter ſe impedimentum non contrahunt. *l.* 4. c. 6. §. 1. *n.* 2. *p.* 231.

PAROCHUS.

Ejus zelus pro Nonnatis neceſſarius. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 1. *p.* 1.

Moneat furtivè Gravidas, quæ Parentes metuunt, ut pro Fœtu ſervando ad ſe confugiant. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 9. *p.* 6.

Eas apud honeſtas Matronas collocet. *Ibid.*

Si hoc non poteſt, ad Laicum Magiſtratum ſecretò recurrat. *Ib.*

Ad eumdem recurrat pro Partu Cæſareo. *l.* 2. c. 15. *n.* 2. *p.* 102.

Niſi

Niſi invigilet, Prolea illegitimæ facillimè peribunt. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 9. *p.* 7.

Populum moneat, ut ſibi Abortum procurantes denuntient, & quando. *Ib. n.* 9.

Gravidas ab Abortu procurando deterreat. *l.* 1. *c.* 2. *a n.* 6. *ad* 13. *p.* 5.

Doceat quanta ſit obligatio charitatis, & juſtitiæ Matrum erga Prolem. *Ib. n.* 4. *c.* 8. *p.* 14.

Doceat Fœtum fortaſſe animari primis diebus conceptionis. *Ib. c.* 5. *n.* 2. *p.* 15.

Moneat, ut fideles omnes baptizandi modum calleant. *Ib. c.* 12. *n.* 1. *p.* 46.

Non admittat ad matrimonium neſcientea modum baptizandi. *Ib.*

Doceat domeſticos, & vicinos cujuſcumque Gravidæ morientis teneri ejus prægnationem ſibi denuntiare. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 2. *p.* 53. *&* *n.* 6. *p.* 54.

Non quieſcat in Gravidæ propinquorum fide, & quare. *Ib. n.* 7.

Interroget de graviditate cum Sacramentum miniſtrat infirmia, vel de ea ſuſpicatur. *l.* 2. *c.* 1. *a n.* 7. *p.* 54.

Idem faciant alii confeſſarii. *Ib. n.* 8.

Moribundam recuſantem graviditatem revelare ne abſolvat. *Ib. n.* 7.

Impendat de ſuo pro Partu Cæſareo. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 10. *p.* 56.

Ad id Parochos hortabatur Sebaſtianus Valfrè. *Ib.*

Per ſe gravidæ morienti ad obitum uſque adſiſtat, & ſecum habeat Peritum pro Partu Cæſareo faciendo. *Ib. n.* 9.

Fœtus extractos cum pompa ſepeliat. *Ib. c.* 13. *n.* 4. *p.* 98.

Funeſtum exemplum ejus abſentiæ. *c.* 14. *n.* 5. *p.* 101.

Ipſe Peritorum defectu Cæſaream Inciſionem faciat. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 2. *p.* 104.

Ipſe ſtipem facienti Inciſionem ſolvat, ſi nullus poteſt, vel vult, ſolvere, & quare. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 10. *p.* 56.

Adſiſtens Gravidæ morienti quid per ſe, quid per alios præſtet. *Ib. c.* 2. *n.* 1. *p.* 58.

Legat, & ſervari curet, quæ monuit Bruhierius. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 11. *p.* 69.

Fidem neque propriis adminiſtris præſtet ſi Fœtuum æternam ſalutem optet, & quare. *Ib. c.* 14. *a n.* 1. *ad* 5. *a p.* 99. *ad* 101.

Ipſi ſub excommunicationis pœna prohibetur gravidam morientem deſerere ab Edicto Epiſcopi Catanenſis. *Ib. n.* 6.

Ab irregularitate, aliiſque pœnis non excuſatur, ſi Gravidam ſepeliri permittat Inciſione non facta. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 1. *p.* 102. *& in App. Mon.* 4. *n.* 9. *p.* 257.

Partum Cæſareum non curantes adhiberi, vel impedientes Epiſcopo denunciet. *Ib. c.* 15. *n.* 1. *p.* 102.

In extrema neceſſitate ipſemet incidat. *l.* 2. *c.* 16. *p.* 103. *per tot.*

Non dicitur Chirurgiam exercere ſi incidat, nec incurrit irregularitatem. *Ib n.* 3. *p.* 104.

Non excuſatur periculo lapsùs in peccatum. *Ib. a n.* 4.

Tenetur Puerum baptizare cum periculo propriæ vitæ. *Ib. n.* 7. *p.* 105.

Partum Cæſareum faciens Deum habebit propitium, & magnam ab eo mercedem conſequetur. *Ib. n.* 11. *&* 12. *p.* 107.

Plures Cæſareæ Inciſionis peritos in ſua parœcia habere ſatagat. *Ib. n.* 12. *p.* 107.

Et ut iſti baptiſmi ritum calleant. *Ib.*

Ipſe Partus Cæſarei efficiendi notitiam acquirat. *Ib.*

Novaculam pro caſibus inopinatis apud ſe teneat. *Ib.*

Et Sacerdotes Populum doceant, quod Abortum procurantes, & Partum Cæſareum negligentes, vel impedientes aliquando plurium homicidiorum rei ſunt. *Ib. c.* 17. *n.* 1. *p.* 108.

In Abortibus abortientis ejectamenta inſpicienda eſſe doceat. *Ib. n.* 12. *p.* 111.

Quid doceat in locis ubi partus multiplicea ſunt frequentes. *Ib. a n.* 1. *ad fin. cap.*

Procuret ſedem partui deputatam, ubi deeſt. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 2. *p.* 113.

Partum Cæſaream viventi prudenter ſuadeat, ubi neceſſitas poſtulat. *Ib. c. 5. n. 3. p. 136 & n. 4 p. 137.*

Fideles moneat, ne matrimonio jungantur; niſi confeſſi, & communione refecti, & ut nuptialem benedictionem accipiant. *l. 4. c. 1. n. 8. p. 209. & 210.*

Futuros Sponſos erudiat de rebus ad matrimonii Sacramentum ſpectantibus, circa pudicitiam juxta Ritualis, & Miſſalis præſcriptum, & quando. *Ib. p. 210.*

Quas ſervabit regulas in examinando Pueri Baptiſmo domi in neceſſitate collato. *l. 4. c. 7. n. 13. & ſeq. p. 241. & 242.*

Prædicet Natos citiſſimè baptizandos in Eccleſia. *Ib. n. 19.*

Non permittat Baptiſmum a quolibet conferri ſine ſua, aut adjutorum ſuorum aſſiſtentià. *Ib n. 20.*

Aſſerens in ſua Paræcia nunquam fuiſſe neceſſarium Partum Cæſareum non eſt credendus. *Ib. c. 8. §. 1. n. 244*

Vide Abortus.

PARTURIENS.

Debet locari in ſede partui deputata; *l. 3. c. 1. n. 2. p. 113.*

Sede deficiente ubi locanda in partu præſertim difficili. *Ib. p. 114.*

Ipſi Maritus Obſtetricis munus præſtat in America. *Ib. n. 3.*

Ferè infallibiliter parit uſu aquæ gelidæ, & nivis ad carnem applicatæ ex Siciliæ experimentis. *Ib.*

Ipſi interdum medicamina non juvant & quare. *Ib.*

Quomodo juvanda in partu difficili ob naturalem vaginæ uteri anguſtiam. *Ib. c. 4. n. 8. & 9. p. 130.*

PARTUS.

Retardati ratio, & exempla. *l. 2. c. 8. n. 4 p. 80.*

PARTUS CÆSAREUS DEFUNCTARUM.

Expreſsè præcipitur a Rituali Romano. *l. 2. c. 1. n. 3. p. 53.*

A natura ipſa inſinuatus, & ab utroque Jure præceptus. *Ib. n. 4. p. 54. & App. Mon. 5. p. 261.*

Innumeros a morte vindicavit magno Eccleſiæ, & Reipublicæ bono, & quomodo. *Ib c. 5. n. 3. p. 73.*

Eum efficere poteſt Barbitonſor, vel Obſtetrix. *Ib. c. 1. n. 9. p. 55.*

Statim peragendus Prægnante mortua. *l. 2. c. 2. n. 5. p. 59. & c. 5. n. 1. p. 72.*

Chirurgo ut tutiori miniſtro reſervatur. *Ib. n. 10. p. 56.*

Pro eo qui mercedem perito ſolvere tenetur. *Ib.*

Qui eum non præſtat ob humanum finem graviter peccat. *Ib.*

Ab omnibus perfici commodè poteſt. *Ibid.*

Faciendus non expectata putrefactione defunctæ. *l. 2. c. 3. n. 7. p. 67.*

Eum negligentes ob timorem ne ſit vivens prægnans peccant. *Ib. n. 8.*

Quomodo inſtituendus, & a qua parte. *Ib. c. 4. n 1 p. 69.*

Quam profunditatem habeat, & quam lineam ſervet. *Ib. n. 2. p. 70.*

Non faciendus ante Matris mortem, ut quidam falsò putant. *Ib. c. 2. n. 4. p. 59.*

Pretextu temporis elapſi a morte gravidæ non eſt omittendus. *Ib. c. 5. p. 72.*

Faciendus etiam pro Fœtu minore. *c. 7. p. 76.*

Eſt rarior in graviditate a partu remota, & quare. *Ib. c. 7. n. 2. p. 76. & 77.*

Utrum faciendus etiam in graviditatis initio, & ubi ea ſolitum tempus exceſſerit. *Ib. c. 8. p. 79. & 80.*

In Noſocomiis faciendus etiam primis graviditatis diebus, & quare. *Ib. n. 3. p 79.*

Nihil detrimenti affert, etiam ſi fiat Fœtu in utero mortuo. *l. 2. c. 13. p. 96.*

Ut opportunè fiat; ad quos ſpectat? *Ib. c. 14 n 1. p. 99.*

Scelus eſt illum impedire, vel negligere. *l. 2. c. 14. n. 2. & 3. p. 110. & c. 15. n. 1. p. 102.*

Perititiam tribuit Chirurgis, & Obſtetricibus. *Ib. n. 4. p. 103.*

Ignoratur in pluribus regionibus, in aliis ne-

negligitur. *Ib. n.* 3. *p.* 100.
Impeditur ſepè ab illis qui eum promovere tenentur. *Ib. n.* 4. *p.* 101.
Sacerdotis incuriâ omiſſus, abſente Parocho puer vivus perit. *Ib. n.* 5.
A Laico Magiſtratu promovendus, & quare. *Ib. c.* 15. *n.* 3. & 4. *p.* 103.
In neceſſitate a quocumque ſaciendus etiam a Sacerdote, maximè Parocho. *Ib. c.* 16. *n.* 1. *p.* 103.
Ejus omiſſio vel impeditio quandoque plura continet homicidia. *Ib. c.* 17. *n.* 1. *p.* 108.
Eum prohibens Iræ divinæ ſcopus efficitur. *Ib. c.* 17. *n.* 36. *p.* 111.
Plura de Partu Cæſareo. *in App. Mon.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.
Vide Chirurgus, Obſtetrix, Parochus.

PARTUS CÆSAREUS VIVENTIUM.

Ut fiat in Partubus deſperatis Bruhierius optat. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 10. *p.* 69.
Non fit, niſi ſeptimeſtrium, & ultra, & quare. *Ib. c.* 7. *n.* 1. *p.* 76.
A Medicis propoſitus ne Fœtus pereant. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 5. *p.* 115.
Eſt matri periculoſus, ſed Fœtui ſalutaris. *Ib.*
Sæpè Matrem liberat a morte certa. *Ib. p.* 116.
Ab eo veteres abhorrebant, & quare. *Ibid.*
Ab eo patiendo quidam gravidas excuſabant, & qui. *Ib.*
A quibus inventus, impugnatus, illuſtratus, & propagatus. *Ib. n.* 7. 8. & 9. *p.* 116. & 117.
A quo damnatus, & odio habitus. *Ib. n.* 10. & 11. *p.* 117.
Experimentis felicibus promotus, & illuſtratus. *Ib. n.* 12. & 13. *p.* 117. & 118.
Etiam Quadrupedibus ſalutaris, & quomodo. *Ib. n.* 16. *p.* 119.
Ejus omiſſione pereunt plures, qui ſalvari poterant. *Ib. n.* 17. *p.* 119.
Laudatus, & præſcriptus a Protomedico Regni Siciliæ. *Ib. p.* 120.
In Partubus deſperatis hodiè communiter a Medicinæ Scriptoribus laudatus. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 6. & 16. *p.* 116. & 118.
Et nihilominus in praxi neglectus. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 17. *p.* 120.
An competat in ſola generatione vitioſa, & ventrali. *Ib. n.* 4. *p.* 121.
An competat etiam in generatione naturali. *Ib. n.* 3.
In eo non ſolum Abdomen, ſed uterus abſque damno ſecatur. *Ib. toto c.* 3. *p.* 121.
Ex Simonio tutior eſt in eo uteri Inciſio, quàm Abdominis. *Ib. n.* 23. *p.* 127.
Non parit ſpaſmos, & hemorrhagias copioſas. *Ib. n.* 24.
In quibus caſibus competit. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 1. *p.* 129.
An competat cum Fœtus eſt mortuus in Ovario, aut in Tubis. *Ib. n.* 3. *p.* 130.
Competit mortuo Fœtu in utero, qui alio modo extrahi non poteſt. *Ib. n.* 4.
Competit ſi Prægnans parere non poteſt ob malam oſſium conformationem, vel Fœtus ex utero in ventrem proſiliit. *Ib. n.* 6. & 7. & *n.* 14. 15. & 16. *p.* 130. & 131.
An competat cum Fœtus manet partim in utero, & partim in Abdomine. *Ib. n.* 17. & 18.
Quando faciendus in generatione ventrali. *Ib. n.* 19. & *ſeq. p.* 131.
An faciendus quando Fœtus maturus eſt mortuus, & immaturus ex ſuperfœtatione eſt vivus. *Ib. n.* 27. *p.* 132.
Faciendus ubi abſceſſum natura fecit in prægnante. *Ib.*
Quid ſi Fœtus conceptus ſit in Pelvi. *Ib. n.* 28. *p.* 133.
An fiat cum Fœtus eſt in interiori Ovarii ſubſtantia. *Ib. n.* 29. *p.* 133.
Ejus faciendi methodus. *Ib. n.* 38. *p.* 134.
Eum pati tenetur prægnans ſub gravi, & quando ex Rainaudo. *Ib. n.* 39. & 40. *p.* 135.
Spectat ad præceptum charitatis. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 1. *p.* 136.
Rationes ad eum Prægnantibus ſuaden-

dum, & quomodo ſuadendus. *Ib. tot. c. 5. p. 136. & ſeq.*
Doctrina Rainaudi defenditur ab objectione Bodovvingerii. *l. 3. c. 5. p. 136.*
A Sicula pragmatica ſanctione præmotus, & commendatus. *l. 4. c. 4. n. 1. p. 218. App. Mon. 5. p. 263.*
Vide Fœtus, Infans, Chirurgus, Parochus.

PARTUS DIFFICILIS.
Quomodo coadjuvandus. *l. 3. c. 1. a n. 1. ad 5. p. 113.*

PARTUS NUMEROSUS.
Ejus exempla varia. *l. 2. c. 17. p. 108.*
Margaritæ Comitiſſæ Flandriæ. *Ib. n. 7. p. 110.*

PARVULUS.
Relatio de Parvulo ſub defuncti larva naſcente *App. Mon. 16. p. 295.*
Vide Fœtus, Infans, Nonnati.

PECCATUM ORIGINALE.
Quid ſit. *l. 1. c. 6. n. 19. p. 23.*
In prima nativitate, quæ fit in utero, id eſt generatione contrahitur. *l. 3. c. 6. n. 10. p. 142.*
Parentum in filiolis punitum. *l. 4. c. 2. a n. 7. p. 209.*
Vide Originale peccatum.

PELAGIANI.
Pueros Originali peccato non inquinari docebant. *l. 3. c. 7. n. 4. p. 147.*
Tertium locum dabant Pueris ſine Baptiſmo mortuis. *Ib.*
Baptiſmum Pueris a Chriſtiana Matre natis neceſſarium eſſe negabant. *ibid.*
Baptizatà Matre Gravidà baptizari etiam Fœtum credebant. *Ib. p. 48.*
Somniarunt Pueris Baptiſmum prodeſſe, licet in ſeipſis lavari non poſſint. *l. 3. c. 8. n. 11. p. 155.*

PERIPATETICI.
Naturæ arcana rimari neglexerunt, & quare. *l. 1. c. 5. n. 4. p. 16.*

PERITONÆUM.
Quid ſit, & quomodo in Partu Cæſareo ſcindatur. *l. 2. c. 4. n. 2. p. 70.*

S. PHILIPPUS NERIUS.
Solitus orare pro Nonnatis, ne ſine Baptiſmo perirent. *l. 4. c. 3. n. 2. p. 216.*

P H Y S I C A.
In multis obſcura. *l. 1. c. 5. n. 4. p. 16.*

P I S C E S.
An reſpirent. *l. 2. c. 11. n. 5. p. 86.*

P L A C E N T A.
Adnaſcitur Chorioni, & quid ſit. *l. 2. c. 11. n. 2. p. 85.*
Utero adnectitur, & quando. *Ib.*
Cum congenito Ovo Muliebri, quomodo creſcat, & quid contineat. *Ib.*
Ejus munia quot, & quæ ſint. *Ib. n. 3. p. 86.*
In Nonnatis præſtat idem, quod Pulmo in Natis. *Ib.*
Vocata propterea pulmo uterinus. *Ib.*
Eà ab utero multo ante Nativitatem divulsà, & egreſsà Fœtus naſci ſolet mortuus, & quare. *Ib. n. 10. p. 88.*
Eſt naturæ ſpongioſæ. *Ib. n. 16. p. 90.*
Cum vaſis umbelicalibus concurrit ad motum ſanguinis in Nonnato. *Ib. n. 20. p. 91.*
Quandonam formetur, & utero annectatur. *l. 2. c. 12. n. 3. p. 93.*
Ejus carunculæ, ſi premantur lacteum liquorem reddunt. *Ib. p. 93. & 94.*
Qualis evadat in fine graviditatis. *Ib.*

P L A N T Æ.
Videntur hermaphroditæ. *l. 1. c. 11. n. 21. p. 44.*
Quando vivere incipiant. *Ib.*
Gaudent circulatione ſucci nutritii. *l. 2. c. 11. n. 5. p. 86.*
Vide Arbores.

PLAZZA BENEDICTUS E SOC. JESU.
Abortivorum cauſæ favet. *l. 1. c. 12. n. 16. p. 51.*

P Œ N A.
Inflicta Abortum procurantibus, carnalia delicta impedit. *l. 1. c. 2. n. 12. p. 8.*
Pro Abortu, & omiſſione Partus Cæſarei in Sicilia quæ. *Ib. c. 9. n. 2. p. 34.*

p. 34. & *App. Mon.* 4. *p.* 255.
Excommunicationis in prohibentes, vel negligentes Partum Cæſareum lata ab Epiſcopis Siciliæ. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 1. *p.* 102.
Vide Epiſcopus, Magiſtratus, Pragmatica, Infantes,

PRÆDESTINATIO.

Etiam in Infantibus elucet. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 6. 7. & *ſeq. p.* 209.

PRÆGNANS.

Exemplo B. M. Virginis juvanda. *l.* 1 *c.* 1. *n.* 5. *p.* 3.
Cum peperiſſet prolem, non baptizatam occidit. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 6. *p.* 59.
A primo menſe ad quartum poteſt tutò flebetomiam pati. *Ib. c.* 4. *n.* 2. *p.* 12.
Tenetur manifeſtare extra Confeſſionem graviditatem, quamquam illicitam pro Partu Cæſareo. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 7. & 8. *p.* 54.
Ejus propinqui tenentur mercedem ſolvere. *ibid n.* 10. *p.* 56.
Eam fuſtigare, torquere, & ad oſtentum circumducere illicitum. *l.* 2. *c.* 1 *n.* 11. *p.* 57.
Exempla ex Actis SS, Martyrum. *ib.*
Infidelis mortua eſt ſecanda, Marito etiam recuſante, ut Proles baptizetur. *ibid. n.* 12. *p.* 57.
Quacumque morte pereat ſemper eſt ſecanda. *ibid. n.* 13.
Veneno extincta inciſa Fœtum vivum protulit. *ibid. p.* 58.
Fulmine occiſa poſt duas a morte horas ſecata, cui Fœtus vivus eruitur. *ibid.*
Sepulta eſt educenda, & ſecanda. *ib.*
Ventris calor in ea mortua conſervandus. *ib. c.* 2. *n.* 1. *p.* 58.
Interdum prope mortem parit. *ibid. n.* 2.
Utrum ejus ori imponenda fiſtula arundinea, & vagina aperta conſervanda. *ib. n.* 3.
Poteſt videri mortua, cum non ſit, ejuſque exemplum Palmenſe. *ib. n.* 6.
Secanda eſt probata priùs ejus morte, & quomodo. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 7. & *ſeq. p.* 59.
Ejus mors ex morbo acuto quomodo probetur. *ibid. n.* 10 *p.* 60. & 61.
Ejus venter poſt mortem quomodo ſecandus. *ibid. n.* 13. *p* 62.
Ejus Naribus candelæ flammula admovenda, & quare. *ibid.*
In repentinis ejus mortis indicia quæ ſint. *ib. n.* 14 & 63.
Repentinè mortua quomodo ſecanda. *ibid. p.* 63.
Repentinè mortua, & certa mortis ſigna non habens juvanda, & quibus. *ib. n.* 15. & 15. *p.* 63. & 64.
Hyſterica repentinè mortua quando ſecanda. *ibid. n.* 14.
Repentinè mortua, ſed nullo certo mortis ſigno prædita, non eſt ſecanda, etiamſi plures dies effluxerint. *ibid. n.* 17. *p.* 64.
Si ſecetur vivens, poſtquam habita fuit mortis certitudo moralis, ejus ſectio non eſt peccatum. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 8. *p.* 67.
Quomodo ejus ſectio inſtituenda. *ib. c.* 4. *n.* 1. *p.* 69.
An in principio graviditatis ſecanda. *ib. c.* 8. *p.* 79.
Si ante mortem mandaſſet, ut ſecaretur, non obſtante prægnatione paucorum dierum, eſt ſecanda. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 3. *p.* 79.
Nonum menſem magno ſpatio prætergreſſa ſi moriatur, an ſecanda. *ibid. n* 4. *p.* 80.
Tenetur abſtinere a noxiis Fœtui etiam in dubio, an ſit animatus. *ibid. c.* 10. *n.* 5. *p.* 84.
In dubio vitæ Fœtus eſt ſecanda. *ib.*
Si crocum comedat, ſtatim eo tingitur Fœtus, & quare. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 3. *p.* 94.
Aliquando diù ſui Fœtus motum non percipit. *c.* 13. *n.* 1. *p.* 96.
In illegitima etiam prægnatione incidenda. *c.* 14. *n.* 3. *p.* 100. & *in App. Mon.* 4. *n. viii. p.* 257.
Ejus mortuæ prægnatio illegitima ab omnibus ſcientibus revelanda. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 3. *p.* 100. & *in App. Mon.* 4. *n.* 4.

Sub gravi tenetur pati uteri dilatationem per ſpeculum matricis, & quando. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 3. *p.* 115.
Vivens excuſabatur a priſcis Medicis a ſectione ſubſtinenda, & quare. *ib.* *n.* 5. *p.* 116.
Ejus inciſio inventa, ne Fœtus in æternum pereat. *ibid.* *n.* 5. *p.* 115.
Vivens inciſa non amittit fœcunditatem. *ib.* *n.* 15. *p.* 119.
Vivens ad inciſionem tenetur pro Fœtus vità ſpirituali. *ib.* *n.* 6. *p.* 116. & *l.* 3. *c.* 4. *n.* 40. *p.* 135.
Si Fœtus eſt certè mortuus, non eſt vivens ſecanda. *ib.* *c.* 1. *n.* 6. *p.* 116. & *c.* 4. *a* *n.* 2. *p.* 129.
Cui vaginæ uteri anguſtia, calloſitas, vel ulcus partum impedit, an vivens ſecanda. *l.* 3. *c.* 4. *a* *n.* 8. *ad* 13. *p.* 130.
Vivens quomodo incidenda, & curanda. *ibid.* *n.* 38. *p.* 134.
Capitis damnata non eſt ſecanda, ſed expectandus ejus partus. *ibid.* *n.* 42. *p.* 35.
Toto prægnationis tempore Sacramenta frequentet. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 2. & 3. *p.* 216. & 217.
Tenetur in conſcientia guſtare quidquid appetit. *ib.* *c.* 6. § 8. *n.* 3. *p.* 234.

PRAGMATICA SANCTIO SICULA.

Procurantes Abortum punit ut homicidas. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 12. *p.* 8. *c.* 9. *n.* 2. *p.* 34.
Statuit faciendum Partum Cæſareum defunctarum, & viventium. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 1. *p.* 218.
Et a quibus faciendum. *App.* *Mon.* 4. *n.* 1. & 2. *p.* 256.
Quid Chirurgis præſcribit, quid vetat. *Ib.* *n.* 3.
Quas pœnas ſtatuit non revelantibus defunctæ graviditatem. *Ib.*
Vide App. Mon. 4. per tot. a p. 256. *ad* 260.

PRINCIPES.

Et Domini Pagorum tenentur conducere Phyſicos, & Chirurgos, qui ſubditis aſſiſtant, & quare. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 8. *p.* 137.
Et ſatagere ut erudiantur de Partu Cæſareo faciendo, & artis habeant inſtrumenta. *Ib.* *n.* 9. *p.* 138.
Ut Patriæ Patres ex officio tenentur curam gerere Nonnatorum. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 1. *p.* 218.
Curare debent, ut Partus Cæſareus veniat in uſum. *ibid.*
In quo ea cura conſiſtat. *ibid.*
Ad eos præcipuè cura Projectorum ſpectat. *ibid.* *n.* 2. & 3. *p.* 219.
Hanc ſi ſuſcipiunt Divinam Miſericordiam imitantur, & conſequuntur. *ibid.* *n.* 4.

PRIVATIO MOTUS.

In Embryone paucorum dierum eſt maximè fallax mortis indicium, & quare. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5. *p.* 48.
Non arcet Baptiſmo conditionato Embryonem paucorum dierum. *Ib.*
In Abortivis non conquiſita, laceris, aut corruptis non vetat, quin conditionatè baptizentur. *l.* 4. *c.* 6. §. 4. *n.* 5. *p.* 233.
Vide Baptiſmus, Infans, Embryo.

PROJECTI, SIVE EXPOSITI.

Eorum cura neceſſaria ad impediendos Abortus. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 3. *p.* 219.
Quàm Deo grata. *ibid.* *n.* 4.
A principibus adjuvandi, & quomodo. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 3. & 4. *p.* 219.
S. Vincentii a Paulo in eos charitas. *ibid.* *n.* 5.
Quæ mala ſequuntur, ſi negligatur *ibid.*
Eorum cura ad Univerſitates ſingulas præcipuè pertinet, ubi deſint Noſocomia. *ib.* *a* *n.* 6. *p.* 220.
Eorum corporis, & Animæ indigentia eſt extrema. *ibid.*
A quibus de jure alendi. *ibid.*
Pro ipſorum alimentis an, & quando imponendæ ſunt collectæ. *ibid.*
Si nullo modo ali poſſint, tenentur Domini loci, aut Rex eos alere, & quare. *ibid.*
Ad eos excipiendos deſignanda ſunt loca cum rota, & tintinnabulo. *ib.* *n.* 7. 8. & 9. *p.* 221.
In territorio Civitatis inventi ad ipſam ſunt deferendi. *ib.* *n.* 11.

Eorum inventores quid jurare tenentur. *ibid. n.* 12.
Inventi ſunt illico ad Parochum deferendi pro Baptiſmate, & quo nomine vocandi. *ib. n.* 14. *p.* 221.
Noſocomia ad eos excipiendos deſtinata in quibus debent eſſe inſtructa. *ibid. n.* 15. *p.* 222.
Sunt conditionstè baptizandi, etiamſi habeant ſchedulam de Baptiſmo teſtantem. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 16. *p.* 222.
Sunt ſignandi ſtemmate. *ibid. n.* 17. *p.* 222.
Eorum Parentes non pauperes tenentur alimenta compenſare: ſed numquam inquirendi. *n.* 18. *p.* 222.
Si ſunt legitimi, & conſtant Parentes, eis reſtituantur. *ibid.*
Eorum Nutrices. *n.* 19. *p.* 222.
Nutricum viſitatio, & Præfecta. *ibid. n.* 20. *&* 21.
Cautelæ in Projectorum translatione. *ibid. n.* 22. *&* 23.
Expedit ut ad Urbem Epiſcopalem tranſmitti poſſint, expenſis propriæ Univerſitatis alendi, *ibid. n.* 24. *p.* 224.
Parochorum induſtriæ ut a piis Matronis alantur. *n.* 25. *p.* 224.
Adulticrum educatio. *n.* 26. *p.* 225.
Ut Nutrices inveniantur, quæ Parochi erit induſtria. *ibid. n.* 25.
A quo inſtruendi, & quare, *ibid. n.* 26. *p.* 225.
Ipſis jura omnia favent, & in quibus. *Ib. n.* 27.
Sunt ingenui, & putantur legitimi, & Matriti etiam nobiles. *ibid.*
Eos exponentes reſpectivè privantur Dominio, Patronatu, Patria Poteſtate, & extremis pœnis ſubijciuntur. *ib. n.* 29. *p.* 225.
Et ſi exponant pravo conſilio, ut illi pereant, etiſm effectu non ſequuto, homicidii pœnà puniuntur. *ibid.*
Eos excipientes non poſſunt in ſervitutem redigere, vel in ſtatum Libertinorum, Adſcriptitiorum, vel Colonorum. *ibid. n.* 30. *p.* 226.
Sub Epiſcopi Eccleſiæ, Principis, & Magiſtratuum protectione morantur. *ibid. n.* 31.
Pro ipſis in unoquoque Oppido Deputatio eſſet erigenda, & quare, & alia generalis in Civitate Metropolitana, & quæ ejus munia. *Ib. n.* 33. *p.* 226.
De ipſis quid præſcribant ſtatuta Sicula. *ibid. n.* 33. *p.* 226. *& in App. Mon.*
Ferè quadrigenti quotannis ſine Baptiſmo peribant tempore S. Vincentii a Paulo Pariſiis, & quomodo. *l.* 4. *c.* 8. *n.* 3. *p.* 247.
Varia de Projectis. *Ib. c* 4. *per tot.*, *& in App. Mon* 13. *a p.* 288. *Mon.* 14. *a p.* 290. *& Mon.* 15. *a p.* 292. *& Ann. ad d. Mon.* 15. *p.* 294.
Vide Obſtetrices, Baptiſmus, Nutrices, Noſocomia, Epiſcopi, Parochus.

PROPINQUI.

Et domeſtici peccant Parochum non monentes de Morientis prægnatione, eamque tenentur vicini revelare. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 6. *p.* 54.
Impedientes Prægnantis defunctæ inciſionem cæſaream graviter peccant, & ſunt homicidæ Corporis, & Animæ Fœtus. *ibid. c.* 15. *n.* 1. *p.* 102.

PROTOMEDICUS SICILIÆ.

Quid præcipiat, & vetat in ſuo Edicto. *App. Mon.* 5. *per tot. a p.* 261.

P U E L L Æ.

Furtivè Gravidæ a Parochis juvandæ in quo, & quomodo. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 9. *p.* 6.
Vide Parochus, Prægnans.

P U E R.

Vide Fœtus, Infans, Parvulus, Nonnati.

PUERPERA.

Spretis minis Parvulum non baptizatum occidit, ac ſepelit. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 9. *p.* 6.
Prolem in Cloacam projicit: quæ viva extracta baptizatur. *ibid.*
Proprio lacte Natos nutriat, & quare. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 9. *p.* 14. *& l.* 4. *c.* 6. §. 8. *n. xiv. p.* 235.

PUL-

PULLUS PULLI.

Quando incipit moveri, ut animal. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 22. *p.* 44.

Vivit etiam ante incubationem. *ibid. n.* 23.

Punctum ſaliens ipſius trium, vel quatuor dierum ab Ovo extractum, diu vivit, & totum vitam manifeſtat. *ib. c.* 12. *n.* 6. *p.* 49.

Pipionum lacerati ſine ullo vitæ ſigno ſoti ſurrexerunt & diu vixerunt. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 4. *p.* 164.

PULMONES.

Suntne flabella ad refrigerandum cor, an potius folles. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 4. *p.* 86.

Quis eorum uſus in Natis. *ibid.*

Sunt naturâ ſuâ rari, & ſpongioſi. *ib.* n. 15. p. 90.

PUNCTUM SALIENS.

Et gemmula quid. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 21. & 22. *p.* 43.

Quo minus formatum eo diutius vivit. *ibid. c.* 12. *n.* 6. *p.* 48.

R

S. RAIMUNDUS NONNATUS.

POſt tres dies a Matris morte vivus extractus. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 6. *p.* 98.

RECENTIORES.

Naturæ arcana præſidentiùs explicarunt. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 4. *p.* 16.

REGENERATIO.

Et nova Nativitas quoad Baptiſmum Synonima ſunt. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 11. *p.* 143.

REGULARES.

Ante Fœtus extractionem Gravidam ſepelire nequeunt. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 5. *p.* 102.

RELATIO.

De Parvulo ſub defuncti larva naſcente. *App. Mon.* 16. *p.* 295.

RESPIRATIO.

Quare homini neceſſaria. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 4. *p.* 86.

Ejus defectus in Natis eſt mortis indicium, non ſic in Nonnatis, & quare. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 4. *p.* 175.

RESURRECTIO.

Plurium Abortivorum an vera. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 1. *p.* 96.

RETICULA. *Vide* OMENTUM.

RITUALE ROMANUM.

Non contradicit citæ animationi. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 5. *p.* 38.

Cum S. Carolo Borromeo, & pluribus Synodis expreſsè præcipit Partum Cæſareum defunctarum. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 3. *p.* 53.

RITUS.

Sepeliendi Gravidas cruribus divaricatis cum Acu, & filo, unde ortus. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 1. *p.* 74.

RONCAGLIA CONSTANTINUS.

Favet Baptiſmo Abortivorum. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 15. *p.* 51.

Et Nonnatorum. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 16. *p.* 157.

ROTA.

Ad excipiendos Projectos erigenda ubi, & quomodo. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 10. *p.* 221.

Ad ejus curam deſtinati quæ in promptu habere debeant. *ibid. n.* 15. *p.* 222.

Ut perpetuò pateat, Parochi invigilent, & Fiſci munus impleant, *ibid. n.* 32. *pag.* 226.

S

SACRA SCRIPTURA.

AN diſtinguat Fœtum animatum ab inanimato. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 2. *p.* 33.

SANCTIFICATIO IN UTERO.

Quibus conceſſa. *l.* 4. *c.* 2. *n.* 1. & 2. *p.* 212.

Poteſt mediis actibus ſalutaribus, vel ſine, difficiliùs tamen, accidere. *ib.*

SANGUIS.

Pro circulatione in Nonnatis an egeat reſpiratione, ut in Natis. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 3. & *ſeq. p.* 86.

Suo

Digitized by Google

Suo motu naturalem calorem promovet. *ib. n.* 4.

Quomodo per totum corpus excurrit in Natis, & quibus viis. *ibid. n.* 6. *p.* 86.

Quibus verò in Nonnatis, eorumque quoad hoc differentiæ. *ibid. a n.* 7. *ad* 12. *p.* 87 *&* 88. *& n.* 20. *p.* 91. *& l.* 3. *c.* 13. *n.* 3. *p.* 175.

A ſinu venę portæ per canalem proprium ad venam cavam commigrat. *ib. n.* 10. *p* 88.

Utrum cum materno circulet. *ibid. n.* 22. *p.* 92.

SCOTUS.

Non adverſatur Baptiſmati in utero. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 6. *p.* 152.

SEBASTIANUS VALFRE'.

Quis, & quomodo Partum Cæſareum promovebat. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 10. *p.* 57.

SECUNDINÆ.

Quomodo lacerandæ. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 1. *p.* 138.

Utrum obſtent Baptiſmati. *c.* 8. *n.* 18. *p.* 157.

Vide Obſtetrix.

SEMEN VIRILE.

Quomodo Ovum muliebre fœcundet. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 3. *p.* 40.

SYPHUNCULUS.

Ad baptizandum in utero. *l.* 3. *c.* 6 *n.* 2. *p.* 139.

SPECULUM MATRICIS.

Ejus uſus. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 3. *p.* 114.

SPONSI DE FUTURO.

Non cohabitent. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 8. *p.* 209. *& in App. Man.* 8. *n.* 1x. *p.* 270.

SUAREZ FRANCISCUS.

Non contrarius Baptiſmo Nonnatorum. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 8. *p.* 153.

SUBMERSI.

Aliqui ab Aquis erepti cur a Morte apparente ad vitam ſunt reverſi. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 17 *p.* 64.

Lucas Tozzi putat eos, & laqueo ſuffocatos poſſe adhuc per duas horas ſupervivere, & juvarj, & quomodo. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 1. *p* 193. *&* 194.

Etſi omni vitali motu deſtituti, non ſemper ſunt mortui. *ib. c.* 20. *per tot. a p.* 195. *ad* 199.

Eos ſub aquis diu vixiſſe exempla demonſtrant. *ibid.*

Ex aquis erepti, ſunt ſemper juvandi, ſi non ſunt corrupti, & quibus auxiliis, & quomodo. *ib. c.* 22. *a n.* 1. *ad* 13. *a p.* 202. *ad* 205.

Eſt ipſis nociva ſuſpenſio inverſo capite, niſi ad modicum tempus. *ib. n.* 4 5. *&* 6. *p.* 203.

Eorum rotatio eſt inutilis. *ib. n.* 5.

Cum ex aquis educuntur quomodo, & ubi collocandi. *ib. n.* 6.

Ex vena jugulari ſanguinis emiſſio ipſis competit. *ib. n.* 7. *p.* 204.

Quomodo vomitus procurandus. *ibid. n.* 10. *p.* 204. *& n.* 17. *p.* 205.

Quæ epithemata competant. *ibid. n.* 11. *p.* 205.

Qui mortui videbantur ſi ſuſpirium emittunt facilè recuperantur. *ib. n.* 17.

Ipſis medicamina ſunt conſtanter proſequenda, etiamſi nulla ſpes ſalutis appareat, & quare. *ibid. n.* 18. *p.* 206.

Sanati plurimi in Noſocomiis continuatione medicamentorum, contra verò in Domibus, & quare. *ibid. n.* 19. *&* 20.

Non ſepeliendi niſi poſt longas perveſtigationes. *ibid.*

SUPERFŒTATIO.

An detur. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 9. *&* 10. *p.* 110.

SUSPENSI.

Laqueo, eo ſecto vitam aliquando recuperarunt. *l.* 3. *c.* 19. §. 13. *n.* XLV. *&* XLVI. *p.* 193. *& c.* 20. *n.* 17. *p.* 199.

THEO-

T

THEOLOGI, CANONISTÆ, ET JURISPERITI.

Ne nimiùm fidant libris Medicis. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 4. *p.* 28.
Antiqui, & celebres qui videntur negare Baptiſmum in utero, explicantur. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 7. *p.* 153.
Sorbonici illi favent. *ib. n.* 16. *p.* 157.

TESTUDO.

Immania ſine ulla reſpiratione dies viginti vixit. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 5. *p.* 201.

TEXTUS.

Apoſtoli *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori* quomodo intelligendus. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 15. *p.* 145.

S. THOMAS.

Baptizari vetat Nonnatos, qui tamen phyſicè in ſe ipſis lavari non poſſunt. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 4. *p.* 151.

TRACHEOTOMIA.

Quæ ſit, & an competat Submerſis. *l.* 3. *c.* 22. *a n.* 11. *ad* 14. *p.* 204. & 205.

TUBÆ FALLOPIANÆ.

Quomodo Ovario applicentur. *l.* 3. *c.* 3. *a n.* 15. *p.* 127.

V

VALLISNERIUS ANTONIUS.

Ejus opinio circa locum ubi ſit Fœtus. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 2. *p.* 39.

VERMIS VERMES.

In Viri Semine reperti. *l.* 1. *c.* 6. *per tot. a p.* 19.
An ſint humanæ ſpeciei. *Ibid. n.* 3. & 4. *p.* 20.
Non ſunt principium humanæ generationis. *ib. a n.* 5.
Ad quid videantur deſtinati. *ib. n.* 5.
Vermes qui tranſmutantur evadunt prius Nymphæ. *n.* 8. *p.* 21.
Vivus inventus in maſſa marmorea Panormi. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 1. *p.* 207.
Vide Vir, Wolphius.

VINSLOVIUS.

Quid de Ovali foramine ſentit circa Sanguinis circulationem in Nonnatis. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 31. & *ſeq. pag.* 88. & 89.

VIR.

Ad Ovum Fœmineum fœcundandum non immittit vermiculum animatum. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 1. & 2. *p.* 19.
Etiam Doctiſſimus in improviſis confunditur, eligitque pejora. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 3. *p.* 104.
Tenetur ſub gravi fungi Obſtetricis officio, quando nequit aliter ſalvari Fœtus, & Mater. *ib. n.* 8. 9. 10. *p.* 105. & 106.

VITA.

Spiritualis proximi noſtræ temporali anteponenda. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 4. *p.* 104.

WOLPHIUS.

Ejus Syſtema de vermibus ſeminalibus impugnatur. *l.* 1. *c.* 6. *a n.* 3. *ad* 13. *p.* 20. 21. & 22.

UTERUS.

Ejus vagina cur aperta ſervandà in Gravidis defunctis. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 3. *p.* 59.
Ejus ſitus, & magnitudo in Gravidis. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 2. *p.* 70. & *l.* 3. *c.* 3. *n.* 12. *p.* 123.
Non eſt æqualis magnitudinis in Gravidis. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 2. *p.* 70.
Quomodo ſecandus, ne Fœtus occidatur. *ibid.*
In ſuo ſtatu naturali fabà non eſt major, & quomodo creſcat. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 2. *p.* 120.
Ejus vulnus quando lethale. *Ibid. c.* 3. *n.* 11. *p.* 123.
Ex ſe ipſo in Partu Cæſareo reſtringitur ablato Fœtu. *ib. n.* 13.
Viventis inciſus non eſt ſuendus. *ibid. n.* 12. *p.* 124.
Reſcindi, vel cadere poteſt Muliere ſal-

Digitized by Google

ſalva. *l.* 3. *c.* 3. *a n.* 13. *p.* 124.
Ejus vaginæ anguſtia, cicatrices, tumor, calloſitas, cum partum impediunt, quomodo ſuperanda. *ibid. c.* 4. *a n.* 8. *ad* 13. *p.* 130. & 131.
Suà figurà phialam inverſam imitatur. *Ibid.*
Duo habet in vaginà orificia. *ib. c.* 6. *n.* 1. *p.* 138.
Vide Partus Cæſareus, Prægnans.

URACUS.

Quid. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 2. *p.* 85.

URRACA.

Regina Navarræ a Guevara inciſa Garſiam protulit. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 10. *pag.* 106.

Z

ZACCHIAS.

QUibus probet Animam illico poſt Conceptionem infundi. *l.* 1. *c.* 8. *a n.* 9. *ad* 16. *a p.* 30. *ad* 33.
Ejus ſantentia de animatione hominis hodie crevit probabilitate. *ibid. c.* 11. *n.* 25. & 28. *p.* 45. & 46.
Et eſt plurimis Recentioribus accepta. *ib. n.* 25. *p.* 45.
Ejus opinio, quæ Partus Cæſarei ſalutarem uſum reſtringit solùm pro Fœtibus maturis refellitur. *l.* 2. *c.* 13. *per tot. p.* 96. 97. 98. & 99.

Digitized by Google

ADDITIO
AD LIBRUM TERTIUM
CAPUT DUODECIMUM.

Poſt numerum 14.

15. NEque prætermittendum eſt, quòd Partus tempore propter conatuum, tum Parturientis, tum Filioli vehementiam, inferioris materni ventris, & uteri ſentina validiſſimè agitatur. Ex qua ſentinà lochia deinde originem habent. Hęc autem non innocuę ſunt qualitatis, Matre præſertim cachochylià laborante. Quo circa ubi reſtiterint, vel parciores fluxerint; moleſtarum febrium, aliorumque malorum cauſa Puerperis eſſe ſolent: imò, & in Partu ipſo manantes, Ramazzino (a) adnotante Obſtetrices afficere conſueverunt. Quid ergo mirum, ſi fœtidis, incommodiſque vaporibus etiam Infantibus noceant? Quamquam enim revera non adeo nocivi ſint, ut eorum tam citò vitam per ſe diſperdere valeant; facillimè tamen poterunt Aſphyxiam inferre corpuſculis adeo teneris, & a naſcendi niſu debilitatis.

(a) Ramazzin. *de Morb. Artif. cap.* 19.

Digitized by Google

ADDITIO
AD LIBRUM TERTIUM
CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De Baptiſmate Parvulorum, qui ad Sanctuaria reviviſcere perhibentur.

§. I.

Status quæſtionis, & prænotanda pro ejuſdem ſolutione.

1 VUlgatiſſima, conſpicuis Auctoribus referentibus, fama eſt, quædam, in Germania præſertim, exiſtere templa, Deiparæ ſacra, in quibus Parvuli ſine vita naſcentes vitam recuperare, ac deinde Baptiſmi gratiam conſequi prodigio penè quotidiano traduntur. Joannes Bonifacius Bagatta (a) id inter perpetua Catholicæ Eccleſiæ miracula recenſuit, & in fine eruditiſſimi operis, *Admiranda Orbis Chriſtiani*, pro coronide collocavit. Hæc autem ille memorat Sanctuaria.

1. S. Mariæ de Loggau in ditione Comitum Ortemburgenſium juxta fines Tiroli.

2. Weiſſeinſteinenſe in Germania Superiori.

3. Sporenſe ibidem.

4 Libercourtenſe in Germania Inferiori.

5. Burienſe in Lotharingia.

6. Geldonienſe inGermania Inferiori.

7. Bethunienſe ibidem. De quo tamen ait Bagatta, illud Milites cum Statua combuſſiſſe.

8. Fournenſe in Flandria.

(a) Bagatt. Admir. Orb. Criſt. *t.* 2. *l.* 8. *c.* 2. *in Append. p.* 542.

Gobatus verò (*a*) meminit Miracourtenſis in Lotharingia, Sacræ Domus Lauretanæ Bruntruti, & Braunechienſis Eccleſiæ in Tirolo: additque adeo frequentia eſſe iſta Divinæ Potentiæ ſpecimina; ut exiſtimet, Parentes gravi obligatione teneri ad Parvulos abſque Baptiſmate mortuos ad ea Sanctuaria deferendos, ubi ſaltem Regionum diſtantia iter octo, vel decem dierum non exigat: ſed duorum, vel trium: propter probabilem ſcilicet futuri miraculi ſpem.

Euſebius quoque (*b*) Amortius quatuor alia ſuperaddidit Templa: nimirum Impſtii *in* Tirolo ex Diœceſi Brixienſi: ſecundum in Parœcia Rottenbuèchenſi: tertium ſimiliter in Parœcia Diœceſis Auguſtanæ: & quartum Urſpergæ apud Præmonſtratenſes in Svevia. Cæterum & in Germania, & alibi alia etiam Sanctuaria ab aliis Auctoribus celebrantur.

2 Ad hæc autem, ex remotiſſimis etiam Locis, itinere octo, decemque dierum Infantuli nunc a Parentibus, nunc ab Aliis, arcæ mortuariæ incluſi devehuntur: e qua tandem extracti ante Chriſti, vel Beatiſſimæ Virginiſ Mariæ Taumaturgas Imagines compoſiti, fuſis ad Superos pro eorum reſurrectione precibus, ibidem ſpatio unius, duorum, triumve dierum relinquuntur. Si interea vitæ ſigna ediderint indubitata; Baptiſmus eis abſolutè: ſi verò tantùm dubia, ſub conditione tribuitur. Signis tamen hujuſmodi evaneſcentibus, veluti jam Defuncti, Eccleſiaſtica ſepulturà donantur. Verùm cùm hæc omnia pro circumſtantiarum varietate ambigui ſint judicii; diſcutiendum hic erit utrum, & quando Baptiſma Parvulis iſtis conferri poſſit.

3 Supra quidem latè probavimus Parvulorum, qui mortui creduntur, ad ſe reditum, interdum non veram eſſe Reſurrectionem, ſed quandam potiùs evigilationem ab Aſphyxia, in quam prope ipſam nativitatem frequentiſſimè impingunt: eoſque in illa diutiùs retentà vità manere poſſe præ Adultis, quamquam ſimillimà ſpecie Mortuorum.

At excuſo jam Typis hoc opere, ſed nondum evulgato, ad manus meas fortè venere præcitati Amortii egregia Theologiæ Eccleticæ volumina, quæ ipſe Romæ Benedicti XIV. commiſſione examinata, eidem Pontifici nuncupavit. Quocircà priuſquàm ad quæſtionis ventilationem deſcendamus, non abs re erit, nonnulla, quæ de Parvulorum naſcentium Aſphyxia tradidimus, doctiſſimi hujus Auctoris teſtimonio confirmare: ac deinde juxta ipſius ferè mentem ad propoſitæ quæſtionis elucidationem procedere, quam ipſe acutè non minùs, quam copioſè tractavit.

4 Is ergo mecum apertè ſentit, quamplurimos Parvulos, antequam e materno ſinu in lucem prodeant; in adeo profundum delabi deliquium; ut omnino exanimes non immeritò cenſeantur. (*c*) *Jam verò* (ait) *Infantes plurimos, qui ex utero materno habentur pro mortuis, Submerſione, aut Suffocatione, vel Syncope, vel Strangulatione per nervum umbilicalem veniſſe in eum inſenſibilitatis ſtatum, veriſimillimum, imò certum eſt. Cum enim certum ſit infantes intra ſecundinas uteri materni concluſos, in integro veluti ſtagno humorum detineri, quos alvus in partu effundit; facilè contingit partus jam perfecti per contorſiones maternas, aut alios vehementes motus maternos vehementer agitati, tempore, aperiri jam perfecta oris, vel narium oſtiola; ſicque, vel intromiſſo humore, eos ſubmergi; vel turbato illo ſtagno fæculento humorum, turbatiſque proin rectilineis humorum poris, per quos aër circulabat in Infantem; reſpirationem Infantis intercipi: vel denique apertis narium oſtiolis, tranſire in tenellum Infantis cerebrum tetrum odorem ex commotis omnibus maternis humoribus, ſicque cauſari repente Apople-*

(a) Gobat. Theol. Moral. *t.* 2. *tract.* 2. *caſu* 8. *n.* 272. & 273.
(b) Amort Theolog. Eccl. *t.* 2. *de Bapt* *q.* 2. *p.* 336.
(c) Amort loc. cit. *differt.* 1. *n.* 4. *p.* 341.

plexiam, & Syncopen. Cauſæ horum effectuum exiſtunt, & ſufficiunt. Itaque neceſſe eſt, plurimos infantes, qui ex partu habentur pro mortuis, vel ex Submerſione vel ex Suffocatione, vel ex Apoplexiâ, ſeu Syncope in eum ſtatum inſenſibilitatis perveniſſe.

5 Quòd autem vitam, quam Adulti in immanibus hujuſmodi paroxiſmis ex Zacchiæ teſtimonio non ultra tertium diem producunt; Parvuli multò diutiùs protrahere valeant, non minùs apertè declarat (*a*). *Ita quidem Zacchias. Verùm, ſi admittantur quæ dicit, ſolùm de iis intelligenda erunt, qui jam aliquando gaviſi ſunt perfectâ aurâ vitali per apertionem pulmonum, tracheæ, oris, & narium; non de Infantibus, qui octo, aut ſeptem menſibus in utero tantùm traxerunt aërem per poros corporis in ordine ad motum ſpirituum vitalium in nervis. Nam aër externus per pulmones potiùs ordinatur ad motum ſanguinis hydraulicum, & ad motus membrorum, puta pedum, brachiorum, linguæ, oculorum mediante ſanguine. At verò in Infantibus qui per plures in materno utero menſes jam ſunt aſſueti ſoli tranſpirationi, & in quibus pori illi adhuc aut aperti, aut facilè aperibiles ſunt; ad conſervandum præcisè motum internum ſpirituum vitalium, latior terminus ſic conſervandæ vitæ aſſignandus eſt, ultra triduum, & ſeptiduum* .... & n. 6. *Ex his omnibus colligitur mortem Infantium, qui a præfata Adultorum regulâ excipiendi ſunt, ob aſſuetudinem tranſpirationis; frequenter non eſſe certam ante triduum, ſeptiduum, vel decendium, & ultra.* Et n. 7. *Ex his ergo manifeſtum eſt, Infantem, cui per Suffocationem, Submerſionem, Strangulationem, Apoplexiam, vel Syncopen, probibetur uſus pulmonum pro reſpiratione; adhuc poſſe per plures dies continuare circulationem, & vitam latentem, quamdiu abeſt putrefactio partium.* Idque ſpeciali ſanguinis circulationi attribuit, quâ nimirum Fœtum præ Natis abſque reſpirationis neceſſitate, per ovale foramen, ac tubulum arterioſum gaudere, ſuo loco tradidimus; quod ipſe auctoritate Verehjenii confirmat, atque Pariſienſis Academiæ in Actis 1699. 1701. 1703. 1717. 1725. Et quidem in Actis 1717. poſt expoſitionem circuli ſanguinis in Fœtu, ſic legitur. *Itaque ante partum fœtus eſt in eo ſtatu, ac ſi cor ejus haberet tantùm unam auriculam, & unum ventriculum: hinc etiam non reſpirat, & conſequenter eſt in eodem ſtatu, in quo ſunt animalia carentia pulmonibus veris, qualia ſunt Piſces, vel quæ non habent perpetuum uſum pulmonum, qualia ſunt Animalia Amphybia V.G. Teſtudines, & Ranæ. Conſtat enim quod omnium horum Animalium cor habeat tantùm unam auriculam.* Notat etiam Amortius ovale foramen, ac tubulum arterioſum, non ſtatim ac naſcitur Homo, ſed ſenſim tempore procedente, ac nonnumquam tardiſſimè claudi; quod etiam ipſius Verehjenii, & Obſervationum ejuſdem Academiæ, relatarum in Actis A. 170 . & 1725. auctoritate communit. *Itaque*, ait, *nihil repugnat, Infantes carentes reſpiratione, etiamſi non appareat exterius vitæ indicium, poſſe adhuc habere circulationem, & vitam internam. Sicque ſanguinem accedente alteratione tranſpirantis per poros cutis, & excitato quodam extremo naturæ morientis conatu, poſſe propelli in vultum, auriculas, & labia.*

6 Aliqua certè exempla de Parvulorum Aſphyxia ſuperiùs adunavimus. Alia verò & notatu digniſſima idem Amortius exprompſit. (*b*) Sacerdos enim fide digniſſimus eidem enarravit, ad ſe, dum Parochi munere fungeretur, allatum pro mortuo Infantulum, qui, cum ipſe Balſamum Braunſcoberianum, Borenſi ſimilem, eidem illiniſſet; reſpirare cœpit, vocem emiſit, certiſſimamque vitam ad horæ dimidium conſervavit.

Tt 2 Alius

(a) Amort *ibid. n.* 5. *p.* 342.
(b) Amort *ibid. n.* 7. *p.* 344.

7 Alius item Parvulus Urſpergæ Amortio ipſi præſentatus, poſt 36. a morte apparente horas, præter motus cujuſcumque defectum, cranium ex parte compreſſum, atque confractum habebat. Cum tamen roſeo eſſet colore, ſummâ flexibilitate membrorum, genis, ac pectore mollis, nullo fœtore, frigore quaſi nullo, oculis tamen modicè obſcuratis: duo Chirurgi ſedulò ipſum examinantes judicarunt, indubitato mortis indicio caruiſſe.

8 Tertius Infans in quadam regulari Parœcia, Pellingenſi Canonicorum Cœnobio unita, 8. Calendas Septembris anno 1750. vitâ penitus orbatus apparuit, quamquam ante dimidium quadrantis horæ uteri latera violenter ad exeundum pulſaſſet. Is coloris erat rubei vividi, qui paulò poſt in cæruleum commutatus eſt. Die ſequenti adhibitum fuit novies calidum balneum, cui deinde ſubſtitutum eſt frigidum, applicati etiam ſpiritus, ac odorifera, ſed ſine ullo prorſus effectu. Sexto Calendas Septembris, qui tertius ab ortu dies erat, miſſus fuit Urſpergam, ſed in itinere depoſitus in quadam Capella, & ante B. Virginis Imaginem, ad quam anteas hujuſmodi Parvuli præſentari conſueverant; cæruleus ejus color in rubrum convertitur, & ſanguis e naribus excurrit. Tandem Urſpergam 5. Calendas Septembris de manè pervenit: ibique labiorum, genarum, atque narium color in rubeum evaſit vivaciſſimum, novæque ſanguinis guttæ e naribus, & ore defluxere. Os antea clauſum apertum eſt, & Infantulus octies movere linguam, & ad labia uſque protendere totieſque retrahere viſus. In nullo tamen dictorum Locorum, ac per totum illud ſpatium temporis, quamquam ſatis amplum, notabilem ille fœtorem emiſerat.

9 Similem etiam linguæ protenſionem in alio Parvulo eidem Amortio ante decem annos retulerat Auguſtinus Hafner Parochus Attenchovenſis. Ille per hebdommadas quatuor in fovea Parvulorum non baptizatorum jacuerat, ſed Matre inſtante, quæ mirâ certè fiduciâ Deo eumdem voverat, & reſurrecturum ſperabat; eductus, inventus eſt rubeo vividoque colore perfuſus. In Eccleſia ergo, Proteſtantium non minùs, quàm Catholicorum obtutibus expoſitus, per tres dies cum permanſiſſet, linguam ad os patenti motu diſtendit.

10 Sanè qui hujusmodi legit Hiſtorias, non facilè ſibi perſuadebit in iis non aliquod verum interveniſſe Miraculum; & nihilominus ubi ad trutinam revocentur; nam omnia ſupra naturam accidiſſe comperiemus, aut ſaltem non omnia rigoroſo Miraculo adſcribi poſſe; quod ultimum, ut meliùs, clariùsque dignoſcatur: notandum eſt maximè, inter divina Beneficia, quæ nobis a benevola clementiſſimi Numinis manu proveniunt; Miraculum ſatis a mera gratia diſcriminari. Miraculum enim ſtrictè ſumptum totius naturæ creatæ vires excedit, ac ſoli Dei Omnipotentiæ reſervatur: quapropter eſt rarum, nec facilè propterea præſumendum, ſed validis argumentis, dilucidiſque probandum. Gratia verò eſt Beneficium quidem, ſed ordinis Miraculo planè inferioris; non enim totius naturæ creatæ vires tranſcendit: quocircà frequentiùs a Deo, imò quotidianâ propemodum largitate conceditur, ac propterea & faciliùs obtinenda ſperatur, & obtenta faciliùs creditur a Naturæ Domino, ac Moderatore deſcendiſſe.

11 Hujuſmodi autem Gratiæ Beneficium nunc ſenſibiliter operatur, nunc verò juxta Divi Baſilii doctrinam (a) inſenſibiliter: præterea nunc immediatè a Deo manat, nunc verò, & quidem frequentiùs, per Angelorum operationem, ac miniſterium. Angeli enim noſtri, ad Animæ Corporiſque cuſtodiam deputati, nequaquam otiantur: ſed multa, etiam Corporibus noſtris conferunt beneficia: etſi major ipſorum numerus occultâ diſpenſatione tribuatur.

12 His poſitis: Mortuorum Reſurrectio non ad meram gratiam, ſed ad Mi-

(a) S. Baſil. *Regul. fuſ. diſp. inter.* 55.

Digitized by Google

Miraculum ſtrictè dictum, ac ſoli Deo reſervatum ſine dubio pertinet: imò etiam inter inſigniora, ac nobiliora Prodigia computanda eſt. Contra verò vitam non adhuc extinctam conſervare, vel agere ut ipſa, quæ latebat in corpore, ſeſe prodat, atque viſibilis fiat; ſæpe non rigoroſo Miraculo, ſed gratiæ, & Angelorum adjutorio imputari debet. Idcircò ita philoſophatur Amortius. (a) *Examinandum in hac diſſertatione duxi, quòd dici poſſit, plurimos ex iis Infantibus, qui ex utero habentur pro mortuis, reverà non eſſe mortuos; ſed adhuc per plures dies, V.G. triduum, ſeptiduum, imò & decendium, continuare vitam, etiam ſi exteriùs nulla appareant ſufficientia ad conferendum baptiſmum vitæ indicia. Hoc ſuppoſito, extremus quidam Naturæ conatus, gratiâ Dei adjutus, vel excitatus, ad edendas in ſenſibus externis operationes vitæ; quamvis non pertingat ad cauſandas operationes vitæ indubitatas; pertingere tamen poſſet ad efficiendas in partibus extimis operationes vitæ ſaltem dubias. Cum autem in hac explicatione non agatur de Miraculo, ſed de ſpeciali Beneficio Dei, ſuâ gratiâ conatus naturæ adjuvantis; indicia vitæ dubia ad conferendum baptiſmum conditionatum faciliùs admitti poſſent*. Nihil autem obſtat quominus Deus a Parentibus piè, fideliterque rogatus non tarò, ſed ſæpe hujuſmodi Beneficia impertiatur.

13 Signa porrò latentis vitæ dubia, ſunt coloris mutatio, præſertim in rubeum; ſudoris, vel ſanguinis emiſſio; oculorum turbidorum ſerenatio; ceſſatio incipientis cadaverici fœtoris; irregularis aliquis ac momentaneus labiorum vel palpebrarum motus, puta, oculorum aperitio. Nam hæc omnia, uti Medici fatentur, & per integram diſſertationem oſtendit Amortius, (b) poſſunt, & ſæpe ſolent, a violentâ fermentatione ad putrefactionem tendente, vel ex aliis etiam cauſis, procedere. Et profectò in iis etiam quandoque Parvulis deprehenduntur ineſſe, qui non ſolùm indubiè defuncti ſunt, ſed ad prædicta Sanctuaria non delati: quocirca nulla cadit in ipſos de Miraculo patrato ſuſpicio.

14 Indubitata verò ſigna vitæ ſunt reſpiratio, ſenſus, arteriarum pulſatio, motus regularis, ac propterea vitalis item ploratus, gemitus. Ex adverſo dubia ſigna mortis in morbis repentinis, atque ideo in Parvulis naſcentibus, ſunt privatio ſensùs, ac motùs, & ſimul reſpirationis, ac pulſùs arteriarum; quia facilè oriri poſſunt ab Aſphyxia propter naſcendi conatus: vel ab Apoplexia, aut ſtrangulatione. Quocirca ubi de Parvulis naſcentibus agitur, ad Aliorum differentiam, in quibus alia ſigna intervenire ſolent; indubitatum veræ mortis indicium eſt ſola putrefactio, vel ſaltem ejuſdem initium, cujus individuus comes eſt violentus odor cadavericus. Dixi violentus: remiſſus enim, ac tenuis, non ſolùm in moribundis eſt frequens; ſed interdum etiam in quibuſdam Infirmis ad mortem properantibus, multis ante obitum diebus veluti prodromus ipſius occurrit. Poſt aliquam tamen, & ſufficientem moram, oriri etiam ſolent in verè mortuis Parvulis alia exanimationis characteriſtica ſigna, rigiditas nimirum non convulſiva membrorum, vitreus oculorum pannus, eorumque deformatio. Nec difficile eſt in verè mortuis putrefactionem, vel ſaltem illius initium invenire: cadavera enim ad eam velociter currunt, naturâ ipsâ impellente: quapropter putrefactio in ipſa hieme, & ſub rigidiſſimo Germaniæ Cœlo, brevi erumpere incipit, ac primò in oculorum deformatione, ac viſcerum fœtore, qui facile diducto cadaveris ore, ab Obſervatoris olfactu percipitur: imò, quò tenerioris texturæ corpus erit, eò velociùs corrumpetur. Quocirca In-

ſan-

(a) Amort *ibid. diſſert. 1. n. 2. p.* 341.

(b) Amort loc. cit. *diſſert. 2. a p.* 345. *ad* 348.

fantes præ omnibus citiſſimè putreſiunt: Fœmellæ verò præ Maſculis.

15 Notandum etiam, ex iis, qui reſuſcitari ad Baptiſmum recipiendum dicuntur; nonnullos verè mortuos antea fuiſſe, aliquos vitam adhuc retinuiſſe, quamquam abſconditam: de aliis denique dubitandum eſſe utrum a morte, an ex Aſphyxia reſurrexerint. Innocentius a Cluſis Siculus (a) hœroicæ virtutis, & Miraculorum gloriâ toto orbe celeberrimus, acceſſitus olim fuit ad moribundam Fœminam, quæ Parvulum poſt tertium diem ab ipſius morte, eniti nullo modo potuerat. Ille, flexis genibus Divam Annam, cui erat addictiſſimus, invocavit, ut mortuum Parvulum emitteret Prægnans, & a morte imminente liberaretur; & illico ea mortuum Infantem emiſit, ſed corruptum, & in fruſta veluti diſcerptum. Adſtantes hoc Miraculo inſpecto, nova ſpe animati, ſecundum ab Innocentio devotè poſtularunt, nimirùm ut mortuus Infans reviviſceret, & Baptiſmate donaretur. Et ille denuo Divam Annam ſupplici oratione rogavit: & ecce Parvulus coagmentatis iterum membris, antea diſſolutis, divina virtute revixit, vociferari cœpit, baptizatus eſt, & in vita permanſit.

16 Alia verò Mulier, nomine Longobarda omnes, quos genuerat, Filios, vità privatos ediderat. Innocentium ergo deprecata eſt, ut ſibi a Beata Anna viventem aliquem Filium parere impetraret. Innocentius, qui Prophetiæ quoque dono inſignis erat, reſpondit, eam parituram eſſe Puellulam, & vivam; imponeret ergo illi nomen Anna: peperit ſuo tempore Longobarda Fœmellam, ſed in ſpeciem Adſtantibus omnibus defunctam; quod mœrentes Puerperæ retulerunt. At illa: impoſſibile (dixit) hoc eſt. Puellula certè vivit, quamquam occultè: Dei namque famulus prædixit mihi, fore ut Fœmellam ederem, ſed vivam. Dum autem hinc inde de morte indubitata, & de vita latente altercaretur; Parvula moveri, & clamare cœpit, controverſiam diremit, demonſtravitque vaticinii firmitatem.

Alia denique duo narrantur in Innocentii vitâ Parvulorum naſcentium facta ſimilia: quæ tamen utrum ad veram Reſurrectionem, an potius ad liberationem ab Aſphyxia pertineant, ab Hiſtoria ipſa deſumi non poteſt.

17 Diſtinguendum eſt etiam permaximè inter Infantes, qui in ipſo ortu defuncti videntur, & alios, qui diu in tali ſtatu perſiſtunt: primi enim perſæpe ſunt vivi, deinde tractu temporis vel ab Aſphyxia evigilant, vel verà morte corripiuntur; quamquam nonnulli ex ipſis diu interdum ſub mortuorum imagine perſeverent. Secundi autem faciliùs vità penitus jam deſtituti præſumi poſſunt. Quæſtio autem præſens non eſt de Parvulis in ipſa nativitate conſideratis: iſti enim, etſi mortui appareant; quia ſenſu, pulſu, reſpiratione ſaltèm ſenſibili, motuque carentes; ubi tamen illæſi ſunt oculis, flexibiles, incorrupti, nec fœtorem ſpirantes cadavericum, neque mortali vulnere ſaucii; neque aliâ inſuperabili mortis cauſà labefactati: & conſequenter nullum habentes mortis characteriſticum ſignum; poterunt ſine novo alio vitæ ſigno ſub conditione baptizari. Quia in ipſo nativitatis articulo maximè viget, uti ſupra demonſtratum eſt, Aſphyxiæ prudens probabiliſque ſuſpicio, eorumque mors eſt manifeſtè dubia, imò præſumptio, quæ quibuſcumque ſignis dubiis eſt efficacior, ſtat pro vita. Controverſia igitur, quam præ manibus hic habemus, eſt de Parvulis, qui eorum comprobatà jàm utcumque morte per ſolita experimenta, ad Sanctuaria pro reſurrectione impetranda deducuntur: quod non ſolùm tempore immediatè partum conſequente fieri non ſolet, ſed neque tempore partui proximo: tunc enim eos, variis aptiſque remediis, ac experimentis, Domeſtici, ſi fortè illi vivant adhuc; ad ſenſuum officia revocare contendunt. Probè etenim

(a) Tognolett. *Vita Fr. Innoc. a Cluſis c.30 & 33.*

nim ſciunt Germanæ Obſtetrices, quamplurium Parvulorum vitam in eorum ortu fallaci mortis imagine velari. Quinimo, uti ſupra oſtenſum eſt, efficaciſſima quædam ipſæ remedia ad eos a funeſto illo veterno exſuſcitandos feliciſſimè excogitarunt. Tempus autem nativitati proximum, quo non ſolent Parvuli ad Eccleſias comportari, quia faciliùs in vita perſiſtere poſſe creduntur ſub Aſphyxiæ paroſiſmo, eſt quatuor, vel trium horarum, aut ſaltem duarum, vel unius, quo tentamenta ſcilicet ad eos expergefaciendos fieri conſuevere. Quapropter ſeverè prohibet Amortius, ne ſtatim poſt unam, & alteram horam, vel amplius, at non valdè a morte diſſitum tempus, Parvuli, ad ſupradictas Imagines devehantur: nimirùm ne fortè per itineris incommoda, occumbant, qui domi per nova tentamenta liberari potuiſſent.

18 Quæ cum ita ſint, ut expendamus an rectè baptizentur Parvuli, qui ad Imagines taumaturgas revixiſſe dicuntur, duas oportet diſtinguere Controverſias, facti unam, juris alteram. Et quod ad facti Controverſiam ſpectat, poterit ſanè a Quibuſdam in eventu particulari ambigi, utrum reverà ſigna, ſive certa, ſive dubia Reſurrectionis, & Vitæ interceſſerint: nam ſæpe accidit, ut iſta ab indoctis referantur, & parùm tutæ fidei Hominibus, præſertim Plebeis, ac Fœminis, quæ ad quemquumque vel minimum, dummodo inexpectatum, & rariuſculum eventum, cujus naturalem cauſam ignorent; promptiſſimè inclamant, Miraculum: quæque illud interdum falſa pietate illuſæ confingunt. Sanè Lingonenſes olim Obſtetrices in more habebant fatagere, ut naſcentes Parvuli expertes vità, vel igne, vel certis aliis medicaminibus, quaſdam ederent motitationes, aliaque vitæ, ſeu æquivoca ſigna, ut baptizarentur, & in loco ſacro deinde ſepelirentur. Eò laudabiliùs quidem eſt, quò ferviđius baptizandi, qui capaces baptiſmi ſunt, deſiderium: ſed iis tribuere velle hoc Sacramentum, qui ex hoc Mundo deceſſerunt, ut abirent in locum ſuum; error eſt manifeſtus, & ſimul intolerabilis: & nihilominus a fraudolentis illis Mulierculis frequentabatur: ſive ad turpem lucrum, ſive ad conſolationem Parentum, ſive quia ſibi ipſis reverà ſuadebant hujuſmodi Baptiſmum, etſi Mortuis miniſtratum, prodeſſe. Neque inveriſimile eſt ita ſaltem crediđiſſe Nonnullas. Nam ſcimus (*a*) ex Tertulliano, ac Sanctis Epiphanio, Chryſoſtomo, aliiſque: apud Marcioniſtas olim, ſi aliquis ex eorum Cathecumenis, obiiſſet, Baptiſmate non recepto; ſacram hanc ablutionem ipſius nomine ac vice Alium petere, ac ſuſcipere conſueviſſe; ut ita Mortuus divinà gratià, & peccatorum venià potiretur. Ac profectò hujuſmodi functionem Chryſoſtomus ita deſcribit. Sub ſandapila, in qua mortuus jacebat, locabatur, latebatque Vivus: interrogabatur deinde Mortuus, an baptizari cuperet? Vivus de ſub ſandapila, ſe id ardentiſſimè velle, reſpondebat. Poſt hæc Vivus egrediens baptizabatur pro altero: atque ita comediæ illi finis imponebatur. Cæterum Quoſdam per ſimplicitatem, Defunctorum loco, Baptiſmum Apoſtolorum tempore ſuſcepiſſe; innumeri, tum ex antiquis, tum etiam ævi noſtri, ſacræ ſcripturæ Expoſitoribus, (*b*) tradunt: addentes ad hæc ſanè facta alludere divum Paulum, cum ſcribit: *Quid facient, qui baptizantur pro Mortuis?* Porrò Baptiſmus Parvulorum, quos Obſtetrices moveri artificioſè curabant, prohi-

(*a*) Tertullian. contra Marcion. *lib.* 5. c. 10.
S. Epiphan. Hæres: 28.
S. Joann. Chryſoſt. *in* 1. *Cor. Hom.* 40.

(*b*) Hilar. Diac. ſub nomine S. Ambroſ. Theophilactus, Valafridus Strabo, D. Thomas. Gloſſa ordinaria &c.

Digitized by Google

prohibitus fuit a Philippo Lingonenſi Epiſcopo in Synodo A. 1452. & a Guidone ipſius Philippi Succeſſore An. 1455. Eadem prohibitio legitur in Statutis ſynodalibus Cardinalis de Tournon Archiepiſcopi Lugdunenſis *tit. de Baptiſmate*, & in Statutis an. 1592. & 1656. Eccleſiæ Biſuntinæ.

§. 2.

De variis caſibus dubiæ mortis, in quibus Baptiſmus competere poſſet, vel non.

1 VErùm cum de vitæ ſignis hac noſtra ætate repertis in Parvulis, ad Germaniæ Sanctuaria comportatis, plurimi optimæ notæ Scriptores fidem adſtruant: eaque tamquam non ficta communi eloquio celebrentur: rumque negari non poſſit, variis in Locis veras interdum Reſurrectiones extitiſſe; meritò ſubintrat hic altera juris Quæſtio: utrum, & propter quæ ſigna, Infantes, qui redivivi creduntur, baptizandi ſint. Et quidem in hac ſecunda Quæſtione diſtinguere oportet Parvulos, de quorum interitu ambigimus, ab iis, quorum certa & indubitata mors eſt. Imò etiam quoad utramque ſpeciem varios oportet diſtinguere caſus, eorumque perpendere circumſtantias.

PRIMUS CASUS.

2 Quid igitur ſi comprobatâ utcumque morte Infantis non baptizati per ſolita experimenta; poſt lapſum temporis notabile quidem, ſed nativitati proximum, puta, poſt tres, quatuor, aut quinque horas; at non valdè remotum, puta, non ultra duodecim horas; ille ad Eccleſias deferretur, ibique dubia patefaceret vitæ indicia? poſſet ne ſub conditione baptizari? Et affirmativè cenſeo reſpondendum. Ad veram enim, ac tutam repentinæ mortis comprobationem, ex (a) Lancisii doctrina monuimus antea, requiri ſemper aliquam prudentis arbitrio moram, & pro circumſtantiarum varietate diverſam: non obſtantibus communibus ſignis, atque experimentis pro morte clamantibus: quæ ſanè mora in ipſis Adultis, ubi triam, quatuor, aut quinque tantùm horarum eſſet; nullo modo ſufficeret. Feiſous etiam docet, uſque ad horam duodecimam, (b) & ampliùs non contemnendum vigere dubium vitæ latentis in morte repentina: imò duodecim ad minimum horas requirunt Synodi ad ſepulturam in ipſa morte regulari. (c) Quantò magis igitur infra terminum horarum duodecim, ſuſpicari poſſumus latere vitam in Parvulis? ubi non adſit putrefactio, vel aliud mortis characteriſticum ſignum, ejuſque invincibilis cauſa? Ubi ergo nova inſurgunt vitæ argumenta, etſi dubia, conditionatus Baptiſmus denegari non debet.

SECUNDUS CASUS.

3 Si verò Parvulus, qui ſub Mortui figurâ natus eſt, poſt notabile prædictum duodecim horarum ſpatium; quamquam variis medicinæ remediis prolixè adjutus, ad vitæ munia reverti non potuit, & adhuc mortui ſimilitudinem refert, quatenus neque ſenſu, neque motu, neque pulſu, neque reſpiratione gaudet; ſed nihilominus non ſolùm incorruptus perſeverat; verùm etiam a corruptionis initio, & fœtore cadaverico immunis: præterea neque rigidus, nec valdè frigidus, neque oculos habens deformatos, aut panno vitreo contectos; contrà tamen flexibilis: eo caſu ſi ad Eccleſiam devectus aliqua vitæ ſigna, quamquam reverà dubia, oſtenderet; poterit conditione adjectâ baptizari: Nam, ut ait Amortius: (d) *Quando non conſtat de morte Infantis per ſigna indubitata, & ſimul concurrunt indicia vitæ, ſaltem dubia; ſine ſcrupulo baptizari poſſunt ejuſmodi Infantes*: nimirùm conditione præmiſſa. *Ita communis Theologorum.*

Et profectò Parvulorum ejuſmodi mors, quamquam alia in Eccleſiis non inſurgerent indicia vitæ; per ſemetipſam incerta eſſet: imò eorum vita quodammodo probabilior apparenti morte videretur.

(a) Embryol. *lib.* 2. *c.* 2. *n.* 14. *p.* 63. Lanciſ. *de Morte ſubit. lib.* 1. *c.* 13. & 16.
(b) Feiſous *Theatr. crit. t.* 5. *de ſign. mort. diſc.* 6. §. 10. *n.* 38. *vide hoc lib.* 3. *c.* 19.
(c) Synod. Agrig. Train. A. 1630.
(d) Amort. *d. t.* 2. *de Bapt.* §. 3. *quæſtiunc.* 11. *p.* 327.

retur. Nam præter totalem putrefactionis defectum, deficerent etiam tot alia mortis indicia: & ex adverſo perſiſtere ſupponitur membrorum flexibilitas; quæ ſignum eſt vitæ poſitivum. Quod adeo verum eſt, ut ſi omnes antedictæ circumſtantiæ in Aliquo alio reperirentur, quamvis adulto; cujus mors ex cauſa prorſus invincibili, puta, ex amputatione capitis, eſſet indubitata; ſi non inter Miracula, ſaltem inter inſolita, & mirabilia deſcriberentur.

TERTIUS CASUS.

4 Nec diſſimile faciendum erit judicium, ſi Parvulus plùs quam viginti quatuor horas in antedicto ſtatu permaneret. Nam tanti temporia latitudo nihil officeret: quandoquidem in Apoplexia ipſa, & multò magis in Aſphyxia, vitam Adulti conſervare interdum valent per triduum, & a fortiori naſcentes Parvuli, quos multò diutiùs paſſiones hujuſmodi ſuſtinere poſſe, probatum eſt. Et quidem ſi flexibiles, & cum prædictis aliis circumſtantiis incorrupti perſiſtunt; hoc ipſum non leve erit vitæ ſimiliter perſiſtentis indicium, ac tantò ſanè veroſimilius, quantò majus erit hoc tempus a putata morte dilapſum, Quò magis enim id a momento ſeparationis animæ elongaretur; eò magis prodire, & conſpicua fieri deberent, non ſolùm reliqua mortis argumenta, puta rigiditas, frigiditas, &c; ſed ipſa putrefactio, vel ſaltem ipſius initium Quò circa ſi nondum iſta in conſpectum ſeſe dederint; contra verò Parvulus non ſolùm in eodem ſtatu perſeverat; ſed nova inſuper in eo emergunt, quamquam dubia ſigna vitæ; quis unquam certò affirmabit, ipſum obiiſſe? ac non potiùs immani deliquio detineri?

5 Ad hanc ſpeciem fortaſſe pertinebat Filioli Joannis Leonardi Cleinbrot viri clariſſimi eventus, cujus autenthicum documentum datum Bruntruti 20. Octobris 1659. tranſcripſit Gobatus. [a] Ille apparenter in ortu ſenſus, & vitæ penitus expers, ad Mirecourtenſem Imaginem primò directus, ac per iter a nobili Matrona ad Bruntruti Sacellum deductus, ibi roſeo colore tingi, ſanguine manare, ac ſudare cœpit: proinde baptizatum, ac poſtea mortuum, in Eccleſia Vicarii Generalis Conſtantienſis auctoritate ſepelierunt. Hæc enim ex infra exponendis vera Reſurrectio dici non debet, ſed potiùs occultæ vitæ manifeſtatio, cum ſigna vitæ fuerint æquivoca: maximè verò quia certa mors antea non fuerat: neque ullum ipſam confirmans characteriſticum ſignum adfuiſſe videatur. Sanè Gobatus addit: *Notandum autem, fuiſſe tumulatum vigeſimo tertio die a nativitate; & tamen non modò permanſiſſe uſque ad ſepulturam prorſus incorruptum, omnique ingrato odore liberum; ſed etiam labiola fuiſſe roſea: ſicuti mihi audientibus aliis, pluſquam duodecim, Religioſis, ac Sæcularibus; aſſeverantiſſimè, & peregrè lacrymas continens, dixit Parens Infantuli, omni fide digniſſimus.*

QUARTUS CASUS.

6 Ardua ſanè eſt quarti caſus figuratio, quam ita exponit Amortius. (*b*) Infans nimirum non ſolùm nulla exhibet vitæ ſigna, ſed omnia e contrario oſtendit veræ mortis indicia: quodque deterius eſt, hæc ſaltem per horas duodecim indiminuta perſiſtunt; adeo ut prudenter præſumi poſſit, Parvulum non ſolùm in ſpecie, ſed etiam reipſa omnino fuiſſe vità deſtitutum. Signa verò mortis, quæ in eo ſupponit Amortius, præter privationem pulſus, reſpirationis, motûs, ac ſenſûs, etiam poſt ferrum ignitum applicitum; hæc ſunt. Defectus alterationis ad afflationem ſulphuris accenſi in nares, & os: defectus exonerationis naturæ, poſt applicationem ſternutatorii per pulveres, vel ſalis volatilis cornu cervini, & unctionem balſamorum, vel ſpirituum. Frigus permanens, ac pertinax: defectus elaſticitatis ad impreſſionem pollicis in genis, color ater, ſeu lividus: oculi tenebroſi, ac fracti, ſeu flaccidi: membro-

V v rum

(a) Gobat. *tom.* 2. *de Sacr. Bapt. caſ.* 8. *n.* 272.
(b) Amort. *de Sacr. Bapt. diſſert.* 1. *object.* 3. *& in reſp. p.* 344. *&* 345.

rum rigor, ac tenuis aliquis odor cadavericus, ejuſve ſaltem Initium, cranium compreſſum &c.

7 Omnia ſigna prædicta efficiunt, Amortio fatente, ut mors præſumenda ſit vera, eamque moraliter certam oſtendunt: ſed non omnino, ut ait ille, infallibiliter, etiamſi ſi per antedictum temporis curſum; imò, & majorem perduraſſe ponantur: Cum ea omnia exiſtimanda ſint fallibilia, ſi ſuſpicio habeatur Aſphyxiæ: præſertim in Parvulis, ubi deſit putrefactio, vel ejus initium a violento cadaveris fœtore indicatum. In hujuſmodi enim caſibus ſola putrefactio, ſi mortis invincibilem cauſam excipias, veluti capitis abſciſſionem, ac ſimilia; eſt huic Auctori characteriſticum, & indubitabile diſceſſus animæ argumentum: quocirca ſi nova aliqua denuo in Parvulo emergerent latentis vitæ, quamquam dubia ſigna; ejus mors in priſtinam incertitudinem iteratò recideret.

8 Ea eſt enim certitudinis moralis conditio, atque natura ut ſi nova inſurgant indicia, & circumſtantiarum cognitio, a firmitatis propriæ ſtatu vacillet, aut planè ruat: quæ multò magis attendi debent in Fœmellis, in quibus ob teneriorem texturam putrefactio celeriùs oriri neceſſe eſt. Et ſanè quamquam, uti in ſecunda diſſertatione fusè adſtruit Amortius; omnia vitæ dubia ſigna, de quibus antea locuti ſumus, & quæ conſiderari ſolent in Parvulis, poſſint a fermentatione liquidorum, & præcipitatione particularum, occluſione pororum, aliiſve planè cauſis ab eo notatis, & in vero cadavere agentibus procedere: quamvis etiam ubi cauſa detur aliqua jam parata, & ad effectum ſufficiens, non ſit recurrendum ad alias, de quarum exiſtentià non conſtat; & conſequenter in caſu, de quo agitur, nova indicia non videantur vitali principio incerto, & ancipiti eſſe tribuenda; nihilominus certum eſt etiam, poſſe a latentis quidem vitæ principio, non adhuc tamen extincto, provenire: quod huic Auctori ſufficit, ne Parvulo conditionatum Baptiſma denegetur: eo quia ubi de irreparabili Animarum damno res eſt, non ſolùm probabile, ſed etiam poſſibile haberi præ oculis debeat. (a) *Itaque*, ait ille, *etiam experiri aliquandiu licebit, utrum in cadavere exiſtimata perſeveret tale complexum indiciorum, & an non appareant nova ſigna, ex quibus corrigi poſſit præſumptio moraliter certa. Si enim ubi agitur de vità corporis, vel ſalute temporali unius Urbis; ſæpè tentantur extrema pericula: etiamſi moraliter certum ſit, conatus fore irritos, & ſola ſuperſit tenuis probabilitas, conſervandi. v. g. vitam, in naufragio, vel incendio, vel ſalutem Reipublicæ jam dejectis turribus, & aggeribus; cur non liceat poſſibile amplecti, ubi agitur pro ſalute vel perditione æterna Animæ? præſertim ſi id ſine abſurdo generali, aut præjudicio gravi particulari, fieri poſſit? pro ut fieri poteſt juxta eam, quam monſtravi methodum: ut nempe tales Infantes per aliquos dies, donec appareat jam certus, & notabilis fœtor cadavericus; ſerventur in loco temperato: & ſi interea dubia vitæ ſigna ediderint; a proprio loci Parocho, vel in ejus defectu, ab alià Perſonà, baptizentur. Ego certè in tali caſu Infantem baptizarem, atque etiam Alios, ut exemplum ſequerentur admonerem. Imò monerem, ne cum ſigna probabilia venerint, Baptiſmum differrent. Experimento enim didici, tres ſtatus in his ſignis vitæ diſtingui poſſe: nempè progreſſionis ſeu incrementi, ſtationis, & retrogradationis, ſeu decrementi. Quando mutatio coloris atri in lividum ad ſuam ſtationem venerit; ita ut infra ſemihoram non amplius creſcat; Baptiſmum feſtinandum cenſeo: quia Infans, ſi fortè illa mutatio coloris ab extremo naturę conatu venerit; tunc jam in extrema lucta Naturæ, ſeu agone eſt. Cæterum excepto*

ſolo

(a) Amort. loc. cit. *diſſert.* 1. *in reſp. ad object.* 3. p. 344. & 345.

ſolo fœtore vehementi cadaverico, non obſtante reliquo complexu indiciorum, plures adhuc retinuiſſe vitam, oſtendit Garmannus de Miraculis Mortuorum in differt. prælim. Ann. 11. Quapropter addit: (*a*) *Infantem ſub conditione baptizarem, etiam poſt triduum, imò menſem, & annum, ſi Infans dicto modo in caſu extraordinario; reperiretur incorruptus in vultu, & pectore, & de novo illi in vultu, & pectore rediret color vividus, hoc eſt manifeſtè ſimilis alicui Homini viventi.*

9 Ex his Amortii dictis a fortiori deduceretur quòd, ſi tertius a morte putata dies nondum eſt lapſus; poſſet Parvulus antedictis omnibus circumſtantiis concurrentibus, adjectâ conditione baptizari. Tunc enim prædicta ſigna inſurgentia non acciperentur veluti Reſurrectionis argumenta; ſed tantùm veluti extremi occultæ vitæ conatus, naturâ operante vel propriis viribus, vel medicamentorum efficacia, vel etiam ſpeciali Dei adjutorio, qui vitam Parvuli abſconditam quidem, ſed nondum penitus deletam, intermicare conceſſerit.

10 Huic ſuæ opinioni elucidandæ nonnulla, quæ in contrarium objici poſſent, adducit Amortius (*b*) eiſque deinde reſpondet, præcipuè verò proponit. *Hunc morem baptizandi Infantes pro mortuis habitos judicio Fidelium, ac Chirurgorum, & Medicorum eſſe antiquæ Eccleſiæ incognitum, & abſurdum.* Reſpondet autem: *Non eſſe antiquitati incognitum, baptizare eos, de quorum ſuperſtite vitâ habetur prudens dubium, etiam judicio Medici aut Chirurgi periti: Peritus autem hoc tempore dici nequit, qui negat, vel non curat obſervationes ex Verehjenio, & ex Actis Regiæ Academiæ Pariſienſis.* Quod ſi dicatur, ejuſmodi Parvulos evidentia vitæ ſigna, puta, ploratus, voces, motuſque, manifeſtè vitales non protuliſſe; id ex eo accidere potuiſſe, judicat quod Adſtantes primis factis, ac inutiliter tentamentis, atque præterea de eorum morte præmaturè perſuaſi, & confirmati, ſpem omnem in futuro tantum prodigio locavere; illoſque deinde non ampliùs foverunt, vel alio pacto adjuvare conati ſunt; ſed potiùs itineris ad Eccleſias non parvipendenda moleſtia divexarunt, & caput brachia pectuſque Corpuſculorum e faſciis, quibus involvebantur, evolventes, pernicioſo frigori, & humiditati, etiam quandoque in ipſo Eccleſiæ Propylæo, expoſuerunt.

11 Præterea animadvertit, quod cum naſcentes Parvuli non adhuc aſſueti ſint reſpirationi, ſaltem liberiori; pulmones habent quodammodo contractos, non tamen ut Homines alii, dilatatos: quocircà ſi ſpiritibus animalibus depauperati, & mortali deliquio affecti jacent; poſtremus ille naturæ conatus, pertingere nequit, ad muſculos inflandos, quod ad vocis prolationem eſſet neceſſarium; ſed veroſimiliter non aliud facere poterit, quàm ſubtiliorem ſanguinem ad caput, ac pectus, tranſmittere. Quamvis autem fortaſſe hujuſmodi ſigna, uti dictum eſt, a ſola fermentatione proveniant: nihilominus non hic diſputatur quid probabilius, aut veroſimilius dicendum ſit; cum ſufficiat, rem eſſe dubiam, & ad animarum ſalutem pertinere: neceſſitatem verò eſſe prorſus extremam, & æquè irreparabilem: in quibus circumſtantiis ipſa poſſibilia ſollicitos habere nos debent.

12 At hæc Amortii opinio circa præſentem caſum difficultate non vacat; quamvis enim ob rationes a me c. 15. allatas difficilius ſit in Parvulis naſcentibus, ad Adultorum differentiam, ſine putrefactione, mortis certitudinem admittere: negari nihilominus nequit, totam illam ſignorum conglobationem, quam in eo caſu ponit Amortius, incluſâ etiam rigiditate membrorum cum oculorum deformatione, videri mortis certitu-

[a] In Inſtruct.
[b] Amort. *differt.* 1. *cap.* 34.

dinem *phiſicè* concludere, eamque ad minus in altiori moralis certitudinis gradu conſtituere. Et profectò nulla experientia oſtendit, Parvulum aliquem cum tota illa ſignorum congerie; incluſà etiam rigiditate non convulſivà cum panno vitreo, ac deformatione oculorum; niſi verà intercedente Reſurrectione, vivum aliquando fuiſſe repertum: & ideo ad Infantium naturalem vitam probabiliter adſtruendam non videntur ſufficere ſigna dumtaxat dubia; niſi dicamus tantam eſſe in caſu aliquo particulari, pro detegendà vità, poſteriorum ſignorum numerum, & efficaciam; ut quamquam certò vitam demonſtrare non poſſint; antecedens tamen, certumque de morte judicium infringant, aut ſaltem planè debilitent, & in dubium vertant; ea enim eſt hujus congeriei ſignorum vis, ut multi ex ipſis heterodoxis Medicis crediderint, ea ad Reſurrectionem ipſam firmandam ſufficere, quod tamen admitti non debet. [a] Quando autem hæc ſigna poſteriora tanti ſint ponderis, ut ad nunc judicii, antea certi, mutationem ſufficiant; id non tam ex regulis generalibus, quàm a ſcientia, & prudentia Obſervatorum, in eventibus tantùm ſingularibus omnia perpendentium, oportebit expectari.

QUINTUS CASUS.

13. Quod ſi, qui omnia mortis habet ſuprà indicata ſigna, immunis quidem eſſet a putrefactione, atque odore cadaverico; ſed nihilominus dubitari poſſet, utrum defectus iſte ex eo fortè oriatur, quòd Parvulus hieme dominante, ſub terra, glacie, vel nive jacuerit; ac deinde ad Eccleſiam translatus incerta oſtenderet vitæ ſigna; ex præfata doctrina ſua putet Amortius, conditionatum Baptiſmum eſſe conferendum: nam in his etiam circumſtantiis Infantis mors ambigua non immeritò cenſeretur: undecumque enim defectus ille procedat, rem tenebris involvit. Quis enim divinare poterit, utrum ſupervenientia ſigna e vita in intimis corpuſculi penetralibus deliteſcente, an aliunde procedant? *In Infantibus*, ait ille [b] *non adeo remotis a partu*; ideſt poſt biduum, vel triduum; de his enim hic loquitur, *vel tempore hiemali ſub terra, nive, vel glacie præſervatis a putrefactione non reperitur principium fermentationis, aut præcipitationis partium. Itaque rectè dubitari poterit, an non proveniat a principio vitali, ſicuti fieri ſolet in Hirundinibus, Muſcis, Teſtudine, Climace, ac variis aliis Animalibus, totâ hieme ſine ſenſibili ſigno vitæ perdurantibus*. Quibus Benedictus XIV., Sigiſmundus, Delrio, Bruhierius, aliique non pauci, Lucomoriæ Habitatores addidere. Cum autem caſus iſte præcedenti ſit magis arduus; etiam hic pro repetitis haberi volumus, quæ de neceſſario novorum ſignorum numero, & efficacià paulò ante notavimus.

§. 3.

De caſibus mortis indubitatæ.

SEXTUS CASUS.

1. Hactenus de eventibus illis, in quibus mors indubitata judicari non poteſt: nunc ad eos gradum facimus, in quibus certa illa omnino dicenda eſt. In univerſum quidem, ubi ſuſpicio concurrit Aſphyxiæ; communibus mortis argumentis non eſt fidendum: niſi characteriſtico aliquo ſigno confirmentur; quod in Parvulis naſcentibus aliud non erit, quàm ſola putrefactio, vel ſaltem ipſius initium, cum cadaverico, & acuto fœtore conjunctum: rigiditas enim non convulſiva membrorum, oculorumque deformatio, in Adultis conſiderata, in hujuſmodi Parvulis, uti ſuo loco expoſuimus, poſt nativitatem, & non niſi cum ſufficienti morà conſurgunt. Ubi ergo apparuerit putrefactio, vel ipſius initium, aut aliud mortis characteriſticum ſignum; vel cum aliqua præceſſerit invincibilis cauſa interitus, juxtà ea, quæ alibi ex Lan-

[a] *Amort. in quæſt. 2. verſic. Reſpondea ex una parte pag. 338.*
[b] *Idem ibid. diſſert. 1. in reſp. ad object. 5. p. 345.*

Lanciſio tradita ſunt: ſi ſupervenientis Reſurrectionis indicia, ſunt etiam ſimiliter certa; quis unquam de tribuendo Baptiſmate dubitabit? Verùm hæc certa redeuntis vitæ indicia ſunt ſenſatio manifeſta, vox, ploratus, reſpiratio, pulſus arteriarum, aliique motus non tranſeuntes, irregulares, & æquivoci; ſed ſtabiles, atque patenter a principio vitali profecti, ac propterea viventium proprii.

2. Quod autem plures Infantuli ad Baptiſmum recipiendum fuerint divinâ virtute ad prædicta Sanctuaria reſuſcitati, & prænotata dederint certiſſimæ vitæ ſigna, in dubium verti non debet. Id enim expreſsè teſtantur Auctores de materià iſtà loquentes. Et ſanè de quibuſdam ſaltem Parvulis ad Weinſtenſtienenſem Eccleſiam perlatis Cumppenbergius enarravit, *in dubia*, inquit, *dant vitæ ſigna*. De Infantulis ad imaginem Mirecourtenſem Gobatus; *Parvuli illi edunt non rarò talia vitæ indicia; ut ſæpe nemo dubitet, quin verè ſint Animâ præditi*. Cæterùm quidquid ſit de prædictis; de aliis ad Simulacrum Fournenſe deductis id ipſum clariùs, ac ſolidiùs retulere Bucellinus, atque Bagatta; *Horum*, inquiunt, *multi ſantiſprr vitam recipiunt, ſi deferantur ante prædictam Imaginem; & interdum quidem ad multos vitam annos producunt*. [a]

SEPTIMUS CASUS.

3 Si quando tamen ſive ex putrefactione, ſive aliunde præcedens mors certa quidem fuerat, at indicia ſubſequentis Reſurrectionis incerta; Baptiſmus, etſi conditionatus, conferri non poteſt.

Signa verò æquivoca Reſurrectionis eſſent, ut explicat Benedictus XIV. aut pallidi coloris in rubicundum mutatio, aut membrorum, quæ antea rigebant, flexibilitas, aut ſanguis e naribus fluens, aut aliqua ſudoris gutta, quæ in fronte, vel in ſtomacho appareat, (*b*) aut ſimilia, quæ in veris, & indubitatis cadaveribus omninò exanimatis interdum conſpiciuntur. Atque hic erat caſus Urſpergenſis controverſiæ. In eo enim Templo, uti ex relationibus conſtat, Infantes qui a remotis locis veniebant, ſi unum, aut alterum excipias, de quibus præſumendum eſt, Deum propter Parentum fidem ſingulari beneficio per ſecundas cauſas a corruptione, ac morte illos præſervaſſe; reliqui omnes putrefacti jam erant, aut ſaltem verum cadaveris odorem exhalabant; ac propterea eorum mors in certiſſimis erat computanda; & conſequenter veriſſima Reſurrectione indigebant: (*c*) His autem non obſtantibus, Amortio teſte, (*d*) qui baptizaturi erant, non omnia in eis requirebant æquivoca vitæ ſigna: neque enim Parvuli omnes ea omnia oſtendere ſoliti ſunt; ſed ſatis putabatur eſſe ad Baptiſmum, in Parvulo de longè veniente, ſi color mutationem ſubiret, fœtorque ceſſaret; in his autem, qui e vicinis locis efferebantur, ad ſolam attendebatur coloris mutationem. Ita ut quotieſcumque hujuſmodi ſigna apparuiſſent in Parvulis; iiſdem indifferenter Baptiſmus veluti dubiè redivivis præmiſſa conditione conferretur, idemque mos per totam undique Germaniam ſimili prorſus ratione obtinuerat. Hoc autem non jure factum aſſerimus: vel enim deficiebant characteriſtica, & vera mortis indicia; & tunc mors certa non erat, & Parvuli novis advenientibus, etſi dubiis, vitæ ſignis; potuiſſent quidem baptizari adjecta conditione; veluti non certò, ſed ſolùm dubiè mortui; præſertim cum vita in poſſeſſione aliquatenus eſſe videretur. Si tamen mors erat indubitata, ſive per ſigna characteriſtica, ſive per cauſas invincibiles; & tunc mors erat in poſſeſſione firmiſſima: Igitur ſi nova ſupervenientia ſigna erant ſolummodò æquivoca; Parvuli baptizari non poterant.

Præm?

(a) Joannes Bucellinus *in Ann. Gallo-Flan. lib. 2. de Statua Virg. quæ Fournis colitur*. Bagatta *Admir. Orb. Chriſ. tom. 2. lib 8. cap. 2. in Append.*

(b) Benedict XIV. *de Syn. Diæceſ. l. 7. c. 6. p. 316.*

(c) Amort. *d. diſſert. 1. in reſp. ad object. 5. p. 345.*

(d) *Idem diſſert. 2. §. 1. p. 345.*

4 Præterea cum Reſurrectio, uti notatum eſt, ſit ex illuſtrioribus, majoribuſque Miraculis, quæ a Deo peragi ſoleant; nequaquam temerè atque inconſultò adſtruenda eſt, ſuper æquivoca ſigna; quæ malè quidem aptantur, ut baſes ad magnificam, ſublimemque hujuſmodi molem ſuſtinendam. Idque manifeſtius fiet, ſi benè perpenderimus, Dei perfecta eſſe opera; ita ut cum per Miraculum, ad ſuam gloriam propagandam, Ægrotum ſanat; perfectam ei ſanitatem abſolutamque largiatur: imò ejus Miracula, quæ veræ Eccleſiæ ſunt nota, eò magis evidentiora patrari ſolent, quò magis ad nobiliorem finem ordinantur. Quis ergo credet Parvulorum Reſurrectionem ad æternam eorum ſalutem, ad Beatæ Virginis Mariæ honorem, & Eccleſiæ Catholicæ in Germania præ conſpectu Adverſariorum militantis, robur, & eximium decus ordinatam; ita obſcurè, ac dubitabiliter fieri, quamquam divinà ipſa virtute per ſe operante; ut is, qui redivivus eſſe putatur; magis mortuo, quam viventi ſimilis remaneat, & præ Reſurrectionis incertitudine vix induci poſſint Adſtantes ad Baptiſmum incertum, ac dubium ſub conditione tantum adminiſtrandum?

5 Profectò numquam aliquem Deus reſuſcitaſſe legitur, niſi ad vitam indubitabilem atque perfectam, & illicò manifeſtatam. Sic Filiam Archiſynagogi exſuſcitaturus, Puellæ manum apprehendens, ait *Puella tibi dico ſurge, & confeſtim ſurrexit Puella, & ambulabat.* (a) Et ad Viduæ Filium dixit: *Adoleſcens tibi dico ſurge: & reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui:* (b) Et ad Lazarum voce magna clamavit, *Lazare veni foras: & ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes inſtitis.* [c]

6 Quando itaque vera intercedit Reſurrectio; Deus maximà, & ineluctabili claritate vitam ad Baptiſmum abſolutè recipiendum Infanti reſtituit, qui redivivus in vità perſiſtere conſuevit, quò uſque ſaltem valeant ſacræ omnes cæremoniæ præſcriptæ ſolemniter, & ad amuſſim adhiberi. Ex quo Parentes aliique Fideles, qui pro mortuo oraverant, plenà perfruantur ex omni parte lætitia: Marianæ protectionis efficacia manifeſtiùs eluceſcat: divina gloria Eccleſiam ſuo lumine compleat, & magnificentiùs illuſtret: & os iniqua loquentium, & Catholicos de nimia credulitate inſimulantium, obſtruatur.

7 Denique illud præ oculis habendum eſt, mutationes illas, quæ dubia Reſurrectionis indicia credita ſunt; multoties in ſervorum Dei cadaveribus poſt mortem viſas: & nihilominus nequaquam propterea in Adſtantium mentem venit, eos ad vitam rediiſſe: imò difficillimum ſæpè fuit judicare, utrum ea ſaltem ad Miraculum pro illorum funere honorando a Domino editum pertinerent. Quantò minùs ergo ad Reſurrectionem probandam ea ipſa valebunt, ſi de Infantibus ſermo eſt; qui cum adeo tenelluli ſint, & e ſinu Matris, ubi diu clauſi vixerant, in apertum aërem prodierint; inſolitæ ſibi Aëris actioni jam expoſiti, prædictis mutationibus præ Adultis longè faciliùs, frequentiuſque afficiuntur?

8 Et quidem cadaverum putrefactio ſine magna quadam fermentatione non accidit. Ubi autem intervenit fermentatio, aderit etiam calor, & partium expanſio, ſeu dilatatio, & conſequenter ſanguis facillimè profluet ad partes extimas.

Hoc tamen multò magis locum habebit in his Parvulis: tum quia vectatio in ipſis motum ſanguinis provocare valet; tum quia eorum ſanguis tenuiſſimus eſt, ac propterea fluidiſſimus, ac veluti ferum rubicundum: tum quia eorum nervi, muſculi, venæ, arteriæ,

ex-

(a) Marci 5. 42.
(b) Lucæ 7. 16.
(c) Joannis 11. 43. & 44.

cæteræque partes propter eximiam eorum teneritudinem, nequaquam ſanguinis preſſioni obſiſtere valent; quam inducit fermentatio. Quapropter ille huc, illucque, ſurſum deorſumque diſcurrit: præſertim cum venarum valvulæ, præ ipſa teneritudine, contrario ſanguinis motui ſatis reſiſtendo non ſint. Sanguis ergo ad partes exteriores accurrens, aurea, labiola & genas, colorare facillimè poterit: atque ex ipſa ſanguinis aliorumque liquidorum fermentatione, ac preſſione, motuque ad partes extimas, poterit etiam non tantùm ſudor; ſed & Hemorragia ſanguinis oriri. Quin imò hæc ipſa preſſio turgida efficiens labiola, & oculorum palpebras, ipſis aliquem interea motum inducere, eaque ſic etiam aperire poterit: neque inſolitum eſt in Mortuis quandoque motus a ſpiritibus reſiduis, vel ſalibus muſculos, ac nervos vellicantibus procedentes obſervare. Irritabilitas enim partium, quæ nervis abundant, etiam poſt mortem omnino certam, diu perdurare conſuevit: ut plurimis experimentis oleo vitrioli applicato probat Zimmermannus, aliique Recentiores. (a) Quæ certè fœnomena ſi nequaquam in cadaveribus Adultorum rara cenſentur; quantò minùs in Parvulis?

9 Nec prætermittendum eſt, hanc ipſam fermentationem de facili poſſe augmentum ſumere in Templis, de quibus eſt ſermo. Parvuli enim ad ea comportantur pannis undique involuti, ac arcis mortuariis incluſi: cum autem eò pervenerint, ex prædictis arcis educti, & pannorum velamento in capite brachiis, & pectore ſoluti, aperto aëri exponuntur: nimirum ut, ſi fortaſſe aliqua in eis contingat mutatio; faciliùs dignoſci poſſit. Aër igitur in eos immediatè agens, efficacior eſt, cooperantibus etiam quandoque luminibus in Eccleſia, circum ipſa cadavera præſertim, accenſis.

10 Quid ampliùs? ipſa cadaverici fœtoris ceſſatio, ubi fortè in Parvulo accideret; cujus jam ex præcedenti valido fœtore mors vera, & ſine ulla dubitatione certa judicata fuerat; nequaquam eſſet ſufficiens Reſurrectionis argumentum. Naſci enim illa potuit ex ipſo aëre fœtidos arcæ, ac Infantilium pannorum vapores diſpellente, ac diſſipante: vel ex mutatione ventorum Auſtralium in Boreales: vel ex humiditate Eccleſiarum, poros occludente, & exhalationem coercente: aliiſve de cauſis.

11 Cum ergo hæc & ſimilia per ſe ſint ſatis ambigua, & cum præterea aliunde conſtet exanimatio; non poterit ex eorum adventu Parvulus quaſi jam redivivus baptizari. Inhibuerat quidem ſupra laudata Synodus Lingonenſis Philippi An. 1455. *Ne aliquibus Sacramentum conferatur, nec etiam in Eccleſiaſtico Cæmeterio tumulentur aliqui; quos veroſimiliter* ideſt moraliter *conſtiterit, vitâ naturali, aut miraculosâ caruiſſe. Sed ne Laici ex hac prohibitione ſcandalizati remaneant; volumus, quod cum prædicti occurrerint; ad Curatos ſingulorum Locorum ſpecialis habeatur recurſus.* Ex quibus verbis Amortio viſum eſt, ſi ſolum ea ſpectanda eſſent; poſſe, a Parochis ſaltem, baptizari non ſolùm eos, de quibus probabile eſt non carere vitâ naturali; ſed etiam miraculosâ. Verùm obſtant quo ad ultimos nova decreta: quapropter ſubdit; *Cæterum quid Sedes Apoſtolica pronuntiatura ſit in cauſa Urſpergenſi poſt iteratam informationem diſtinctam, aut quid præſcriptura ſit Parochis, patebit ſuo tempore. Ego illius judicio has meas conſiderationes omni veneratione ſubjicio. Interea inhærendo decretis Sacræ Congregationis S. Officii 27. Aprilis, & 19. Decembris 1729. 29. Februarii 1737. & 30. Januarii 1732. dico: nulli Infanti, de cujus morte certè conſtat, baptiſmus conferendus eſt: niſi edat ſigna reviviſcentiæ certa, & indubitata.* His verò conſonant alia ſimilia decreta: nimi-

(a) Zimmermann. *de Senſib. & Irritab. part.*

mirum 3. , & 6. Junii 1744. ac denique 11. Maji 1751. a BENEDICTO XIV. citata . Qui ſubdit. [a] *Verùm prædicta Congregatio rectè ſapienterque animadvertit : quod minimè agebatur de Infantibus , de quorum morte , aut vità ambiguis in utramque partem concurrentibus indiciis , diſputaretur : ſed de Infantibus procul dubio vità functis , quique ſaltem tanto tempore vità caruerant , quantum in itinere plurium quandoque dierum , nullo prorſus alimento ipſis dato , impenſum fuerat : ac proinde rem eſſe de vero miraculo Reſurrectionis ; quod ſanè admitti non debet , niſi perſpicuis , & planè concludentibus probationibus evidenter demonſtretur .*

COROLLARIUM.

Illud remanet , ut his nonnulla ſubjiciamus , quæ ad rem, de qua agimus , prudentiſſimè Amortius adnotavit .

Repræhendit ipſe morem frequenter hujuſmodi Parvulos ad Eccleſiam transferendi : maximè ſi unà , vel alterà a partu horà , aut certè brevi poſt partum : quo tempore multò faciliùs vivi eſſe poterunt , ac præſertim ſi ex longinqua Regione id fieri contingat : docetque . *Per hanc praxim moraliter certum eſſe , longè plures Infantes interfici ſine baptiſmo , quàm reſuſcitari ad vitam* (b) Itemque paulò poſt repetit : eo quòd hujuſmodi translatio mortem poſſet merè apparentem in veram convertere . Nam præter itineris moleſtias multorum ſæpè dierum , aliaque incommoda ; ex arcis mortuariis educti , ac pannis quibus involuti, erant , ſolutis , aeri frigido , & humido Eccleſiarum , per diem biduum , triduumque expoſiti manent ; quod ſatis ſuperque eſt , ad illud vitæ reſiduum , quod illis fortaſſe inerat , infeliciſſimè diſperdendum teſtantur etiam Bajuli multos Infantulos , qui in initio itineris leviores erant , in progreſſu adaucto pondere , graviores effectos : quod indicio erat , eos antea vivos , in itinere tandem obiiſſe. Parentes inſuper prætextu ſperatæ Reſurrectionis , ubi Parvulus fortè ſit abſque vità oriturus , orationis aſſiduitatem , atque fervorem negligunt . Et Patres quidem nihilò feciùs conſuetæ gulæ , ac temulentiæ indulgent ; Matres verò cautelas debitas pro Fœtus conſervatione , atque ſalute contemnunt . Dum igitur Infantis mors non adhuc per ſigna characteriſtica fuerit indubitata ; expedit , illum in domo propria cubiculo commodo , ac in aëre temperato detinere : ſimulque ſatagere , ut fomentis , aliiſve medicæ artis remediis, ſi fortè fieri poſſit , ad vitæ uſum excitemus . Loco autem delationis ad Sanctuaria , eum divinæ Miſericordiæ , B. M. Virgini , aliiſque Cælicolis commendabimus , firmiſſimè ſtatuentes aut etiam voventes , quòd ſi Deus vitæ ipſius manifeſtationem , vel etiam reſtitutionem , conceſſerit ; eumdem convenienti tempore , ad Eccleſiam pro gratiarum actione deferemus . Et nihilominus interdum obſervando inveſtigabimus , an ſigna det ille vitæ , & an aliquam ſubeat mutationem : nimirum an flexibilior fiat , an redeat ipſi naturalis calor , an aliud emergat , ex quo quidquam circa vitam , vel mortem Parvuli dignoſcendam aliquatenus conjici poſſit .

13 Si verò Deus dignaretur efficere , ut Parvulus, cujus mors indubitata non adhuc eſt ; in progreſſu vitæ quidem ſigna producat , ſed tantùm incerta ; tunc a Parocho ſi præſens aderit , quod maximè conveniret , ſin autem ab alio ſaltem baptizabitur : hujuſmodi enim eventus moram non patiuntur . Si vero pro ſperatis vitæ ſignis , nova inſurgerent , & characteriſtica mortis indicia ; tunc ſanè tempus erit congruum corpuſculum exanime ad taumaturgas Imagines deportandi : ſi fortè miſereatur Do-

(a) De Synod. Diœceſ. *l. 7. c. 6. n. 2. p.* 316.
[b] Amortius *d. loco queſt. 2. in probat. anteced. p.* 337. *& in probat. v. Dicti p* 338.

Dominus, & relinquat poſt ſe benedictionem, Parvulumque vivificet: potens eſt enim Deus de lapidibus ſuſcitare Filios Abrahæ: ac valde laudabile eſt, humili oratione tantum ab eo petere, quamquam ſine ſpeciali interna motione, in tanta neceſſitate Miraculum. Atque ubi vera deinde atque indubitata Signa Reſurrectionis exurgerent; abſolutè Parvulus eſſet a proprio Parocho baptizandus: nequaquam enim timendum eſſet, ne Deus propter moram iſtam accerſendi, & expectandi Parochum, reſuſcitatum Infantulum ſineret abſque baptiſmate perire. Expedit autem hujuſmodi Parvulos a propriis Parochis, & non a Sanctuariorum Presbiteris baptizari, ut omnis vel nimiæ credulitatis, vel etiam fraudis incommoda ſuſpicio penitus arceatur.

Hac tamen occaſione monendum: Parvulos ſine Baptiſmate mortuos, nihilominus pro ſepultura ipſa profana: ſemper ad Parochos eſſe deferendos, uti Syracuſana Synodus Marini Anno 1727. imitando certè decreto ſancivit. *Ne Infantium ſine Baptiſmate decedentium ſuperſtitionibus deſerviant membra; Obſtetricibus, Parentibus, aliiſque ad quos ſpectat, diſtrictè præcipimus: ut integros, & non mancos, aut mutilos, deferant ad Parochos, eorum ſepulturam intuto, ſecretoque loco curaturos.* Æquum enim eſt, ut quandoquidem cum Chriſto regnare, ac vaſa gloriæ eſſe nequiverunt; ne ſaltem adverſus Creatorem ſuum, veluti diabolicæ nequitiæ inſtrumenta, novâ infelicitate adhibeantur.

EUSEBII
AMORT
INSTRUCTIO
Ad examinanda ſigna certæ Mortis, aut Vitæ
IN INFANTIBUS.

PRimò circa tempus, & cauſas mortis ex Bajulis Infantium defunctorum interrogandum eſt.

1. *Quot dies, vel horæ effluxerint a Partu Infantis?*

2. *Quot diebus, vel horis locus diſtet, ex quo allatus eſt Infans?*

3. *An Partus fuerit difficilis? Et quot horis dolores partus duraverint?*

4. *An Mater jam diu ante partum ægrotaverit?*

5. *Quanto tempore ante partum mater vitam in Infante ſenſerit?*

6. *An Infans ante ordinarium tempus partus venerit? Et quanto tempore?*

7. *Quot horis poſt partum Infans e domo maternâ dimiſſus, & Bajulo traditus ſit?*

8. *Quæ media Infanti poſt Partum adhibita fuerint ad excitandos ſpiritus vitales?*

9. *An proles ſit Puellus, vel Puella?*

10. *Quis color fuerit Infanti poſt partum? Quis domi in abitu? Quis in via?*

11. *An in Infante nullus fœtor cadavericus domi, vel in via animadverſus ſit?*

12. *An Infans in via pondere notabiliter creverit?*

Secundò in loca, ad quem Infans defertur, obſervetur, an in eo reperiantur infallibilia mortis indicia? Obſervetur:

1. *Utrum in Infante jam ad aliquos paſſus ſentiatur magnus fœtor cadavericus? An verò vix ullus, aut nullus talis odor cadavericus, etiam proximè, adverti poſſit?*

2. *Utrum color in vultu ſit pallidus, lividus, ſeu emortuus? an atrocæruleus? an rubeus amænus, & limpidus? an atrorubens an intermiſtus? Notentur etiam determinatæ maculę pallidæ in facie: ut earum mutatio poſt unam, vel alteram horam faciliùs deprehendi poſſit.*

3. *An brachia faciliter, vel difficulter flecti poſſint?*

4. *An caro in vultu, vel pectore poſt impreſſionem ſtatim, vel tardè ſe reſtituat?*

5. *An gena vel caro in pectore mollis, vel dura ſit?*

6. *An oculi ſint clari, vel obſcuri?*

7. *Utrùm in vultu ſudor, vel in oculis limpida aqua ſit?*

8. *An ſub naribus, vel in faſciis, ac linteis ſanguis, aut maculæ ſanguineæ ſint?*

9. *An cranium fractum, vel alia principalis pars læſa ſit?*

10. *An corpus inſtar glaciei intensè frigidum? vel frigus exiguum, aut vix ullum ſit?*

11. *Si nullum reperiatur infallibile mortis ſignum; applicentur vel ſpiritus, vel balſamum, aut pulveres ſternutatorii, vel ſalia volatilia v. g. Sal volatile cornu Cervi; vel admoveantur pectori aliquandiu panni calidi, aut laminæ lapideæ calefactę; vel ſulphur affletur naribus, & ori incenſum &c. Dein obſerventur effectus poſt aliquod tempus.*

put. Infans autem ſervetur in loco temperato, benè obtectus, nec exponatur magno frigori vel humiditati.

Tertio ſi nullum adhibitis omnibus mediis reperiatur ſignum vitæ; obſervetur poſt aliquot horas interruptis vicibus.

1. An nullus veniat color vivus?

2. An oculi non fiant pellucidiores?

3. An brachia non fiant flexibiliora?

4. An fœtor cadavericus totaliter deſierit.

5. An ex oculis fluant lacrymę claræ, ac limpidæ?

6. An ex naribus fluat clarus ſanguis?

7. An rigor in genis, & pectore ceſſaverit? Quando talia ſigna reperiuntur in Infante, in quo priùs nulla infallibilia ſigna deprehenſa ſunt, & prudenter dubitari poſſit, utrum tales effectus proveniant a principio vitali per modum ultimi conatus Naturæ, vel non vitali; id ſine mora indicetur Sacerdoti, ut fiat, quod faciendum duxerit. Me quod attinet, ſi in tali Infante nulla deprehenderem priùs manifeſta certæ mortis indicia, ex fœtore cadaverico, & corruptione, ſeu putreſcentia inchoativa in cute, ac carne vultus, & pectoris, quæ ex miſtura palloris lividi ſeu obſcuri cum diverſi coloris maculis heterogeneis cognoſcitur; concurrente poſtea eleganti colore roſeo, aut vivido intra triduum; Infantem ſub conditione baptizarem hac formâ. Si adhuc vivis, ego te baptizo &c. Idem facerem etiam poſt triduum, imò menſem, & annum, ſi Infans dicto modo in caſu extraordinario reperiretur incorruptus in vultu, & pectore: & de novo illi in vultu, & pectore rediret color vividus, hoc eſt manifeſtè ſimilis alicui Homini viventi.

Circa locum ubi ponuntur infantes, obſervandum eſt primò, an ſit humidus, vel ſiccus? quod ex plagulâ papyraceâ bene bibulâ experiri licebit. Si enim in tali loco flacceſcat, & manu ſenſibilem humorem contrahat; quaſi fuiſſet in cella ſubterranea: vel ſi circiter per horam in tali loco poſita pluribus granis plùs ponderet, quam priùs vel poſtea aliquandiu detenta in loco ſicco; manifeſtum eſt, locum eſſe humidum.

2. An ſit frigidus, an reſpectivè temperatus? Id experiri licet ope Thermometri, ſi in illo loco poſitum, & priùs, vel poſtea in aliis locis collocatum oſtendat notabilem differentiam.

3. An ſit paucis, exiguis, & altis feneſtris præditus, ſicut Eccleſię Romæ. Tales enim Eccleſię in hyeme ſolent eſſe temperatiores externo aëre.

4. An janua, vel feneſtra ſit verſus plagam, Auſtralem Occidentalem, Septentrionalem, aut Orientalem? & utrum in illa Regione venti pluvii potiùs veniant ex Meridie, & Occidente, quàm aliâ plagâ? Ex eo enim cognoſcitur, an in illo loco dominentur venti ſicci, vel humidi, calidi, vel frigidi?

5. An vicinia ſit humida, paluſtris, vel collibus ſepta; ita ut ibi in Vere, & Autumno ſe detineant in valle vapores?

6. Qualis fuerit tempeſtas tempore obſervationis: an pluvioſa, vel ſerena, vel nebuloſa? quis tunc ſpiraverit ventus? quota tunc fuerit Luna in Martyrologio? An eo tempore fuerit concurſus magnus multitudinis in Eccleſia? Hæc enim omnia dirigunt, & variant judicium circa copiam humorum concurrentium ad effectum.

7. Qualis ſit tabula, in qua deponuntur infantes, an lignea vel lapidea? An ſubtus ſit pavimentum frigidum, humidum? Conſtat enim ex Actis Academiæ Regiæ Pariſienſis ſpiritum vini fortiſſimum in vaſe ſtanneo, quod in pelvi magnâ, aquâ frigidâ plenâ, identidem refrigerandâ per affuſionem novæ aquæ frigidæ, ponitur; incenſum magnam poſt ſe relinquere quantitatem phlegmatis. Similis ergo ſeparatio volatilium partium, ad partes extimas ſuperiores tendentium, poteſt in Infantibus fieri ex vicinia corporis frigidi.

8. An ſigna in toto vultu, & pectore dentur, ſi Infantes ſinantur jacere ex latere, vel inverſo corpore? Spiritus enim exhalati per fermentationem tendunt verſus ſuperiora.

9. An

9. An offusâ aquâ frigidâ pectori, ſtatim ceſſet rubedo? Infuſio enim aquæ frigidæ ſiſtit fermentationem.

10. An incrementum, & decrementum coloris fiant gradatim, ac ſucceſſivè; an inſtantaneè?

11. An poſt decrementum coloris, quando jam fuerunt baptizati conditionatè; factæ ſunt ſectiones Anatomic cordis, & cerebri? Ut ex eorum inſpe ctione poſſit ſumi conjectura de hora mortis: utrum videlicet contigerit po Baptiſmum, vel diu ante Baptiſmum Multa alia hujuſmodi obſervatu dign ſuggeret prudentia, & peritia phiſica

Et Iſta quidem Amortius, ad dignoſcendam Parvuli vitam, mortemque conſcripſit. Reliqua ejuſdem, quia in toto præſenti Capite Lectori ſatis deli banda communicavimus; hic omittenda cenſemus: dulciùs pleniùſqve, ubi li buerit, ex ipſo fonte bibenda.



COR

CORRIGENDA, ET SUPPLENDA

ERRATA, SEU MANCA					CORRIGE, VEL SUPPLE
Pag.	Col.	Lin.			
7.	1.	8.	an		ae
13.	2.	17.	provocandum	*ſupple*	neque ad maternos humores minuendos, vel corrigendos,
22.	1.	20.	Originem		Origenem
31.	2.	ult.	habebat		habeat
40.	2.	ult.	a putredine		putredini
45.	2.	15.	Plazza, quoque Corſinus		Plazza quoque, Corſinus
57.	1.	15.	inſunderent		infudarent
64.	1.	9.	ut internus,		ut ſolidorum tonus intendatur, & internus
66.	1.	16.	periculoſiſſimi		perniciolifſimi
73.	1.	44.	ehm		cum
76.	1.	32.	diſſectum		diſſecti
110.	1.	25.	quatuor		quinque
ibid.		l. 28.	interiore.	*ſupple*	Imprecatio enim fuerat, ut quot unus annus continet dies, tot etiam Filii uno partu a *Margarita* ederentur
ibid. in cit. l.		5. c. 20.		*ſupple*	Epitaph. Louſdun., Mejer., Guicciardin., & Alii innum.
119.	1.	32.	verè		Vere
125.	2.	18.	ſolà		totà
132.	1.	31.	aut veſicæ, vel inteſtini recti læſiones		ſeu læſiones veſicæ, vel inteſtini recti
137.	1.	18.	, & horrenda ſævillima		ſævillima, & horrenda
142.	2.	49.	interiori		anteriori
143.	2.	6.	generatio		regeneratio
152.	2.	44.	clarè,		, clarè
155.	2.	31.	p rci		perſiei
158.	1.	34.	redundantibus	*adde*	vel deficientibus, vel deformibus,
ibid.		49.	Brachiſtomi	*adde*	Hermaphroditi, Monoculi,
175.	1.	9.	corferunt		conferunt
ibid.		14	ſenè		ſanè
180.	in cit.	l. 4.	Bruhot		Bruhier
183.	in cit.	l. 7.	*t. c.*		*t. 2.*
191.	1.	25.	ille		iſte
ibid.	2.	33.	occultus		occulto
192.	2.	16.	etiam unum		etiamnum
194.	1.	10.	Amphibij, qui		Amphibia, quæ
ibid.	in cit.	*l. 4. & ſeqq.*	Gotti &c.		*Citationes Gotti pertinent ad ſignum (b), non ad ſignum (a)*
ibid.	in cit.	l. 2.	Bruhier *t. 2.*		Bruhier *t. 2. c. 3. p. 235., & ſeq. & 4. 5. p. 325.. & c. 6. p. 373., & ſeq.*

Digitized by Google

230.	2.	14.	Baptiſmi	Baptiaandi
235.	2.	11.	jam	jam jam
ibid.		l.12.	neceſſe eſt	neceſſe eſt : *& adde* vel quando anterior membrana inſuperabilis eſſet duritiei , & a Fœtu ipſo diſcindi non poſſet .
ibid.		l.31.	XIV.	XIII.
ibid.		l.41.	tres	*adde* aut quatuor
ibid.		l.43.	ditioribus	*A capite* XIV. Ditioribus
240.	in cit.	l. 3.	*l.* 3.	*c.* 3.
ibid.	in cit.	l. 10.	Leander *t.* 1. *tract.* 2. *d.* 3. *q.* 54.	Leander *p.* 1. *t.* 2. *d.* 3. *q.* 25.
243.	2.	37	eorum	earum
247.	2.	13.	merebar me ;	merebar ; me
248.	1.	29.	ſuggeret	ſuggerat
253.	1.	39.	eo	o
ibid.		l. ult.	amoris	amori
258.	2.	15.	deliberari ;	deliberari poſſit ;
280.	1.	37.	Abortum	Abortum hujuſmodi
284.	1.	27.	xv. Cal. Febr.	xix. Cal. Febr.

Cæterum Typographici errores tum variis de cauſis , tum præſertim quòd Auctor muneribus ſuis implicitus Typographis imminere non potuit ; ſupra numerum excreverunt . Quocirca graviores , & qui ſenſum immutant , hic tantùm corrigendi indicantur : leviores verò , & qui faciliùs dignoſci poſſunt , Lectorum diſcretioni , ac prudentiæ committuntur .

2 7 168
Z

Digitized by Google

Digitized by Google

00564 7529
Digitized by Google